Sco. Antº. de Exilio sive de Exilij Docu

Nº A
8-343

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala C
Estante [illegible]
Tabla [illegible]
Número [illegible]

12 - Ato 5 - 7

3-4-406

N. 3
4-406

Biblioteca Universitaria
MODENA
Sala A
8
343

3
30-73

767-2

# DE EXILIO

SIVE

# DE EXILII POENA

ANTIQVA ET NOVA,

EXVLVMQVE CONDITIONE ET IVRIBVS

LIBRI TRES

AVCTORE

## D. NICOLAO ANTONIO

HISPALENSI,

I. C. ET ORDINIS S. IACOBI EQVITE.

Ex dono Auctoris D. Nomo de Leon a.° 1660




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

ANTVERPIÆ,

Apud IACOBVM MEVRSIVM

ANNO M. DC. LIX.

*Cum Gratia & Priuilegio.*

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO

# DOMINO

# D. DIDACO DE ARCE REINOSO

EX-EPISCOPO PLACENTINO

SVPREMI SENATVS PATRVM

QVI RELIGIONEM TVENTVR

## PRÆSIDI

VIGILANTISSIMO AC INTEGERRIMO.

ANimi impetu, an deliberatè hic liber nomen tuum ampliſſimum obfirmata fronte gerat; dicere ſi velim, vtrumque potius adſeuerare quàm alterutrum habebo opus, Hiſpanæ intemeratæ fidei Cuſtos Maxime. Neſcio enim prorſus, vnde priùs mihi tam parum ingenij, doctrinæúe locupleti & opulento inciderit cogitatio hæc pauperculo iſto munere pulſandi ſublimes illas tuæ mentis fores, quâ ſic nos omnes, & noſtrum ſæculum beaſti; vt in te vno quidquid feraciſſimus illuſtrium animarum Hiſpaniæ hic tractus, ſiue iam protulit, ſiue vſquàm proferet, quo antiquitatem omnem prouocare poſſimus, habere iam nos, & poſſidere, facultatum noſtrarum æſtimatores minimè vani, exiſtimemus. Contendunt quippe, & ſibi quiſque arrogat huius arbitrij palmam affectus noſter, atque iudicium. Pars altera pondus animi ante electionem omnem: conſilium altera excuſſum, atque exploratum ad partes vocat. Interimque ceſſamus nos tantam componere litem velle; quibus hoc eſt perſua-

ſiſſimum nihil noſtrum diſpoliare obſequij perpetui, ac reuerentiæ tui gloria: aut merito ſuo, quo tam ſe iactat honeſtè ac laudabiliter, iubere alteri, quantumuis domeſtico, & contubernali eiuſdem pectoris, mæſtum, atque inuitum decedere. At quàm opportunè hîc iudicij noſtri cauſam agentes, in effuſiſſimam tuæ inclytæ virtutis prædicationem, velut in latiſſimum campum & interminabilem admitteremus facundiæ, (qualis hæc puſilla noſtra facundia eſt) impetus; ſi non reuereremur tuam iſtam ſupercilij maieſtatem, qua vel abſentes, ac de te cogitantes, veluti ſi coram adeſſes, ſic componis; vt nihil de te ipſo loqui, quod non tu audire præ modeſtia velis confidentiſſimus quiſque & intemperantiſſimus amoris, atque obſequiorum audeat. Hæc enim tua præcipua laus, laudari nolle; cum tamen in omnibus factis tuis, & munerum ampliſſimorum officiis, geſtuque, teipſum cunctis hominibus in tantum laudandum feceris, in quantum intelligi virtus poteſt. Eâ nempè integritate animi rem priuatam, quâ publicam geris: & vt in grauiſſimo iudicandi munere, tractandoque maximo pietatis negotio, rebuſque omnibus maioris momenti circa Regem expediendis nil priuatis, humaniſúe affectionibus condonare ſoles, aut indulgere, nil dilutioris conſtantiæ admittere: ſic cum deponis perſonam publicam, & ad faciem tuam redis, omnes blanditiarum, & laudationum illecebras adeo ſpernis, vt ſeueriſſimæ cuiuſdam modeſtiæ adimplere omnes numeros, cunctiſque affectionibus aut intactus, aut maior appareas. Inde nobis conicturantibus quantâ veri, ac ſolidi gaudij, quod intùs piis hominibus ingeneratur, conſcientia, quanta futuræ, nec inmarceſcibilis gloriæ ſpe, tam magna, hoc eſt mundanæ totius præmia laudis, eamque gloriæ cupiditatem, quæ magnis etiam viris, (vt ille ait) nouiſſima exuitur, ſiue contemnas, ſiue auerſeris. Quod enim vitâ es innocentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, omni Doctrinæ genere Florentiſſimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & naturâ, & induſtriâ mortalis conditio recipit; hoc totum non ideo es, vt eſſe videaris; aut olim

olim proſperam tui memoriam, plauſumque nunc, & apud homines gratias quæras: ſed quòd aliter eſſe vix potes. Affectata aliis virtus, tibi ingenita & innata, interque ea quæ imputare non valeas: quod ferè aiebat Principi ſuo Plinius. Quare cùm ſis tam erga alios, quàm erga te ipſum indeclinabilis iuſtitiæ, inſuperque omnibus humanis vitiis immunis, quod non præſtare te iis præſidiis, atque hoc animi robore dignum eſſet vituperio maximo, id quidem omninò, & ſine deductione præſtare non vlla dignum laude iudicas. Verùm ego modeſtiæ tuæ morem gerere cùm maximè volo, Clariſſimæ virtutis ſplendor oculis meis ſe totum ingeſſit: ſermonemque alio propoſito inchoatum, vixque ſibi, ſed tamen adhuc imperantem, ægreque in hac diſſimulationis atque officij nocte promouentem calamum reuerberauit. Non parum difficile eſt de tam opportuna, atque ampla dicendi occaſione cum ſilentio tranſigere. Sed negat tamen cedere locum ſuum reuerentiæ noſtræ, tot meritis debitæ innatus olim, & quaſi naturæ ingenio ante omnem ingenij motum factus nobis à puero animus tui obſeruans. Cauſam huius tam cæci, ac præproperi affectus rogas? Nulla erat. Amor, & odium, admonente Seneca, res omnium liberrimæ. Ante omnes leges, ſupra omnes leges, & rationes amandi quoſdam ignes naturâ ſuſcipimus, hoc eſt neque volentes, neque inuiti, quos in præcordia noſtra non intellectus molitio vlla, aut præiudicium, ſed incertus & latens, deſuperque, ſi alicunde veniens, meatus infundit. Sed quàm ego vanus ſum, qui his nugis, & in communi hoc omnium mortalium, quibus maximarum rerum actione perpetua coram, proculúe notus es, amore, & erga te obſeruantia, eximiam mihi aliquam partem facio benè de te præ ceteris merendi: cùm nihil afferam quod non tu ab omnibus ſpontè eorum colligas, quod non tibi omnes vltrò deferant; ſi ad obſequia noſtra, & ingenuas iſtas reuerentiæ, ac dilectionis ſignificationes, maieſtate ampliſſimi muneris pauliſper ſequeſtratâ, conuertere animum, atque oculos velis. Non ſum, crede mihi, tam elatus mente, atque efrons, vt ſperem ſanus

poſſe me aures tuas publicorum tot negotiorum concurſatione feruentes, ſuauiore aliquo litterarum concentu, veluti anhelantibus propinatâ, aut inſperſâ, frigidâ, recreare. Quinimo abundè mihi erit, ſi non tui cauſâ, ſed meâ prorſus non dedignaberis tutelæ tuæ adſcriptum prodire foras hunc Tractatum de EXILII RE AC IVRIBVS EXVLVM: quem ſponſorem perpetuæ aduerſus te obſeruantiæ meæ, vademque obnoxium offero libens meritoque, vir Maxime. Labor exiguus, & nauci, fateor: & ad ſplendorem fulgentiſſimi nominis tui caligare, aut potiùs nuſquàm apparere, nedum ornari, atque illuminari eo dignus, atque opportunus. At mediocris profectò, & ignoſcendi, ſi non boni, & laudandi ſpeciem occupat obſequij, quod imperatur nobis intus, blanda neceſſitas. Et habet pauper animus intra ſeipſum, quo probæ operæ mentes, ipsâ ſui ſcilicet confeſſione, ac deditione ad aliquam delati honoris conſcientiam, & gratiam prouocet. Religiones ſcis piè magis coli debere, quàm magnificè: quæ neque ex cenſus modo ſupplices ſuos metiuntur. Et æſtimo, imbecilliora quæque munera eò minus indigna te, quod pretio ſuo non ſibi blandiuntur, ſed officij ſolidam gratiam intra te ipſum quærunt; & à benignitate ſummâ, quâ litteras, & litterarum amantes excipis, tueris, ornas, confidentiſſimè expectant. Digniora enim opera intus, domique habent, in quo ſibi plaudant: nimirum pondere ſuo firmata, partim ſe ipſa ſuſtinent, nec tota præſidio nituntur. Quo magis deferri ſpero à me tibi, Eximie Præſes, atque Magnanime, qui non vlla huius egregia virtute opuſculi extenuare poſſum ſiue obſequij meritum, ſiue patrocinij cumulatiſſimam laudem. Reſpicies ergo ad hunc hominem, leuiculumque iſtud munus, tanquam ad res mancipio tuas; vt quidquid peccatum à me erit, tibi ipſi hoc totum condones, & ignoſcas. Saltem Iure Patroni & officio periculum clientis addictiſſimi, dubiâ iſtâ nunc causâ fluctuantis, fac propulſes: & in hoc iudicij æſtu, in quo fama agitur, hoc eſt omnium animi fortunarum, quæ conficiendæ famæ impendi ſolent, aleam

ſubimus,

ſubimus, tutâ aliqua vel puſillæ laudis ſtatione recipias. Vale diu, ô, vtinam diu, ſuperſtes, publico diuinarum atque humanarum rerum bono, priuatoque; magis tuo merito quàm alieno beneficio magnus.

CELSITVDINI TVÆ ILLVSTRISSIMÆ.

*Deuotiſsimus Cliens*

D. NICOLAVS ANTONIVS,

BENE-

# BENEVOLO LECTORI.

ORatio Ciceronis (*ait Plinius ille diſertiſſimus epiſtolarum artifex*) optima fertur eſſe quæ maxima; &, vt aliæ bonæ res, ita bonus liber, melior eſt quiſque, quò maior. *Ecce tibi, lector, non vtique paruum, ſed neque adeò magnum litteris multiplicibus variè à nobis pertextum opus, in quo rem nouam, atque adhuc nuſquàm pro dignitate, iuſtoque commentario tractatam, non omninò inſcitè, aut negligenter verbis notauimus; noſtri memoriam in litterariæ Reipublicæ album inferre cupientes, procudendo, ac proferendo aliquid, quod viritim terat publicus vſus. Rei neceſſitatem atque vtilitatem æquaueritnè, an exceſſerit libri modus, ſummè aueo ſcire: & à te ſi vſpiam audiam litteris mihi, aut coram intimatum, permagni habebo. Dummodò ex illorum numero ſis, quorum placere auribus maximè, ac promereri ſecundiora iudicia cupere me, neque ingenuus, neque probus ſim, ſi diſſimulem. Erunt quippè ad quorum manus Exul noſter adueniens non ad ſtudioſos tantum Iuris, ſed etiam ad Philologos, priſcarumque rerum cupidos verba faciens, tanquam Androgynus, & piaculare monſtrum, ambiguique inter marem & fæminam ſexus, horrorem incutiat. Erunt quos tædium capiat, ſiue antiquitatis, ſiue doctrinæ ciuilis, dum quiſque veluti ad ſegetem ſuam deueniens, ad ea acceſſerit, in quibus peregrinus eſt: ad aliumque terrarum orbem delatos ſe eſſe exiſtimabunt. Nam ſic de litterarum ſtudiis ſentit peruerſa mens mortalium; quaſi non omnis diſciplinæ capax ſit, ſed ſingularum tantùm noſter animus, quibuſuis etiam induſtriæ, & vigiliarum acceſſionibus locupletatus. Nempè ſcintillam æterni luminis diuinæque (vt à Poëta quodam dictum) particulam auræ, indefinitæ virtutis pollentem viribus, iniquè accipiunt, atque iniurioſè: ac veluti Deum ipſum, quem immenſitate quadam ea refert, & profitetur auctorem, contentum eſſe iubent iis limitibus, quos negotio ſuo non ſatis conſcia ſui & facultatum, quæ largè ſibi ſuppetunt, natura præſcripſit. Quædam vtique hîc ſunt, imo quamplura, quæ quidem Iuris illa ſectantibus ſtudia, quorum non in animum, ſed in crumenam fructus cadit, pumice quouis ſicciora, & aridiora, faſtidium prorsùs, velut frigidi, ac repoſiti cibi permouebunt. Bellaria nempè antiquioris temporum hiſtoriæ, tam Romanæ, quàm Græcæ; nec ſemel Hebraicæ: quæ omnia æquum fuit, ne nos exilij rem ieiunè ac inſuauiter, & ad palatum inſulſiſſimorum hominum, quibus verè anima pro ſale eſt, exhiberemus, inculcare. Sed profectò ij tales ſunt, quibus neque in Iuris agro nauata paulò inſtantius opera, valde arriſerit; dummodo lex Romana & vetus non Pragmatica, vt ſic dicam, ſanctio, quæ multis huius farinæ hominibus, præ vniuerſis eſt naturæ, & gentium tabulis, expendatur. His placere, aut diſplicere, iuxta cum eâ re habeo, de qua minimùm curo. Neque hoc ſuperbè, aut confidenter dictum velim accipias,*

*lector.*

*lector. Nam quibus coram ſum notus, callidè ſciunt, quàm conſcius mihi curtæ ſuppellectilis, quamque diffidens ingenio, induſtriæque, ne dicam paulò elatius, quàm temperanter, ac modeſtè in litterarum ſtudiis nil ferè mihi ſupra vulgus arrogem, aliorumúe laudi, & laboribus, detraham. Sed quia tam ſiccè, atque infrunitè, (vt ſæpè vſuuenit) Commentaria Iuris pangere, non ſunt mea vota; ſed accerſere vndique; cùm ſtyli, tum rerum diuerſarum totiuſque antiquitatis copiam, atque diuitias, & ad rem Iuris locupletandam pro merito, & exornandam in medium adducere; nil ſollicitari me de iudicio illorum, qui longè ſecùs amant, ſine vllâ dictum credas inſolentiâ animi, & iactatione.*

*Alterum eſt, de quo te ſecundo loco admonitum velim: Si ad oras tuas, & oculos, non ita pridem Pinciæ apud nos editus ad Digeſtorum titulum,* De *Interdictis, & Relegatis, &* De*portatis commentariolus, ante hoc opus noſtrum peruenerit; ſcito me non veſtigia eius, qui præceſſit, relegiſſe, aut ſcrinia iam publica expilaſſe, ſed vtique eò tardiùs Lucinam inuocauiſſe, cum ferè eodem tempore vtrumque noſtrûm idem conceptus mentis grauidaret.* D*icam breuiter, quod res eſt.* C*um primùm parturire cœpi hunc de Exilio Tractatum, ferè immaturum, nec iuſtæ dùm magnitudinis, remiſi Salmanticam ad Præceptorem meum* D. *Franciſcum Ramos del Mançano probitatis antiquæ virum, omnibus numeris perfectiſſimæ ſapientiæ Iuris expletum, & abſolutum; qui ex Anteceſſore ibi Primario ad Mediolanenſis reddituum, vt vocant, extraordinariorum Magiſtratus Præſidem ante aliquot annos promotus, ſupremi pòſt Italicarum rerum concilij, deindeque ſummi Caſtellæ Senator, ſummo omnium fauore, renuntiatus fuit à Rege noſtro maximo. Placuit amiciſsimo homini ſua ipſius merces in deditiſſimi quondam auditoris commentariolo: ſed in reſponſione cum huius laude, & hortatione vt pergerem in hoc tenore mentis, nuntiat ſimul à* P*inciano quodam Typographo, expectari primo quoque die Ioſephi Ferdinandi à Retes Iuriſconſulti Hontiuerienſis, hanc, de qua nuper dictum, Tituli de Interdictis &c. explanationem: nec mora; per proximæ nuntium hebdomadis remittit. Planè is quidem viſus mihi fuit, lectus, atque perlectus libelli auctor, qui non mediocrem ſui exſpectationem apud ſagaciſſimum quemque Academiæ illius concitatam, ſuſtinere meo iudicio, ac tueri poſſet. Vt viget acumine, & exculto doctrinæ genere delectatur, in ipſo æſtu curarum ſcholaſticarum poſitus, Salmanticæque, dùm hæc ſcribimus, in ampliſſimo Iuris ciuilis* P*rofeſſorum ordine, ſubſelliiſque primis collocatus, aliiſque poſteà editis, atque mox edendis maioris rei operibus ad famam nitens, cui ipſe iam dudum litterarum commercio notus ſum, & officiorum mutua vice deuinctus. Sed quod verebar, ne fruſtrà laboraſſem, adeò in contrarium cecidit; vt iam ex illo die, quo noui rem occupatam, & interceptam, placerem mihi magis in eadem ſparta; gratularerque Ioſepho, per eum factum, quò minùs* ſine riuali, neque & mea ſolus amarem: *quod ferè ait Venuſinus* P*oëta. Meo igitur animo proinde impoſui, nè ab in-*

 *cœpto*

*cœpto deterreretur; ſed magis ab æmulo ardeſceret, conniteretúrque ſi quâ arte poſſet, nondùm ex integro ablatam de medio palmam inſtauratiuis curis apprehendere. Porrò, vt creſcebat ſingulis diebus renouatum argumentum, magis ac magis intacta ſurgebat, & hodierna ſeges. Adeò non vna & perpetua via eſt ad eundem finem: Sed vnuſquiſque, quà ducit ingenium, ſequitur. Certus tamen ſum eidem intercedere, communia & generalia, neceſſarióque retractanda, (quod ait ille in Ouidio) nè*

———————————— ſolus

Occupet, atque aliquem nobis quoque reddat honorem.

*Ergò damus triplicem librum De Exilio, ſiue de Iure exulum, hiſtoriáque veteris exilij atque nouioris; non tam vt commentariis, quod Reteſius facit, explanemus Digeſtorum titulum, quàm vt mos ille in exilium damnatione abeundi, cùm gentium antiquiſſimis, tùm Romanis, & Græcis, atque adeò vniuerſis nationibus probatus, planiſſimè, ac ex ordine fideque Hiſtoriarum, & quod caput eſt, Iura ſimul & conditio Exulum ex libris noſtræ, ac veteris Iuriſprudentiæ, apertiùs quàm antehac, & dilucidiùs cognoſcantur.*

DON

# DON PETRI DE VELASCO
## I. V. C.

SALMANTICÆ OLIM CONDISCIPVLI
AC SEMPER CHARI,
ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ,
COMPLVTI QVONDAM AD S. HILDEFONSVM
COLLEGÆ:
IN GRANATENSI DEINDE CVRIA
NOBILITATIS CAVSARVM IVDICIS,
Data ſuperioribus annis, dum in viuis eſſet, de ſtudiis
noſtris & opere iſto

## CENSVRA.

OBuia Prudentum reſponſa, & cognita vulgo
Reſcripta, ab Diuis edita Principibus,
Commentis luſtrare ſuis plauſtralibus omnes
Nunc iuuat; & vani nominis aura vocat.
Inuia prætereunt ſegnes, vbi nulla rotarum
Orbita, nulla pedum ſemita monſtrat iter.
Suſtulit hunc morem væſano Antonius æuo,
Cui non trita placet, ſed fugitiua Themis:
Atque oblita diu reſerans oracula nondum,
Priſca licet, noſtris eruta temporibus,
Dum refugas leges, proſcriptaque iura relegit,
EXILIVM veteri traxit ab EXILIO.

# D. IOANNIS CALDERON

## I. C. ET IN CVRIA REGIA ADVOCATI

## CENSVRA,

### AD HOC OPERE.

SVPREMI CASTELLÆ SENATVS iuſſu librum vidi DE EXILIO, SIVE DE EXILII POENA, EXVLVMQVE CONDITIONE ET IVRIBVS à D. NICOLAO ANTONIO Hiſpalenſi I. C. ac Diui Iacobi Equite, eximioque huius argumenti enarratore nuper elaboratum. Profectò id opus, ſi quid iudicio conſequi poſſum, vt dignitate egregium, ita præſtringendis eorum, qui poſthac ſtylo quidquam huius generis ducturi ſunt, oculis tanquam natum videtur. Adeò reſpondent omnia, inuicemque ſibi adiumento, & ornamento ſunt. Encyclopædiæ enim ſtudium, hoc eſt multarum diſciplinarum, & vtriuſque notitia linguæ paſſim ſe, atque vbique exerit. Eloquentiæ ars ſic artificioſè tractatum omnem peruagatur, vt tamen nihil minùs quàm affectati ſermonis cura obſcuritati, aut faſtidio ſit. Iam quod præcipuum eſt, antiquæ Romani Iuris de Exulibus ſanctiones, & quæque ciuilia de his tam apud veteres, quàm apud recentiores dictata litteris commiſſa vſquam ſunt, ſic dextrè enucleantur, abque reconditiore vetuſtatis penu in lucem proferuntur; quibus accedit hodiernæ Praxis mos ferè ſemper adnotatus; vt laude opus, & luce digniſſimum nemo ſanus inficiari poſſit. Ideò nullus dubito quin, ego quanta ſim animi delectatione profectuque hîc verſatus, lector quiſque, vel mediocriter doctus ſtatim atque in manus apprehenderit, à ſe ipſo planè ſit, atque omninò intellecturus. Nil vtique aduerſus pietatem, aut bonos mores, aut Regias leges continet: prodeſt imò, miſcetque, quod honeſtum eſt, atque æquum, vtile dulci. Videat ergo per me typorum, ac publici conſpectus lucem, clariſsimoque huius ætatis & cæterarum plauſu, & acclamatione fruatur.

DOCTOR D. IOANNES CALDERON.

COPIA

# COPIA PRIVILEGII REGII IN CASTELLÆ REGNIS.

## EL REY

POR quanto por parte de vos Don Nicolas Antonio Cauallero de la orden de Santiago ſe nos hiço relacion que auiendo tenido los eſtudios en la Profeſion de Leies en la Vniuerſidad de Salamanca y continuadolos deſde entonces por tiempo de mas de diez y ſeis años, teniades eſcrito vn libro cuio Titulo era DE EXILIO, SIVE DE EXILII POENA EXVLVMQVE CONDITIONE ET IVRIBVS LIBRI TRES. En que tratabais la condicion de la pena del deſtierro antigua y moderna, con todo lo que a ella pertenecia, traido de los libros de Hiſtoria Romana, y Griega, y de los derechos Comun y del Reino, en que hauiades pueſto mucho eſtudio y trabaxo, que eſperauades ſeria de prouecho ſu leccion para los que profeſſauan la Iuriſprudencia con la noticia de coſas antiguas que la adornauan, y confirmauan. Y nos ſuplicaſceis fueremos ſeruido de daros licencia y priuilegio para le imprimir por tiempo de diez años, o como la nueſtra merced fueſſe. Y viſto por los del nueſtro Conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizieron las diligencias que la Prematica por nos vltimamente fecha ſobre la impreſion de los libros diſpone; fue acordado que debiamos mandar dar eſta nueſtra carta para vos en la dicha razon; y nos lo tuuimos por bien. Por la qual por os hazer bien y merced, os damos licencia y facultad paraque por tiempo de diez años primeros ſiguientes que corran, y ſe quenten deſde el dia de la data della en adelante, vos, o la perſona que vueſtro poder huuiere, y no otra alguna, podais imprimir y vender el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion por el original que vâ rubricado y firmado alfin de Franciſco Diaz nueſtro eſcriuano de Camara de los que en el nueſtro Conſejo reſiden, en eſtos nueſtros Reinos de Caſtilla, con que antes que ſe venda, la traigais ante ellos juntamente con el original, paraque ſe vea ſi la dicha impreſion eſtá conforme a el; o, traigais fee en publica forma como por el Corrector nombrado ſe vio, y corrigio la dicha impreſion por el original. Mandamos al dicho impreſor, que aſſi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni primer pliego,



mas

mas que vn ſolo libro con el original al auctor o perſona, a cuia coſta le imprimiere, y no a otra alguna para efeto de la dicha correccion, y taſa, haſta que primero el dicho libro eſté corregido y taſado por los del nueſtro Conſejo: y eſtando aſſi, y no de otra manera pueda imprimir el dicho libro y principio: y en el ſeguidamente ponga eſta nueſtra Licencia y la Aprobacion y correccion, pena de caer, e incurrir en las penas contenidas en la nueſtra Prematica y leies de nueſtros reinos, que cerca dello diſponen: y mandamos que durante el dicho tiempo perſona alguna, ſin vueſtra licencia pueda imprimir el dicho libro ni venderlo, pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere: la qual pena ſea la tercia parte para la nueſtra Camara, y la otra para el Iuez que lo ſentenciare, y la otra para el que lo denunciare. Y mandamos a los del nueſtro Conſejo, Preſidente y Oidores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes y Alguaçiles de la nueſtra Caſa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſiſtente, Gouernadores, Alcaldes maiores y ordinarios y otros Iuezes y Iuſticias qualeſquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nueſtros reinos y ſeñorios, aſſi a los que agora ſon, como a los que ſeran de a qui adelante, que os guarden y cumplan eſta nueſtra carta, y merced que aſſi os hazemos; y contra ello no vaian, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de veinte mil marauedis para nueſtra Camera. De loqual mandamos dar, y dimos eſta nueſtra carta: dada en Madrid a doçe dias del mes de Março de mil y ſeicientos y cinquenta y dos.

YO EL REY

*Por mandado del Rey nueſtro Señor*

MARTIN DE VILIELA.

APPRO-

# APPROBATIO

TRes hi libri *de Exilio, eius pœnâ antiquâ & nouâ Exulumq́ conditione & Iuribus*, eruditè & eleganter conſcripti à Nobili & Erudito Viro Don *Nicolao Antonio* Hiſpalenſi I. C. & Ordinis S. IACOBI Equite, nihil continent fidei aut bonis moribus contrarium: quare eos luce publicâ dignos cenſui 18. Nouembris 1658.

GVILIELMVS BOLOGNINO
*S. T. L. Cathed. Eccleſ. Can. & lib. Cenſor. Antuerp.*

SVMMA

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

## SVMMA PRIVILEGII REGII

### IN CONCILIO BRABANTIÆ.

PHILIPPVS, Dei gratiâ, Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis, *D. Nicolai Antonij Hiſpalenſis, I. C. & Ordinis S. Iacobi Equitis, libros III. de Exilij pœnâ antiquâ & nouâ, Exulumque conditione & Iuribus*, præter Iacobi Meurſij Typographi Antuerpienſis voluntatem intra decennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum locorumúe excuſos in has inferioris Germaniæ Prouincias inferat venaleſúe exponat. Qui ſecùs faxit, præter confiſcationem exemplarium, triginta florenorum pœnâ multabitur; ſicut latiùs patet in literis datis Bruxellæ anno M. DC. LVIII. die XXV. Iunij.

*Signat*

LOYENS.

DE

# DE EXILIO SIVE DE POENA EXILII EXVLVMQVE CONDITIONE, ET IVRIBVS.

## LIBER PRIMVS

### CAPVT PRIMVM.

### SVMMARIVM.

Qui ante nos de exilio ſcripſerint.

*I. De exilio ſcriptores.*
*II. Teles Græcus auctor de exilio.*
*III. Muſonius item.*
*IV. Quiſnam hic ex pluribus cognominibus.*
*V. Muſonius Babylonius Neronis tempore.*
*VI. C. Muſonius Rufus.*
*VII. Suidæ locus vindicatur, & exponitur.*
*VIII. Tertius Muſonius ſub Iouiano Imp.*
*IX. Plutarchus, Agrippinus Paconius, Seneca: Ratherius Veronenſis epiſcopus.*
*X. E nouioribus Franciſcus Filelphus, & Petrus Alcyonius.*
*XI. Diuerſum nos agimus, atque hi omnes.*
*XII. Ex Iuriſconſultis ſpeciales tractatus compoſuerunt Nellus de ſancto Geminiano, Bartoluſq;.*

POENAM exilij perantiquam, perque vulgarem, exilioque damnatorum conditionem, iuraque ob oculos poſiturus, operæ pretium duxi, ne quis laborem in re tam nota paſſiuaque exantlatum calumnietur, ſcriptorum catalogum, qui hac re ſuper, in omni memoria, quidquam ſunt commentati, in medium producere, vt palàm ſit, non multos, aut ne vix quidem aliquem nos habere, quem huius viæ ducem inſequamur; quantumuis plures hanc ferè ipſam argumenti appellationem, veteres, nouique auctores vſurpauerint. I.

In Græcia noti ſunt mihi Muſonius, & Teles ex Stobæi Eclogis, ſermone, quem II.

ne, quem ipſe inſcripſit περὶ ξένης, ſiue *De peregrina terra.* Teletem ibi aduo-
cat *de exilio* ſcriptorem : de quo nihil vltrà ſcio, quam in Photij catalogo
III. Stobæanorum ſcriptorum Τέλητος etiam nomen legi. Muſonium verò ex
quodam opere laudat, cuius lemma, & argumentum fuit, *Exilium non eſſe*
IV. *malum.* Inter tres Muſonios, quorum eſt in libris antiquis præcipua mentio,
age, quæramus hunc à Stobæo laudatum. Nec enim alium hoc ipſo no-
mine Neocæſarienſem epiſcopum huc aduoco, cuius in epiſtola LXIIII. D.
Baſilius meminit : aliumque multa doctrina virum, quem laudat Zoſimus
V. in v. Hiſtoriarum libro. Primus fuit Muſonius Babylonius, quem in Philo-
ſophia perfectiſſimum, & ab Apollonio Tyanæo ſecundum ſcribit Philo-
a Lib. 4. c. 16. & 21. ſtratus in huius vita : *a* vbi & detruſum narrat à Nerone Cæſare, propter
ſtudium peroſæ ſibi Philoſophiæ, in teterrimum carcerem, cùm Romæ de-
geret; eundem fortaſsè cum eo, quem ſe vidiſſe in foſſione Iſthmi vinctas
operas edentem, Demetrius & ipſe Philoſophus Apollonio affirmauit; eo-
b Lib. 5. cap. 6. dem teſte Philoſtrato *b.* Certè hic Muſonius Iſthmi foſſor ille ipſe eſt, quem
colloqui de hoc Neronis inſano propoſito Lucianus fecit (ſi non alius eſt
auctor) in *Nerone*, Dialogo. Quemque ſubindicari à Iuſtino Martyre in
Apologia priore pro Chriſtianis, & non alium aliquem, contra quem
Ioſephus Scaliger ſtatim citandus autumat, exiſtimo. Certè hunc lau-
dat in Procemio de Vitis Philoſophorum Eunapius; atque item Aulus Gel-
lius libro XVI Noct. Atticarum cap. I. Et inter Stoicos Philoſophos Muſo-
nium numerat Porphyrius in Photini vita : eiuſque ſapientiam Himerius
ante alias celebrat aliorum virtutes in laudatione funebri filiis ſui Rufini,
apud Photium in Biblioth. cod. 243.

VI. Alius fuit C. Muſonius Rufus, eodem tempore Romanus eques; qui
Muſonius & Muſonius Rufus, & C. Muſonius, diuerſis in locis nominatur
à Cornelio Tacito Libro XII. Annalium, & Libro XV. ( cui quidem Æſcu-
lapius fuit doctiſſimus ſcholiaſtes Lipſius ) Plinioque libro III. epiſtola XI.
Philoſophus & hic ſecundus Stoicus, quem Vitelliano æuo, & bello, etiam
tertiò producit Tacitus lib. III. Hiſtoriarum. Non enim interfecit hunc
Nerò : quem errorem Suidæ Lipſius attribuit, ſed in inſulam Gyaram non
Tyaram, vt falsò legitur, relegauit, auctore Philoſtrato libro VII. capite
VIII. diſtinguente iſtum nomine Tyrrheni à ſuperiore Babylonio. Confir-
mat exilium ſine vltimo ſupplicio Dio Caſſius lib. LXII. Crederemque Ne-
rone interfecto rediiſſe ; quo poſſet inter legatos eſſe Vitellij ad Anto-
nium Primum; niſi reuocatum à Tito ſcriptum reliquiſſet in Chronico Eu-
ſebius. Ambigua res; & quæ ad conſtituendos Muſonios duos ciues Ro-
manos, Ioſephum Scaligerum, dum in hunc Euſebij locum commentare-
tur, induxerit. Planè, ſi vnus, atque idem eſt, poſt reditum, à Neronis mor-
te, incurrit, iterùm profeſſionis ſuæ cauſa exeundi Vrbe periculum, niſi
exceptus fuiſſet. Nam Veſpaſianus omnes Philoſophos procaciter de ſe
loquentes, præter vnum Muſonium Roma expulit, vt & Ioannes Xiphili-
nus, ſeu Dio potius, & Ioannes Zonaras in Veſpaſiano referunt. Attamen
eiectum ipſum poſthac, ea vel alia cauſa oportet, vt iterum indulgentia
Titi Imperatoris, quod ait Euſebius, reuerteretur.

VII. Nos interim remoueamus, ſi potis eſt, à Græco Grammatico Suida,
d Ignorationis hiſtoria. quam immeritò collegit penes Lipſium. V. C. ἀνιστορησίας *d* inuidiam. Bis
meminit Suidas iſtius Muſonij; in Μουσώνιος, & in Κορνοῦτος. Primo loco ait
Vulſinienſem fuiſſe ex Volſinio, ſiue Volſinienſi vrbe, quam vocat Ethru-
riæ caput Valerius Maximus. Eapropter Τυῤῥηνὸν, *Tyrrhenum* appellauit Phi-
loſtratus, & Tuſci generis Tacitus. Inde facit Apollonij diſcipulum, au-
ctoremque illarum epiſtolarum, quas Philoſtratus priori tribuit Babylonio.

Hoc

Hoc ſaltem falsò Suidas; nam diuerſi prorſus; alter Aſſyrij, aut Ægyptij, alter Italici ſanguinis. *Hic* (deinde ait) *propter nimiam in dicendo, & in arguendo, libertatem*, ὑπὸ Νέρωνος ἀναιρεῖται. Quod repetit in Κορνοῦτος eodem verbo. *Romæ* (inquit Suidas) *vixit ſub Nerone* (Cornutus) καὶ ὑπὸ αὐτοῦ ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ. Interpres, minus recte, vt credo, interpretatus eſt vtrobique: *A Nerone interficitur*, & poſteà; *Ab ipſo vna cum Muſonio interficitur*: cum ſic debuiſſet; *A Nerone damnatur*: & *Ab ipſo damnatus ſimul cum Muſonio*. Damnatio citra mortem propriiſſimè dicitur de Exilio: vel ſi placet, *pellitur, & pulſus ſimul cum Muſonio*. Ἀναιρέω eſt *ſubuerto, de medio tollo, expello, condemno*. vnde ψῆφοι ἀναιρέσιμοι, *calculi damnatorij*. Planè ex vero; nam & Aenneus Cornutus non vltrà quàm miſſus fuit in exilium à Nerone, vt Dio Caſſius refert in fine libri LXII. poſt factam paulo antè mentionem de Muſonij damnatione; item Euſebius in Chronico, Anno 2083. & Ioannes Antiochenus in Hiſtoria ab orbe condito, quæ deperdita eſt, hoc tamen fragmentum & alia reſeruauit Conſtantinus Porphyrogeneta, ſiue qui iuſſu illius excerpta de Vitijs & Virtutibus in vnum collegit. Et nonne ſui ipſius interpres Suidas eſt? Audi quid infra notet de Muſonio. Ἐπεμέλετο γὰρ βαρῶν ὁπηνίκα φυγὴν αὐτὸν ἐπέταξε Νέρων. id eſt. *Curam enim habebat murorum, quando eum Nero in exilium abire iuſſit.* Porro hic ipſe Muſonius quoniam huic muneri præerat curandarum munitionum ſiue murorum, Templo, & Hieroſolymis dirutis aratrum iuſſus fuit inducere: quod Hebræi in Talmud commemorant, hominem appellantes Turanum Rufum; *pag. 812.* quem eundem cum noſtro cenſet Scaliger proximè citatus.

Tertius tandem fuit Muſonius ſub Iouiano Imperatore; cuius in gerendis rebus eximia ingenij dexteritate vſus is qui tunc Aſiæ præerat, magnam vim tributorum ab ſponte conferentibus populis collegit, eodem Suida teſte. Hic etiam Aſiæ Vicarius fuit Valentiniani imperio; Magiſterque anteà Rhetoricus Athenis: per inſidias Iſauricorum prædonum obtruncatus, quod refert libro XXVII. Ammianus Marcellinus. Et nonne Græciæ quoque Proconſul? nam in Muſonij cuiuſdam Proconſulis Græciæ laudem ſcripſit olim orationem quandam Himerius Sophiſta huiuſmet æui, quam Photius vidit, retulitque in Theſaurum Bibliothecæ ſuæ. En tres eiuſdem nominis: vltimum Rhetorem; duos priores Philoſophos. Cuinam tribuemus opuſculum de exilio? Caiône qui calamitati ſuæ occineret hoc ſolatio? Non puto; etiam ſi auctorem eum Suidas credat, orationum, & epiſtolarum, quæ ſuo tempore circumferrentur, Philoſophicarum. Sed illi Babylonio, ſiue Aſſyrius fuit, ſiue Ægyptius: cui velim adiudicentur vnà omnes libri apud Stobæum ſub hoc nomine hominis. Nam neque Stobæus vtitur vnquàm Latinis ſcriptoribus: neque fragmenta illa ſapiunt Romanam manum: nuſquam etenim exempla hic auctor aduocat Romana virtutum, quæ aliàs Italo homini præſto eſſe poterant, inter tot laudes Græcorum. Atqui horum fragmentorum ſcriptor inter exules numerat ſe, hoc ſermone Stobæi περὶ ξένης. Nimirum vinctus fodiebat Iſthmum ille Babylonius; vt docuit nos Philoſtratus. Atque ego nimis iam ſum prolixus. Perſequamur alios exilij encomiaſtas. VIII.

Maximus in his eſt Plutarchus qui libellum ſcripſit, vel nunc ſuperſtitem, περὶ φυγῆς. Dionis item Pruſſenſis orationem legimus, legitque olim Photius eadem inſcriptione, ſed vix eodem argumento. Inter Latinos recipi iure poteſt Agrippinus Paconius, propter Epicteti hæc, quæ Stobæus laudat ſermone VII. De Fortitudine. Οὗτος δ' ἔφη ὁ ἀνὴρ τοιοῦτος ἦν ὥστε τῶν συμβαινόντων ἀεὶ ἑαυτῷ δυσκόλων, ἔπαινον γράφειν· εἰ μὲν πυρέττοι πυρετοῦ, εἰ δ' ἀδοξοῖ ἀδοξίας, εἰ δὲ φεύγοι φυγῆς. id eſt, *Hic etiam talis vir erat* (Agrippinus) *vt quod ei accidiſ-* IX.


*ſet*

*ſet malum, eius encomium ſcriberet, ſi quidem febriret, febris; ſin notaretur infamia, infamiæ; ſi exularet, exilij.* Atqui exulaſſe eum iuſſu Neronis auctores ſunt Tacitus libro Annalium XVI. Arrianuſque Epicteti enarrator lib. I. cap. I. Inter Libellos Lucij Senecæ palmam defert Lipſius illi qui ſolatium continet ſuæ in Corſicam relegationis ad Heluiam matrem. Sequioris temporis Ratherius Epiſcopus Veronenſis eſt: de quo hæc Luitprandus in fine libri III. De Rebus Imperatorum & Regum. *Quo diſcedente, Hugoni Regi mox ciuitas redditur: & Ratherius eiuſdem ciuitatis epiſcopus ab eo captus Papiæ exilio relegatur: in quo facetâ ſatis vrbanitate de exilij ſui ærumnâ librum componere cæpit. Quem ſi quis legerit, nonnullas ibi hâc ſub occaſione res expolitas inueniet, quæ legentium intellectui non minus placere poſſint, quam prodeſſe.*

X. Inter nouiores præcipuum habeo Franciſcum Philelphum, cuius Florentinarum (vti appellat) de Exilio commentationum pro exulibus Florentinis à Coſmo Medicæo, atque eius factione eiectis, conſcriptarum, Vitalianoque Borrhomæo nuncupatarum, libros tres ex Martini VaſquI Siruelæ amici noſtri alio loco à me laudandi Bibliotheca, quam Hiſpali copioſiſſimam poſſidet, ad manus habui, quum hæc ſcriberem: in ſchedis nempè manu exaratis; fortaſſe ad hoc tempus ineditos; ſiquidem in albo Philelphi operum, quod proponi ſolet vnà cum vita illius, deſiderantur; attamen ab auctore ipſo in epiſtola quadam ad Antonium Metallum, & alia ad Ioannem Olzinam, decimo ſexto libro epiſtolarum, quæ quidem ipſæ editæ ſunt, memoratos. Deinde ſuperiori ſæculo *De exilio* duos libros edidit Petrus Alcyonius Italus, Venetiis excuſos apud Aldum anno MDXXII. quibus editis, eruditionis & eloquentiæ famam in vertendis aliquot Ariſtotelis libris olim vulneratam adeò ſuſtentauit, vt ex libro Ciceronis *de Gloria*, quem nefaria malignitate aboluiſſet, multorum iudicio confecti crederentur, vti Iouius refert in Elogiis.

XI. Hi ſunt, qui de exilio ſcripſerunt partim deperditi, partim ſeruati. Omnes autem hoc agunt vt totis Rhetoricæ artis, & Philoſophicæ doctrinæ viribus perſuadeant certum eſſe axioma iſtud, *inter calamitates non debere recenſeri exilium*; imò quidquid boni & beati alumnis ſuis conferunt ſtudia ſapientiæ, atque animus rectè compoſitus, eidem ſubſignent. In quo genere multam laudem meretur Dionis Caſſij oratio, Philiſci cuiuſdam Græci nomine ad Ciceronem exulem conficta, XXXVIII libro Hiſtoriæ. Pertinent & ipſe M. Tullius lib. V. epiſt. XVII. & XVIII. argumentiſque ſolidioribus Chriſtianæ ſapientiæ rem gerens, S. Ioannes Chryſoſtomus epiſtola quadam ex Cucuſſis, vbi exul degebat, Cyriaco etiam exuli epiſcopo: & S. Gregorius Nazianſenus alia ad Euſebium: Diuus etiam Hieronymus epiſtola ad Virginem in exilium miſſam. Periit quidem è ſcriptis eccleſiaſticis (vti affirmat Hieronymus idem in Catalogo) Dionyſij Alexandrini epiſtola *de exilio* ad Alexandrinam eccleſiam ſcripta.

XII. De vno, quatenus Iuris res eſt exilium, ex ordine Iuriſconſultorum ſcriptore, monendi poſteriore loco ſumus. Hic eſt Nellus quidam de Sancto Geminiano Italus homo, qui *de Bannitis* (hoc nomen barbaro æuo ſuccenturiatum eſt Exulum Latinæ appellationi) Tractatum diligenter, doctèque, vt captus erat illius ætatis, edidit: quem quidem inter multiplices Doctorum Tractatus ad manum hodie habemus. Attamen ab huius commentario, & ſcribendi ratione tam noſtra hæc diſtant, vt nec temerè argumentum tractare me à nemine alio per omnes ſuas partes quomodocumque luſtratum, nec ambitioſè poſſim iactare. De vno, inquam, Iuris auctore: nam Bartoli Pragmaticorum Coriphæi Tractatulus *De Bannitis*, breuior eſt, quàm vt illaudatum eum relinquere piaculum ſit.

CAPVT

# CAPVT SECVNDVM.

## De Exilij orthographia, etymo, diffinitione.

I. *Exſilium an exilium ſit ſcribendum.*
II. *Origo nominis: exſilium à ſolo; extorris quaſi exterris.*
III. *Græcorum* φυγὴ *&* ἐξορισμός.
IV. *A Verbo Græco* ἐξίλλειν *fortè dicitur exilium.*
V. Ἐξούλης δίκη. *Vnde vi interdictum.*
VI. *Parthi ab exilio nomen acceperunt.*
VII. *Exilij diffinitio.*
VIII. γλῶ περὶ γῆς. *Prouerbium.*
IX. *Exilium ignominioſum.*
X. *Vtique ſi irrogetur in pœnam delicti.*
XI. *Exilium calamitatis ſæpè nomen, non turpitudinis.*
XII. *Exilium dicitur de quauis abſentia ſine noxa.*

PRiuſquàm definiamus exilium, petenda ſunt aliqua è Grammaticis; emendata ſcriptura, & verbi origo. Exſilium dicas, aut Exilium deducto, s, non ſine auctoritate veterum recentiumque ſcriptorum Orthographiæ, vtraque pars erit. *Exſolo* etenim *Exſilium* rectius dici, contendunt Scaurus in Libello de Orthographia ad Theſeum, & Caper Grammaticus; Cornutus item, & Cæſſelius apud Caſſiodorum: quibuſcum conuenit, è recentioribus, Aldo Manutio *a*, & Gerardo Voſſio *b*. Lectio altera Priſcianum habet aſſertorem in primo libro: placetque Læuino Torrentio in commentar. Horatiano, *c* item Camerario, Corradoque, quos memorat Voſſius. Ruſus *Exilium* rectius ſit, an *Exulium*, non minore contentione partium quæritur. Interim mihi *Exilium* ſcribendi, & proferendi, auctorem ſeſe adprobat Lipſius; cuius exemplo minutiora hæc perſequi non puduit. I.

a *In Ortographia.*
b *Lib. 1. de Arte Gram.*
c *43. Lib. 2. ode 3.*

Planè à ſolo exilium dici cenſuerunt iam olim Nonius, Feſtus, Caper, Scaurus, S. Iſidorus, alij. *Et antiqui Exſoles dicebant*, ait Cæſſelius apud Caſſiodorum *d*. Quod confirmat Plauti Pſeudolus *e*. II.

Vt exſolatum ex pectore aufugiet meo.

Ita namque antiqui codices Lambini manu exarati. Exules eâdem analogia, *extorres ſunt*: ſcilicet *ex terra, aut extra terram eiecti* ſiue extra terminos, vt Nonio Marcello placet. Nos dicimus ſimili idiotiſmo, & quidem ſignificanter, *deſterrados*. Placidus Papinij interpres, *Extorris* (ait) *exul, quaſi exterris*. Aliis arrident aliæ originationes. A *terrore* videtur Diuo Iſidoro *f*. Budæus à *torre* deducit, *g* propter ignis antiquam interdictionem: quod & nonnuſquam probat Andreas Reſendius noſter.

d *De ortographia c. 10.*
e *Actu. 4. ſc. peiorem.*
f *Lib. 10. Origin.*
g *Annot. in Parnd.*

Græcis vulgata magis appellatio eſt exilij, φυγή. Eſt & Ἐξορισμός. Philoxeni Gloſſæ: *Exilium* Ἐξορισμός. *Exul*, φυγὰς, Ἐξόριστος. Cæſſelius, *Ex ſolo ire*, (inquit) *eſt exulare, quaſi exſolium, quod Græci* Ἐξορισμὸν *dicunt*. Alia ſunt Demoſthenis, Cteſiæque notata ab aliis teſtimonia. Habet etiam Atticus ſermo verbum Ἐξείλλειν, ab Ἐξειλλάω, ſiue Ἐξείλλω, quod eſt *expello, mitto in exilium*: ſiue Ἐξίλλειν: vtroque enim modo legitur in Suidæ libris. Poſteriuſque hoc, pro Ἐξείλλειν repoſuit Harpocrationis Lexico Andreas Scotus *h*: vti etiam eſt in Etymologico magno. Appianus in IV. ὁ δ' ἐσελθὼν (Brutus) ἔκτεινε III. IV.

h *Lib. 1. obſeruat. c. 11*

μηδὲν οὐδένα, οὐδ' ἐξήλασε. i. *Nec ſupplicio quemquam ingrediens affecit, nec in exilium egit.* Idemque eſt Harpocrationi, & Suidæ, quod ἐξείργειν, καὶ ἔξωθεῖν,
V. καὶ ἐκβάλλειν: *excludere, expellere, eiicere*: Vnde ἐξούλης δίκη, iiſdem dicitur, quæ actio Latinis eſt *Vnde vi interdictum*; cuius frequens etiam mentio eſt in Orationibus Demoſthenis. Viderunt plures ex priſcis Grammaticis: & ſunt teſtimonia Iſæi, Liſiæ, Dinarchi, & aliorum in Harpocrationis ἐξούλης. Poterant & Ariſtidis aliud laudare in παναθηναϊκῷ: Vbi hoc in præcipua laude Athenienſium ponit, quòd αὐτόχθονες, *vbique nati* eſſent, & ſemper incolæ; nec alia gens eis ἐξούλης δίκην, *Vnde vi interdictum*, de regione illa intendere poſſet. Ex hoc verbo, quod tam antiquum eſt in Hellade, non multum reſiſtam quærentibus exilij originem.

VI. Poſt Latinam verò, & Græcam huius pœnæ appellationem, nota dignum eſt quod apud Iuſtinum libro XLI. cap. I. de Parthorum nomine refertur: *Parthi Scytharum exules fuere.* (domeſticis, vti mox aduertit ipſe auctor, ſeditionibus pulſi.) *Hoc etiam ipſorum vocabulo manifeſtatur. Nam Scythico ſermone Parthi exules dicuntur*: quod ipſum docet Stephanus in παρθυαῖος. & Pompeio Trogo laudato Rudericus Toletanus Archiep. libro I. de Rebus Hiſpaniæ cap. XI. priorque eo Iornandes libro de Rebus Geticis. Græci aliò referentes etymon, nempe ἀπὸ τοῦ πορθεῖν deducentes, quod ſignificat eis vaſtandi & perdendi morem, ignoratione veræ originis lapſi videntur.

VII. Sed tempus eſt exilium definiamus. Scilicet *Commutatio loci* eſt *cum ignominia*, Senecæ verbis in conſolatione. *Videamus* (ait) *quid ſit exilium:*
VIII. *Nempe loci commutatio eſt.* Inde Prouerbium de Exulibus Græcum τὴν περὶ γῆς, *terram pro terra*: quo etiam vtitur Marcus Tullius Cicero in epiſtola quadam ad Atticum, præter Ariſtophanem, Alciphrontem, Lucianum in
IX. Eraſmi collectione. Statim Seneca. *Hanc commutationem loci ſequuntur paupertas, ignominia, contemptus.* Simillimè Dio Caſſius, & tantùm græcè reddita ſuperiore finitione Ἀποδημία τις ἄτιμος, *peregrinatio quædam ignominioſa.* Eapropter Homerus alicubi vocat exulem inhonorum, infamem; ἀτίμητον μετανάστην; de quo Oppianus I. Halieuticon.

ξεῖνον ἐν ἀλλοδαποῖσιν ἀπεικής ζυγὸν ἕλκων.

*Peregrinum inter exteros dedecoris iugum trahens.*

Quod ſciens Vlyſſes apud Ouidium, pro Achillæis ſpoliis decertans cum Aiace Telamonis, non contemnendam in eo generis ſui exiſtimationem ponit, quòd *neque in his quiſquam damnatus, exuluè fuiſſet.* Idem ſenſus fuit Romanis: nam Agrippina, quæ Vilitatem (aliis aliter placet) Burrho, eadem Senecæ obiiciebat, tamquam probrum, exilium: vt auctor eſt Tacitus *i.* Et Calliſtratus I. C. *conſumi exiſtimationem*, aut ſaltem *minui*, de exulibus vſurpauit.

i Lib. 13. Ann.

X. At verò exilio ignominiam, non in eo tribuo, vt ipſi rei, ſapientumque de ea iudicio præiudicem; ſed vt quamplurium exiſtimationem ſignificem; quæ non quidem rerum merita (vt ait Boethius) ſed fortunæ ſpectat euentum: nimirùm populi ſcita, quæ potiùs magna ex parte ſapientes abrogant. De quo opportunè monendi ſumus, propter Ciceronis optimam &
XI. decumanam ſententiam in Orat. ad Pontifices pro domo ſua. *Quid eſt enim exul?* (ait) *Ipſum per ſe nomen calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur eſt turpis? Reuera, quando eſt pœna peccati. Opinione autem hominum, etiamſi eſt pœna damnati. Vtrùm igitur peccato meo exulis nomen ſubeo, an re iudicata?* Quibus valde conſona ex Muſonio depromit Stobæus; & Tullij veſtigia relegentes L. Seneca, Dionis Philiſcus, reliqui. Iccircò ſui exilij dedecus patriæ impingebat Ariſtides. Interrogatus enim, quid maximè ipſum contriſtaretur

retur in calamitate fugæ ſuæ, τὸ τῆς πατρίδος ὄνειδος, inquit, *probrum* ſcilicet *& ignominia patriæ*, male propter damnationem eam audientis; Vti ex Serino quodam refert Stobæus, ſermone XXXIX. Pætus quidem Traſea peruicaciſſimus ille non magis Romæ quàm Iuſtitiæ Senator, Marcelli verbis apud Cornelium Tacitum Principi minitabatur potius quam deprecabatur à Principe ſuum exilium. Hiſtoriam continet Annalium liber decimus ſextus.

Quoniam exilium propriè ſignificat pœnam iudicio, ſeu damnatione impoſitam, peregrinationi coniunximus ignominiam. Audiunt tamen ἁπλῶς *k* Exules, quos calamitates aliæ, ſiue cauſæ abſentiæ in peregrino ſolo detinent ſine infamia ciuili aliqua, neque ob metum iudicij; ſed magis ad ingruentem labem diſcriminis vitandam, ſiue ob honeſtam aliam cauſam derelicta olim patria. Res breuiter exemplis confirmanda eſt. Cannenſis cladis reliquias mens inſederat, id ſuadente Metello, Italiam, ne in Hannibalem iterum incurrerent, deſerendi; auctoribus, Liuio, Valerio, Polybio, Oroſio, aliis: quibus concinit his in x libro Silius Italicus. XII.

k *late.*

Dux erat exilio collectis Marte Metellus,
Sed ſtirpe haud parui cognominis.

Etiam eius, qui vt patriæ prodeſſet, patria abiit, exilium vocat Libanius, declamatione XXVI. Callæſchrus ibi quidam filium monet, decedat tyrannide, quam in ciues ſuos exercebat, & in priuatum deſcendat: *at ſi hoc obtineri non poteſt* (infit) φύγωμεν φυγὴν καλὴν, *exulemus præclaro exilio.* Et quidem varias abſque ignominia abeundi cauſas recenſet in conſolatione ad Matrem Philoſophus Cordubenſis. Tandemque vel ij, qui peregrinandi ſtudio patriam reliquerunt, *mutare* dicuntur *exilio Domus*, à D. Ambroſio v. Hexaëmeron cap. x. Quare M. Ciceroni quinto libro Tuſculanarum, nil exilium à perpetua peregrinatione, quam ſponte ſuſceperunt plures animi cauſa, differre viſum eſt. Certè hac laxa acceptione bruta etiam animalia, quæ non vllum pœnæ aut ignominiæ ſenſum habent, exulare dicuntur, & exules audiunt maximè à Poëtis. Claudianus ſecundo in Rufinum, *Altorumque exul nemorum damnatur arenæ Muneribus*: Petroniuſque in Verſiculis ſatyræ proſaicæ pertextis: *Exul hiemis, Crotaliſtria, titulus tepidi temporis*; de Ciconia dixit.

CAPVT

# CAPVT TERTIVM.

## Exilium non rectè poni inter ſeruiles pœnas.

*I. Ad ſeruos non propriè pertinet exilium.*
*II. Aliquid enim grauius ignominia, atq; abſentia pati debent.*
*III. Nec deportatio.*
*IV. L. XII. §. IV. De Accuſat.*
*V. Nec pœna operis publici.*
*VI. Venuleius & alij I.C. pro exilio ſerui adducuntur.*
*VII. Verus ſenſus dictæ l. 12. §. 4. De Accuſationibus.*
*VIII. L. 2. D. Qui & à quibus manumiſſi, explicatur à Mureto.*
*IX. Et à Petro Fabro.*
*X. Relegatio propriè dicitur de pœna priuato iure impoſita, veluti à parente vel domino.*
*XI. Cæſareum Ius mitigauit antiquarum legum & Verborum rigorem.*
*XII. L. Vnica C. De Mulieribus quæ ſe ſeruis, exponitur.*
*XIII. Et L. 2. C. De ſepulchro violato.*

EX diffinitione propoſita colligere paratum eſt, ei dumtaxat exilij pœnam irrogari oportuiſſe, cuius aliqua eſſet exiſtimationis merces ignominiæ obnoxia. I. Proinde ad ſeruos non pertinuiſſe moribus, aut legibus Romanis exilium, (quod publica, non priuata coercitio eſſet) eò quidem tempore, quo antiquus & ſibi conſtans iuris tenor in reſponſis prudentum ſeruabatur, quotidie magis probo, & aliis miror non probari. Nec indigemus multis, vt res planiſſimè cognoſcatur ita eſſe. Nempe duo continet exilium, vt vidimus: abſentiam, ſeu peregrinationem, & infamiam. Vtrum putabimus ſeruo durum & pœnale? abſentiamne à conſpectu Domini? quæ quidem arctiſſimum ſeruitutis vinculum potiùs laxaret, aut ſolueret, quàm adſtringeret. An ignominiam? eius ſcilicet, qui ex ſua conditione hoc habet, vt ignominioſus, ἄτιμος, ἀκέφαλος, ſine capite, ſine perſona, tandem nullus ſit.

II. *Vt nactus eſt hominem* (pœna) *quem pudeat probri*! quod ferè ait Plautus in Truculento. Plane ſeruo qui capite nuſquam minuitur, aliquid grauius ignominia, & quod ſentiat, inurendum eſt. Alioqui vel ignominioſè dimiſſus placeret ſibi, tanquam à manu Domini; præmium vtique ferens, ac mercedem delicti, ſi pœnæ loco facta ei eſſet in poſterum ſui ipſius copia; & veluti mora in libertate conceſſa, quæ frugi, & innocenti familiæ vix aliquando permittebatur. Fateor, ſi hoc poſtremum non eſſet (miſſionem ſcilicet dare ſeruitutis relegationem) non ineptè coerceri potuiſſe hac pœna ſeruilem ſtatum, quantumuis ignominiæ incapacem: quia ferè vilioribus perſonis, quibus damnum famæ iniuria non eſſet, exilium irrogari debere, Honorius, & Theodoſius conſtituerunt in l. 11. C. Vt intra certum tempus crimin. actio term. ſeruique in hoc agmine viliorum perſonarum eidem regulæ ſubiiciuntur in l. 1. C. Theodoſiano, De habitu quo vti oportet in Vrbe. Attamen vtrumque coniunctim longè remouet à ſeruis hanc pœnam, quibus nec ignominia dedecori; & abſentia Domini compendio fuiſſet non obſcuræ libertatis.

Dices

Dices non tam liberum fore ſeruo relegato, vbi placuerit, manere. Quid enim ſi in inſulam ire iubeatur, non quidem loco interdicendus tantùm, ſed loco includendus? Quare Gregorius noſter Partitarum, hoc eſt Hiſpani Iuris ſcholiaſtes, alicubi *a* docet, relegationem non eſſe de numero ſeruilium pœnarum; eſſe deportationem. At vbi vbi ſtatuas, ſiſtaſque, liberaliter magis is verſabitur, quàm in domo, & in oculis Domini. Nudum ſcilicet pœna expulit, egenumque operas ſuas locandi, quo ſeruaretur; ſed conducticias, & liberales, non ſeruiles; non vlli Domino obnoxius, aut Iliadi malorum, & calamitatum, quas Comici ſerui deplorant. Potuit ſanè multis, quibus contigiſſent ἔνδουλοι ſiue ἔνοικοι (Vt Græci loquebantur) hoc eſt *indulgentiores Domini*, vel ipſa libertas domeſtica ſeruitute durior eſſe, propter paratum domi alimentum, nec multum laborioſam ſeruiendi conſuetudinem. Ideo nimirum Arrianus Epicteti enarrator quendam finxit *b* nuper libertum hodiernam conditionem vitæ lamentari, qui vnde ſe aleret, non habebat; deinde etiam antiquam, ſed ſaturam, & abundantem votis expoſcere ſeruitutem. Facetè ad rem Eubulus Comicus III.

a In leg. 10. ſcholio 1. tit. 1. Partita 7.

b l. 3. c. 26.

> Πολλοὶ φυγόντες δεσπότας ἐλεύθεροι
> Ὄντες πάλιν ζητοῦσι τὴν αὐτὴν φάτνην.
> *Qui ſe fugitiui geſſerunt pro liberis*
> *Multi recurrunt priſtina ad præſepia.*

Sed extraordinaria hæc ſunt, & citra captum Iuris, quod non de iis ſcriptum eſt, quæ nonnuſquam, ſed de iis quæ magis communiter accidunt: & licet alicui futurum fuerit graue à domo Domini exilium, tolerabiliorque ſeruitutis conditio quam abſentia, ne quidem iſti paratam fuiſſe hoc genus pœnam, moribus antiquis contendo.

Iam, ne erubeſcamus filij Iuriſconſultorum, paratam habet Iuris auctoritatem Venuleius Saturninus. Hic pecuniariam pœnam, vel capitis in ſeruum non cadere, opportunè adducto relegationis exemplo, his verbis monet. *Idem dicendum eſt de cæteris legibus, in quibus pecuniaria pœna irrogatur, vel capitis, quæ ſeruorum pœnis non conuenit, ſicut relegatio.* l. XII. §. IV. D. De Accuſationibus. Capitis pœna eſt, quâ quis, vel integra fama, vel ciuitate, aut libertate *capite minor eſt*, vt Horatius loquitur: quo ſenſu etiam leniſſimum exilium relegationis, audiebat olim *capitalis*; ſaltem, *capitis pœna*. Et admoueamus ex Iure, ſimilitudinis coniecturam quandam: magis diſtat à ſeruorum conditione relegatio, quam operis publici mancipatio: quippe in hac ſeruilis officij neceſſitas mutaret tantum in alium laborem operis publici faciendi; at in illa palam, & omnino relaxaretur. Atqui etiam opus publicum lenioris conditionis viſum fuit, quam vt in ſeruos caderet. Scio dictum ab aliquo, pœnam operis publici ſeruo non irrogari, quia non diſſimilis eſſet pœna hæc ab illa deportationis, l. III. IV. V. C. de Pœnis l. XVII. §. I. D. eodem tit.: incongrueque animaduerſum iri in ſeruos, ſi pœna eis, quæ maximè continet minutionem capitis, imponatur. Sed quod in opere perpetuo ſic ſolidè tractatur, de opere temporario concedatur nobis neceſſe eſt; ſtatum non pertingere; quod reſcripſerunt Seuerus, & Antoninus in l. VI. C. ex quibus cauſis infamia irrog. Quare ergo eam pœnam, quæ non tangit ſtatum, à ſeruo conſtanter remouet Papinianus in l. XXXIIII. D. de Pœnis? *Seruus* (ait) *in opus publicum perpetuum, ac multo magis temporarium non datur.* Niſi quod honeſtior pœna viſa hæc fuit, quam vt merito & ſeruili ſupplicio afficeret ſeruos: ideoque nec perpetuo, nec in tempus temporarium (quomodo loquitur Papinianus) data conuenit ſeruorum conditioni. IV. V.

Sed inficiantur magni nominis interpretes; & vt ſeruorum aſſerant exilium, VI.


lium,

lium, etiam reducere ad partes ſuas Venuleium non ſine acumine adnituntur. Ij ſunt duo Galli doctiſſimi, quos honoris cauſa ſemper nomine, Barnabas Briſonius *c*, & Iacobus Cuiacius *d*. Et prior ille Ioannem laudat antiquiſſimum interpretem; quibus validè ſuffragatur Marcus Lyklama Friſius *e*, cuius opus Membranarum in ea Prouincia non diu recoctum eſt. Et quidem ſi conditio ipſa ſeruorum, & exilij natura non tam male inter ſe conuenirent, teſtimoniis planè fortiſſimis veterum oppugnamur. Duo ſunt inferioris ſæculi: alterum nempe Conſtantij reſcriptum eſt in Cod. Iuſtiniani, l. II. de ſepulchro violato: alterum Conſtantini ſanctio quædam in Theodoſiano l. x. De Mulieribus quæ ſe ſeruis propriis coniunxerunt. Vtrobique mentio fit relegati ſerui. Deinde aliud in Digeſtorum collectione, Vlpiani in l. II. D. qui & à quibus manumiſſi &c. *Seruo* (ait) *competere libertas non poteſt, ſi relegatus moratus ſit in vrbe.* Tandem contenti non ſunt, niſi noſtra caſtra adoriantur, & iugulum nil minus noſtrum petant; Saturninum ita explicantes; *vel capitis quæ ſeruorum pœnis non conuenit, ſicut relegatio* conuenit. Et ſic pœnam capitis ad deportationem referunt, (de quarum, deportationis, & relegationis differentia ſuo loco dicendum nobis eſt) quæ quidem, aiunt, ſeruilis pœna non eſt, ſicut relegatio eſt. Ita præter laudatos Treutlerus. Volum. I. diſput. III. quæſt. XIV.

*c Lib. ſing. ad Leg. Iuliam de adult.*
*d Lib. I. qq. Papin. l. I. de Curt. reor.*
*e Lib. 2. ecloga. 10.*

VII. Singula hæc ſi examinemus, controuerſiæ modum imponet hoc caput. Imponunt equidem (vt primo loco vindicemus Venuleium noſtrum eſſe) quando huius verbis accommodant ſenſum, non auctoris, ſed ſuum; quo validiſſimum exaduerſo hoſtem declinent. Potiorem ſententiam acceperunt iam, ſuique Iuris fecerunt Græci, quam iſti nunquam frangent. Sic Baſilica libro LX. Tit. XXXIV. Ἐν πᾶσι δὲ τοῖς ἐγκλήμασι κατηγοροῦνται οἱ δοῦλοι, χωρὶς τῶν περὶ βίας χρηματικῆς, καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν χρήμασι. ἢ ἐν ἐξορίᾳ τὴν κατὰ δίκην ἐχόντων. Hoc eſt, verbis ipſiuſmet Cuiacij. *Omnibus vero criminibus ſerui accuſantur, præterquam de vi priuata, & aliis, quæ pecuniæ, vel relegationis quæſtionem habent.* Quod ipſum & ſcholia agnoſcunt, ſolida ex ratione; quæ in defectum Iuris ſcripti, pro eo valuiſſent, *Relegationis enim* (ait auctor ille) *quæ cura ſeruo extorri ſuæ patriæ, & relegationem pro ſeruitutis remiſſione habenti?* Et audebunt amplius Venuleij ſenſum torquere, nec interpretari iuxta captum Græcorum; vnde alias obſcuris Romanæ diſciplinæ monumentis, quæ in Digeſtorum & Codicis collectione ſunt, ſæpiſſimè lucem immittunt? Profecto nefas fuerit, nec Latinis fidere, nec Ex-Latinis. Sed opus eſt diſſoluere obiecta.

VIII. Difficilis quidem, & vt ita dicam, Hercules aduerſariorum eſt Vlpianus in D. l. II. D. Qui & à quibus manum &c. Huic tamen trifariam reſiſtunt alij duo Galli, eximij viri, Marcus Antonius Muretus *f*, & Petrus Faber *g*, lumina litterarum. Prioris acumen non probo. Nempe ait: *ſeruo competere libertas non poteſt*, ab eo data, qui & quo tempore, propterea quòd relegationi non obtemperaſſet impoſitæ, in duriorem deportationis pœnam inciderat: quia ius ita ſcriptum eſt contumacibus in l. IV. D. de Pœnit. Deportatus autem, hoc eſt, vt ferè ſolet, ſpoliatus ſuis facultatibus fruſtra ſeruum fiſco iam acquiſitum manumiſiſſet, L. II. D. De Interd. & releg. Hæc Muretus. Sed cùm de ſententia deportationis quæ neceſſario pronuntianda fuit à iudice, vt rerum ſuarum vſus deinde non conſtaret contumaci, ne verbo quidem Vlpianus ſignificet, liceat nobis diuinationem ſuam Mureto remittere: neque enim relegatus Vlpiani, quo ſenſu ille hunc accepit, talis eſſe ſtatim debuit, cuius contumacia plecteretur deportatione: quoniam ad deportationem, non à quauis relegatione, ſed ab ea tantùm, quæ perpetua eſſet, inſulæque, gradum conſtituerunt Romanæ leges, vt ſuo loco dicemus.

*f Lib. ſing. Anim. Iuris. c. 2.*
*g Lib. 2. Semeſt. c. 5.*

Propiùs

Propiùs ad ſcopum collimaſſe mihi videtur Petrus Faber. Is primò Vlpianum interpretatur de ea ſerui venditione, cui dicta lex de more fuerat, vt exportaretur: de qua integer titulus in digeſtis, *De ſeruis exportandis*, item alius in Codice. *Si ſeruus exportandus veneat.* Vt ſit eadem hæc ſententia Vlpiani atque illa Alexandri ſui Imperatoris in l. III. C. proxime laudato titulo. Nam & ſeruo, qui ex lege venditionis exportari extra prouinciam debuit, ſi manumittatur antequam legi obtemperatum ſit ab emptore, libertas non competit. Latine autem, nec inſolenter dicitur *relegatus*, de relegari, ſeu exportari iuſſo: vt *exportatus lege venditionis*, is dicitur qui exportari debuit in l. I. C. eodem titulo. Supereſt comprobemus relegationem non minùs propriè dici, quæ à priuato imponitur. Moribus Romanis recepta fuit œconomica & priuata quædam relegatio, qua in moleſtam aut nocentem familiam priuato iure animaduertebatur: Nimirum vt Pater filium è conſpectu ſuo remoueret; Dominus item ſeruum operis ruſtici cauſa in agrum amandaret. Filiorum exempla multa collegerunt Faber, & præter eum Cuiacius lib. I. obſeruat cap. XXIII. Remque totam egregiè tractat D. Ioannes Suarez de Mendoça Indico-Hiſpalenſis nunc Prætorij Iudex, vir moribus antiquis, totiuſque vetuſtatis, ac ſcientiæ Iuris, præcipuè eius, quod ad rempublicam ſpectat, peritiſſimus, mihique familiari multi temporis conſuetudine, ac mutuis officiis coniunctiſſimus; in commentario ad legem Aquiliam lib. II. cap. II. ſectione II. Confirmat morem Artemidorus lib. ὀνειροκριτ. cap. XXI. εἰ δὲ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα δόξοι τις περαίνειν, φυγὰς ἔσται τῆς ἑαυτοῦ ἢ πρὸς τὸν πατέρα εἰς χώραν κατασταθήσεται. i. *Si quis videatur ſibi patrem ſuum inire, fugitiuus erit à ſua patria; aut à parente in aliquam regionem relegabitur.* In ſeruis iure laudatur Vlpianus in l. XXXV. §. III. D. de Hered. inſtit. Tertullianuſque ex cap. IV. Apologetici. *Nonnulli de vtilitatibus cum odio iſto paciſcuntur*, (ait) *dum ne domi habeant quod oderunt. Vxorem iam pudicam maritus iam non Zelotypus, filium ſubiectum pater retro patiens abdicauit, ſeruum iam fidelem iam Dominus mitis ab oculis relegauit.* Quæ pœna, ſiue coërcitio iure priuato vſurpata liberto etiam contingebat. *Quid enim aliud* (aiebat ille in Senatu) *læſo patrono conceſſum, quam vt viceſimum vltra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?* auctore Tacito lib. XIII. de quo loco & more pluribus agitur nobis in *Liberto*, noſtro, ſeu *de Libertis* Tractatu, qui iacet in ſchedis MSS. forſan aliquando in libertatem publici vſus aſſerendo. Vides vt relegationis nomen, & pœna in priuata, & domeſtica vſurpatur cauſa? Sed aliam viam Faber hac aperit, in quam tuto nos immittere non minùs poſſumus. Relegatus ſeruus (inſit) ille eſt, in Vlpiani Regula, cui à Domino dictum fuerat hoc exilium in publicas operas: cui quidem (en Vlpiani ſententiam) etiamſi moretur in vrbe, non eò quòd inter vrbanos ſeruos reperiatur, libertas competet vrbanæ familiæ relicta. Multa ille vir eruditiſſimus ad rem adducit. Varias deinde huius legis explicationes alij afferunt. Tam non difficile eſt hunc Herculem debellare. X.

Stant adhuc pro contraria ſententia Conſtantinus & Conſtantius: propter quos maximè admonui iam ab initio, regulam eius temporis conſtituere me, quo prudentes illi qui publica auctoritate de Iure reſpondebant, conſtantem & perpetuam, propriamque rerum & Verborum Iuris naturam, & notationem ſequebantur: æui ſcilicet Iuriſconſultorum Papiniani, Pauli, Vlpiani, quorum ſcripta *Ius vetus*, ſiue *antiquum*, & *antiquas leges* appellat pluribus locis Iuſtinianus. Quæ via paulatim cùm Imperij declinatione cœpit infrequentior eſſe: rerumque Domini Auguſti Imperatores rigorem illum, & conſtantiam ſcriptæ ciuilis diſciplinæ, conſueuerunt, tanquam nouo quodam iure Reſcriptorum, mitigare, & laxiùs habere: vt XI.

vix regulis olim intimatis ſequuta conueniant Imperatorum reſponſa:
XII. quod exemplis confirmat Faber huiuſmet pœnæ exilij, & operis publici,
in l. I. & IV. C. Theodoſ. De habitu quo vti oportet in vrbe. Porro alio et-
iam modo poteſt fieri ſatis Conſtantini ſanctioni, quæ eſt de mulieribus
quæ ſeruis ſuis coniunxerunt, morte cum iiſdem puniendis. Cauit tamen
non ita ſeuerè de iſtiuſmodi coniunctionibus quæ iam eſſent, priuſquàm
lex proponeretur. *Ante legem nuptæ* (Vides & hîc inſuper habitam Verbo-
rum Iuris proprietatem, nam cum ſeruis nuptiæ non ſunt) *tali conſortio ſe-
gregetur, non ſolum domo, verùm etiam Prouinciæ communione priuata amati ab-
ſentiam defleat relegati.* Quis non videt relegationem mulieris eſſe, quæ pœ-
nam merebatur turpiter habiti ſerui: de ſeruo autem nihil conſtitui, cuius
obſequij neceſſitas etiam inhoneſta, nondum hac lege lata, excuſabatur?
Simile exemplum præbet, quo adiuuatur egregiè hæc interpretatio, liber
Imperatorum Leonis & Conſtantini Græcus, quem cum aliis edidit Leun-
clauius. Abſtineo nunc Græcis. *Si quis* (ait) *vxorem habens cum ancilla ſua
conſueuerit, re cognita auferri ea debet à Præſide loci, & extra Prouinciam ab illo
diſtrahi, pretio in fiſcum inferendo.* Tit. XXVIII §.XIX. Puto, ibi non tam pœ-
na irrogatur ancillæ quàm Domino: ſiquidem is pretio mancipij, & man-
cipio ipſo quo futuri temporis honeſtati conſulatur, carere iubetur: ancil-
læ autem in alia Prouincia diſtractio, innocentis matrimonij cuſtodia eſt,
magis quàm præteritæ coniunctionis pœna, ſiue relegatio. Seruus ergo
dicitur ab Imperatore relegatus, quia cum domina vetitus eſſet ire in exi-
lium, quaſi diſiunctus, ſeparatus, relegatus ab ea, quæ relegaretur. Nec vi-
deo quapropter his non multum acquieſcat Faber: & tamen non repugno,
relegationem de alia pœna grauiori, & ſeruili, hoc eſt operis metallici, quo-
XIII. modo ſignificat in quadam Hiſtoria D. Clementis, accipienti.

Deinde Reſcriptum Conſtantij in l. II. Codice de ſepulchro violato,
confirmare mihi videtur id quod proximè dicebam, conniuere non ſemel
leges ad crimina ſeruorum, quæ tamen vrſiſſet auctoritas Dominorum
h. Hæc verba Reſcripti ſunt, quæ huc pertinent. *Si ſeruus in demoliendis ſe-
pulchris fuerit deprehenſus, ſi ſine Domini ſcientia faciat, metallo addicatur: ſin ve-
rò Domini auctoritate vel iuſſione vrgetur, relegatione plectatur.* Codex Theo-
doſij, pro *ſi ſeruus*, habet *ſi quis*. Ex quo Muretus non Dominum demolientis
intelligit, ſed ſepulchri. Non benè. Scilicet ex praua (vt credo) ſcriptura
illius codicis: nam iuſſio, & auctoritas planiſſimè ſignificant dominicam
in ſeruo poteſtatem. Certus ego ſum, alterutrum dicamus oportere, aut re-
legationem in eo reſcripto ad Dominum referri (quod quidem Faber ex-
cogitauit) quaſi tranſierit à ſeruo ad Dominum orationis contextus oc-
cultè, moreque Grammatico, quem haud ſemel noſtri ſeruant: aut idcirco
irrogatam ſeruo relegationem, hoc eſt abſentiam à Domino, vt is ſeruo pri-
uaretur, cuius miniſterio in loca religioſa ſæuierat; magis quàm vt idonea
pœna ſeruilis conditionis relegatio videretur. Credimus interim Lyklamæ
(quò ſerui teneantur Iulia lege de Adulteriis, vt expreſſum eſt in l. V. D. de
Accuſat. & l. XXVII. in principio & fine. D. Ad Leg. Iul. de Adulteriis) pœ-
nam huius legis non relegationem, ſed ſeueriorem aliam fuiſſe, de quo mul-
tis tractat ille primâ retro eclogâ ad eam, quæ laudata eſt initio huius quæ-
ſtionis.

h L. 2. De Noxal. act. l. 157. De Reg. Iuris.

CAPVT

# CAPVT QVARTVM.

## Exilium pœna omnium antiquiſſima, nuſquam non ductu ipſo naturæ vſurpata.

*I.* *Exilium prima omnium pœnarum, & à natura ipſa dictata.*
*II.* *Patria enim cunctis chara.*
*III.* *Ψυχαγωγία, euocatio in patriam eorum qui peregrè deceſſiſent.*
*IV.* *Adamo exilium irrogatum.*
*V.* *Animam in corpore tanquam in exilio eſſe viſum antiquis.*
*VI.* *Homines ſiue animæ humanæ à Deo peregrinæ.*
*VII.* *Mors exilium animæ à corpore.*
*VIII.* *Angeli rebelles exilio damnati.*
*IX.* *Caini pœna exilium.*
*X.* *Nod. Geneſis* IV. Ναὶδ *vrbs.*
*XI.* *Commoda patriæ, incommoda peregrinationis.*
*XII* *Barbaris etiam exilium in vſu.*
*XIII.* *Ante alias pœnas, & frequenter vſurpari cœpit exilium.*
*XIV.* *Non ſolum aduerſus priuatos, ſed & aduerſus vniuerſitatem & populos.*

QVid autem eſt ſubinde exilium, niſi pœna totius naturæ conſenſu ante leges, & ſcripta Gentium iura, cognita & approbata? Cuius quidem nutu, auctoritateque mores cunctarum nationum ferè in id iudicium conſpiraſſe, monumenta omnia vetuſtatis perſuaſum videmus ire. Grauiſſimum quippe damnationis genus (vt demas tamen, quæ ſenſu accipiuntur, & cruciatu corporis) perpetuo viſum fuit, ſi natale ſolum, vel quod loco natalis eſſet, habitationis nempe, ac domicilij, vertere ſontes iuberentur: quâdam enim non ſcripta, ſed nata lege, quæ intùs monſtratur hominibus, coaluit iam, ab origine ipſa naturæ, præcordiis noſtris amor, deſideriumque illius loci, qui nos primus naſcentes excepit, aut gremio deinde fouit. Nec homines tantùm, ſed & alia animantia, quæ ratione non vtuntur, iſtiuſmet Iuris peritia inſtrui, ac cenſeri quodammodo (vt phraſim vſurpem in eadem re, Iuſtiniani *a*) & ſignorum experimentis credimus; & præterea confirmat Oppianus lib. II. Cyneget. (margin: I. … II.)

> Οὐκ ἄρα τοι μούνοισι φίλη πάτρη μερόπεσσι
> Καὶ βαλίων δὲ πόθος τις ἐνέστακται φρεσὶ θηρῶν.
> *Non igitur ſolis cara patria eſt hominibus,*
> *Sed etiam rapidarum deſiderium quoddam inſtillatum eſt animis ferarum.*

Quoniam vt ipſe ait

> Στάζει ἐνὶ κραδίῃ γλυκερὸν γάνος.
> *Inſtillat in corde dulce gaudium*

Patrium ſolum: concreſcitque animis noſtris, & adhæret huius deſiderij ſenſus, μᾶλλον ἢ οὐχ ἧττον τῶν ἡνωμένων μερῶν συμπέφυκε, *magis, aut ſane non minùs, quàm membra corpori cui innaſcuntur*; vt Philo ait Hebræus in libello de Abrahamo. Piè, magnificeque, imò naturaliter ad hunc ſenſum Q. Sertorius poſt victorias de Romanis reportatas, miſſis ad Romanos Imperatores legatis, paratum ſe arma ponere, Romæque vitam agere priuatam renuntiaſſe dicitur: *malle enim ciuem ſe in patria eſſe obſcuriſſimum, quàm exulem cunctorum aliorum declarari Imperatorem*; vt Plutarchus in Vita eius refert. Huius quidem poſſeſſionis voluptatem adeò infixam nobis antiqui morta- III.

*a In principio Inſtitutionum.*


les

les crediderunt, vt non minus extra corpora, & ſenſum poſitis, aliquod pa-
triæ ſtudium, & charitatem conſignarent. Inde nata Græcis euocatio illa
in patriam animarum ſolennis; demortuorum nempe ciuium, vnde non
liceret in ipſam oſſa, & cineres eorum tranſportare; quæ quidem Etymo-
logo Magno, & Pindari ſcholiaſti ψυχαγωγία appellatur: de quo more vi-
dendus eſt præter eos, qui de Funeribus commentati ſunt, Deſiderius He-
raldus Aduerſariorum lib. I. cap. IX. Videorque mihi eodem ſenſu depre-
hendiſſe idem nomen in orat. quadam S. Nili, *De Chriſti Aſcenſione*, apud
b cod. 276. columna 1538. Photium *b*. Loquitur de Enoch, & Elia, & ait. Κατέχει τούτους ὁ πλάσης ἐν σώ-
ματι ψυχαγωγῶν τὴν ἐξόριστον φύσιν ὡς καὶ μετὰ τὴν ὑπερόριον φυγὴν πάλιν εἰς τὴν ἀθάνατον
ἐπαναγάγοι πολιτείαν. *Tenet hos creator in corpore, naturam exulantem euocans;*
*qui etiam poſt exilium iterum illam ſit immortalitati reſtituturus.* Andreas Scotus
V. C. vertit, *naturam exulantem conſolans*: ac melius fortaſſe. Nobis conie-
ćturam noſtram approbare aliis non eſt propoſitum. In Catalogo Bibliothe-
cæ Mediceæ reperio Franciſcum Filelphum de Pſychagogia quidquam
ſcripſiſſe. Ideò animabus ipſis veluti exilium tribuebant, quarum corpora
non tumulata eſſent in patria: quale eſt illud Lucani in fine VIII.

*Nondum Pompeij cineres, ô Roma, petiſti;*
*Exul adhuc iacet vmbra Ducis.*

Quòd ſi à naturâ taliter inſtructi ſumus, qui potuit non, priuſquam iura,
& pœnæ Iuris palam proponerentur, exilij hæc, quæ patriâ iubet ciues
decedere, iam tum nocentes terrere; ad manumque ſemper fuiſſe, quâ na-
tionum Iudices antiquiſſimè, Politiaque illa rudis, & exlex armaretur?
Profectò ipſam conditioni hominum accommodatiſſimam eſſe diuinum
confirmauit exemplum dictæ nuper ab orbe creato, atque irrogatæ pœ-
IV. næ. Æternus quippe naturæ artifex Adamum læſi numinis reum, non ſo-
lùm mortalitate, hoc eſt obnoxia morti vita, ſed etiam præſenti relegatione
damnauit. E Geneſis III. capite hæc ſunt. *Et emiſit eum Deus de Paradiſo vo-*
*luptatis*. Mox duriore verbo: *eiecitque Adam*. In Græco eſt ἐξέβαλε: quem &
citat locum Suidas in Ἐκβάλλω. *Qui eiicitur*. (ait Philo *c*) ἐς τὴν ἀΐδιον φυγὴν
c Libello de Cherubim & flammeo gladio. ὑπομένει. *perpetuum exilium ſuſtinet*. Seuerus Sulpitius in ſacra Hiſt. *Sed con-*
*ſtituti* (ait) *in Paradiſo, cum interdictam ſibi arborem deguſtaſſent, in noſtram vel-*
*ut exules terram eiecti ſunt*. Tertullianus ſimiliter aduerſus Marcionem lib.
II. cap. 2. *In ergaſtulum terræ laborandæ relegatus* &c. Appoſitiſſimè ad rem
S. Baſilius Homilia in aliquot Scripturæ loca. *Per illum* (diabolum hominis
primi expugnatorem) *ſentes, & tribuli; per illum ſudor*, καὶ ὁ τόπος τῆς ἐξορίας.
*& exilij occaſio*. Quo quidem Sapiens reſpexiſſe credendus eſt de Iuſtitia
originali & primo Adami ſtatu loquens, Sapientiæ cap. ſecundo. *Quoniam*
*Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit*
*illum*. Ioſephus, & aliqui Patres Græci in loco iſto Geneſis pro ἐξέβαλε, ver-
tunt μετῴκιζε, ſiue *alio tranſtulit*: nec diuerſa eſt Metoicorum, atque exu-
lum conditio Romanis nota; præſertim ſi non ſponte priores illi à ſedibus
ſuis in colonias euocarentur.

V. Et nonne animam ipſam mortalis compoſiti partem immortalem, in
corpore, tanquam in exilio, ad pendendas quorundam ſcelerum pœnas
detineri, antiqua perſuaſio fuit? Nempè quia Paradiſum, in Moſis hiſtoria
cælum putabant; Adamum, ſeu animum noſtrum inde fugatum Chaldæi,
Ægyptij, aliique Orientales Philoſophi interpretabantur. Vide ſis Augu-
ſtinum Steuchum de Perenni Philoſophia lib. IX. cap. I. & Marſilium Fici-
num argumento in Platonis Critiam. Reuera peregrinamur homines à
VI. Deo, dum in corpore viuimus; quod oraculum ex vero petitum tripode
ſcripſit Corinthiis Apoſtolus *d*; editum non minùs, multis retro annis ab
d 2 Cor. 5. eo,

eo, qui in Pſalmo trigeſimo octauo, *Remitte mihi* (clamabat) *quia aduena ego ſum in terra, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei.* Quare ſcitè, & ad rem Paulinus Epiſcopus Nolanus in epiſt. XXXVIII. Deum *omnium* hominum *patriam* appellauit *communem.* Non quia ſeparatæ olim animæ de cælo in corpora deſcendant, iiſque infundantur, eo quidem reuerſuræ, vnde natæ ſunt: vt ex antiquiſſimis Magorum oraculis, qui à Zoroaſtre prodierunt aliis, ethnicis perſuaſum me docet poſt alios Pleton in ſcholiis ab Obſopœo editis. Ex quo errore fortaſſe illa ſunt Aratæani Interpretis noſtri Auieni,

*Fontis in æterni primordia, quo velut amnis,*
*Quem feſtina citis vrget natura fluentis,*
*Lapſu continuo ruituræ in corpora noſtra*
*Prorumpunt animæ, ſeriemque per æthera nectunt.*

Sed quia creata ſimul cum corpore mens animi, eam propenſionem ad ſupera & cæleſtia, diuinitùs accepit, vt ex conuictu corporis, tanquàm ex peregrino ſolo patriam, ſic cælum contempletur, & expetat. Et de corpore ipſo Plutarchus in libello de exilio, conformatum ipſum huic animi ſui naturæ ac propenſioni conſiderans: *Homo* (inquit) *non planta eſt, terræ infixa, aut immobilis, ſed cæleſtis, cuius tanquàm è radice caput ſurſum erectum in cælum dirigatur.* Hoc planè ſenſu in quotidianis ad Diuam Virginem precibus, *exules* nos & *exilium* tempus, quo detinemur in corpore, appellamus. Sed VII.
alio reſpectu, & minimè ineptè, in corporis, & animæ diuiſione, quæ ſibi inuicem nata ſunt & aliquando in perpetuam vnionem replicabuntur, exilium contingere voluit Tertullianus, De Reſurrectione carnis cap. XL. *Caro* (inquiens) *quæ poſt exilium animæ, cadauer inſcribitur.*

Meminerimus etiam exilio ſuo conſtare damnationem Angelicæ natu- VIII.
ræ: de qua, dum Mathematica ſtudia inſectatur, hæc ſcribit idem Tertullianus. *Vrbs, & Italia interdicitur* (ait de Idololatria cap. IX.) *Mathematicis, ſicut cælum, & Angelis eorum. Eadem pœna eſt exilij diſcipulis, & Magiſtris.* Iam IX.
altera recentis mundi, *voluitur à primâ* Protoparentis, *quæ proxima.* Caini pœna ſimiliter exilium fuit. Primùm docuit Cainus, ὁ πρῶτος μαθητὴς τοῦ διαβόλου, *primus ille diaboli,* (vti appellat eum D. Baſilius in Homilia de Inuidia) *diſcipulus,* parricidium perpetrari poſſe; fratriſque armauit in fratrem impias manus. De quo Ioſephus I. lib. Antiquit. cap. III. pertexens Græca paraphraſi ſacram Geneſis hiſtoriam. Καὶ τῆς γῆς ἐκείνης (inquit) αὐτὸν ἐκβάλλει σὺν τῇ γυναικί. *expulitque ab ea regione illum cum vxore ſua.* Ex illo Geneſis IV. *Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra.* Quo verbo, & ſententia idem ſignificauit Claudius Marius Victor lib. II. Comment. in Geneſim.

*Nam profugum tantùm, atque extorrem ab vtroque parente,*
*Longiùs amandat, vaſtaſque relegat in oras.*

*Profugus* in Hebræo eſt *Nod*: Septuaginta ſapientes Ναὶδ tranſtulerunt: & X.
Ioſephus Ναίδα vrbem condidiſſe Cainum ſcribit. Philo Hebræus habitaſſe illum ἐν γῇ Ναὶδ, *in terra Naid.* Libello, inquit, de Cherubim. Quod autem mutauit Interpres Latinus, ex vera Hebraici verbi notatione eſt, nam (vt D. Hieronymus aduertit in Quæſtionibus Hebraicis) *Nod,* haud nomen eſt alicuius loci, ſed *profugus, oberrans* vtique ſonat.

Poſtquàm verò vitæ communis vtilitas palantes coegit, ac XI.

Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto
De nemore, & proauis habitatas linquere ſiluas, *Iuuen. Sat. 15.*
Ædificare domos, laribus coniungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limite ſomnos
Vt collata duret fiducia, protegere armis

Lapſum,

Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem:
Communi dare ſigna tubæ, defendier iiſdem
Mœnibus, atque vnâ portarum claue teneri.

*Reſque* (vt cum Cicerone loquar) *communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus, tùm conuenticula. quæ poſtea ciuitates nominatæ ſunt, tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus, inuento & diuino, & humano lure, mœnibus* homines *ſepſerunt*: iam eo tempore præter innatum patriæ amorem, etiam conuictus propinquorum ſodaliumque; ſacrorum, & rei publicæ communio, atque ipſe nexus intra eadem mœnia mutuæ conſuetudinis, & conuerſationis, adeò inter ſe ciues, atque vrbibus ſuis deuinxit; vt ſeueriſſimè agi cum eo crederent quem ſolum vertere, hi, qui ius dicerent, iubebant. Excipienda ſunt exilij diſpendia ab exulis ore. πρῶτον μὲν ἱερῶν, καὶ γένους χωρίζομαι καὶ πατρίδα ταύτην ἐῶ, καὶ τάφους προγόνων, καὶ μνήματα, καὶ δόξαν πατέρων, καὶ διηγήματα. Οὐκέτι τοῖς πατρῴοις θεοῖς, ἀλλὰ δαίμοσι ξένοις καὶ πλάνοις προσεύξομαι. *Primum quidem* (apud libanium declamatione XXX.) *ſacris & genere propinquis ſeiungor; & patriam hanc, & ſepulchra maiorum, & monumenta linquo, & gloriam parentum, & narrationes hiſtoricas non amplius patrios Deos. ſed Genios peregrinos, & errantes adorabo.* Conſonatque omnino Græcus Orator Antiphon, oratione XVI. *Neceſſe eſt* (inquit) *ſi aliquem condemnabitis, eum* εἴργεσθαι πόλεως, ἱερῶν, θυσιῶν, ἀγώνων. ἅπερ μέγιστα καὶ παλαιότατα τοῖς ἀνθρώποις. id eſt, *pellere ab Vrbe, à templis, à ſacris, ab ſpectaculis: quæ omnia apud homines maxima. & antiquiſſima ſunt.* Quibus germana eſt querela Ciceronis de malis exilij orantis pro domo ſua ad Pontifices.

XII. Et quidem compertum eſt, non exemplum aliquod politici, ac ciuilioris
populi, ſed naturalem, ac perpetuum miſeræ huius profectionis ſenſum,
ad hoc valuiſſe, vt barbaræ quædam ad Caucaſum gentes (ſi fides Strabo-
ni eſt lib. XI. Geographiæ) non vllius delicti pœnam capite, ſed tantùm ex-
XIII. tra prouinciam, vnà cum liberis ſuis, relegatione perſoluerent. Profectò
nec ſtatim interfici æquum fuit, membroúe mutilari leuiorum maximè cri-
minum reos: ſcilicet *non capulares*, quomodo vocari eos, qui capulo digni
eſſent, auctor eſt Fulgentius Placiades. Eapropter magno legum conſenſu
apud gentes omnes latiſſimè in iudiciis regnare cœpit exilium: quòd quia
ignominiam, plerumque etiam egeſtatem cum aliis peregrinationis in-
commodis contineret, vltimo dumtaxat ſupplicio, & ſi quod aliud acerbiſ-
ſimo ſenſu, & dolore viuentibus inuri conſueuiſſet, humanioris prudentiæ
XIV. captu, ac deſtinatione concedebat. Nec vnius tantùm hominis, ſed ali-
quando vel totius ciuitatis, aut gentis idonea pœna fuit exilium. Ne enim
funditus delerent, aut excinderent deuictos populos; queis tamen grauiſ-
ſimum aliquod citra mortem ſupplicium, ob ſcelera, vel patrata, vel quæ
timere ab eis victores poterant, irrogari æquum fuit, commutare ſolum,
alioque commigrare vniuerſam gentem iubere expeditum magis, & cle-
mentius viſum. Non arrogabo mihi hanc obſeruationem, aut moris exor-
nationem, contentus vnico exemplo Lyſandri Spartæ Ducis rem confir-
mare. Is poſt deuictos nauali claſſe apud Lampſacum Athenienſes, inter alia
geſta Samios vniuerſos exterminauit, oppidaque eorum exulibus conceſ-
ſit, teſte Plutarcho in eius Vita: Cuius æquitatem pœnæ agnouit Bartolus
in l. Aut facta. XVI. §. vlt. De Pœnis. Habemus certè nos proximum retro
exemplum Mauruſiorum Regni Granatenſis à Philippo Rege II. per varia
Hiſpaniæ loca, ne iterum eis rebellandi copia eſſet, diſperſorum: de qui-
bus ſcripta eſt l. XIX. Tit. II lib. VIII. Nouæ legum Compilationis: atque
item proximius aliud in eadem gente factum, quos omnes Philippus III.
pietatis cauſa extra limites Hiſpaniæ pepulit. Sed Romam accedamus
iam

iam nos, & antiquiſſimam exilij Romani vſurpationem, cuius cauſam hi libri maximè agunt.

# CAPVT QVINTVM.

## Antiquiſſima exilij in Vrbe exempla.

I. *Romani etiam à principio Vrbis hac pœna vſi.*
II. *Tarquinius exilium primus irrogauit: quod & paſſus fuit.*
III. *Tarquinij Collatini ab Vrbe eiectio.*
IV. *Exilium voluntarium quaſi perfugium reorum.*
V. *Pop. Romanus exilio reos mulctabat.*
VI. *Quando primum Romæ dati vades publici.*
VII. *Exilium reis ad manum Romæ in quibuſcumque cauſis.*
VIII. *In exilium abeuntes non euitabant pecuniariam damnationem.*
IX. *Camilli exilium, & mulctæ irrogatio.*
X. *Tota ratio exilij voluntarij.*
XI. *Etiam Athenis non ſemel vſurpati.*

ROmam ab origine ipſa & Regno inſtruxit hæc pœna. Cum Romanos I.
Regum tæderet, nuperaque acceſſiſſet odij cauſa ſtuprum in Lucretia perpetratum à Sexto vltimi Tarquinij filio, populo placuit Regium excuti iugum. Id nuntij cùm perferretur, vbi Tarquinius caſtris Ardeam ſtatiuis II.
oppugnabat, illeque audito, ad Vrbem euolaret, appropinquanti (ait Liuius in fine lib. I.) *Clauſa porta, exiliumque indictum.* Plebiſciti ipſius verba Dionyſius Halicarnaſſenſis habet in IV. Antiq. Roman. δέδοκται γὰρ ἡμῖν φεύγειν Ταρκυνίους πόλιν τὴν τῶν Ῥωμαίων. *Placet nobis exulare Tarquinios Vrbe Romana.* Cecidit nempè in foueam quam fecit, improbus hic Rex & impotens; ſi vera ſunt quæ Ioannes Antiochenus reliquit in Hiſtoria ſcriptum: inueniſſe eum, (hoc eſt vſurpare cœpiſſe apud Romanos) cùm vincula, compedes, catenas, tum μέταλλα καὶ ἐξορίας, *metalla & exilia.* Supereſt hoc Ioannis Antiocheni fragmentum in excerptis de vitiis & virtutibus, de quo & S. Iſidorus lib. IV. Origin. in fine. Habemus prima exilij, quod legerim, Romæ exempla, & rudimenta huius damnationis, quam poſterior ætas conſularis præ aliis amplexata frequentiſſimè ciuibus impoſuit. Se- III.
quuta deinde eſt, recèns liberâ Republicâ, ſpecies quædam relegationis ab Vrbe, non tam ob culpam aliquam Tarquinl Collatini Conſulis, quàm quòd Regium in Conſule nomen timeretur. Verba iſta ſunt orationis ad hunc habitæ Bruti collegæ. *Eieciſti Reges, fatemur: abſolue beneficium tuum;* pag. 787.
*aufer hinc Regium nomen. Res tuas tibi non ſolum reddent ciues tui auctore me, ſed ſi quid deeſt, munificè augebunt. Amicus abi: exonera ciuitatem vano forſitan metu. Ita perſuaſum eſt animis cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum.* Et quidem iacta tunc primum fundamenta probatiſſimi deinde moris in exilio decernendo. *Nam timens Conſul* (ſubiungit Liuius lib. II.) *ne poſtmodum priuato ſibi eadem illa cum bonorum amiſſione, additaque alia inſuper ignominia acciderent, abdicauit ſe conſulatu, rebuſque ſuis omnibus Lauinium tranſlatis, ciuitate ceſſit.* Hoc exemplo adumbratam quoquomodo voluntariam profectio- IV.
nem, ſeu voluntarium exilium, vt vocant, ſequuti temporis mos ipſe iam



explanan-

explanandus comprobabit. Specimen hoc nempè libertatis in libera vrbe
receptum fuit, vt copia eſſet reis ante ſententiam alio abeundi; quod cùm
ipſi, qui cauſam dicerent, ne iudicium manentes damnatio opprimeret,
aut grauibus mulctis, ignominiaue coactæ abitionis oneraret, in tempore
ſibi conſulentes probauerunt; tum illi qui ius in Vrbe dicerent, moribus in
legem euntibus, excuſauerunt. Nec iam exilium inter pœnas numerari;
quas criminibus aſſignabant leges, ſed magis vt remedium appeti, atque
adhiberi; quo rei ſtatim damnandi fulmen ſententiæ declinarent. Hoc ius
numquàm non fuiſſe in Republica, Marci Tullij Oratio pro Cecinna planiſ-
ſimè oſtendit. *Exilium* (ait ille) *non ſupplicium eſt, ſed perfugium portuſque ſup-
plicij.* Et mox infit. *Itaque nulla in lege noſtra reperietur, vt apud cæteras ciuita-
tes, maleficium vllum exilio eſſe mulctatum.*

V. Nulla in lege, fateor; attamen his, qui apud populum cauſam dicebant,
irrogatum calculis, hoc eſt populi ſuffragiis exilium, non vno loco de-
prehendi. Quòd ſcilicet Tribuni ſuffragia permittentes, cum nomine ac-
cuſationis, etiam hoc pœnæ genus liti inſcriberent. Dionyſius Halicarnaſ-
ſenſis lib. I. in Marci Coriolani damnatione. Ἀνέδωκαν οἱ δήμαρχοι τὴν ψῆφον
ταῖς φυλαῖς, τίμημα ἐπιγράψαντες τῇ δίκῃ φυγὴν ἀΐδιον. i. *Permittebant Tribuni
calculum tribubus, mulctam inſcribentes liti perpetuum exilium.* Damnatus ergo
Marcus exilio fuit: quod Liuius aliter, neſcio an ſatis bona fide, nempe
damnatum eum abſentem, lib. II. refert. Neque item permiſſum fuit ſem-
per, & paratum accuſatis, & in æſtu forenſi conſtitutis, perfugium hoc &
portus Ciceronis. Idem namque Liuius de Cæſone Quinctio ſcribit in III.
non priuſquàm vadibus datis, qui ſub pœna promitterent populo ipſum ſi-
ſti, perfeciſſe, ne in vinculis vſque ad iudicij diem à Tribunis ſeruaretur:
eoque in Thuſcos ſecedente, nec hilum profuiſſe eam excuſationem, *ſolum
vertiſſe illum exilij cauſa*, quominùs pecunia crudeliter exigeretur à vadi-
bus, ipſique à parente Cæſonis Quinctio tantumdem ex pretio vendito-
rum bonorum omnium extorquerent. Cuius rei auctores ſunt præter Li-
uium laudatum, Dionyſius etiam lib. x. Credo, recenti Republica, & ex-
terno bello, nec minus domeſticis ſeditionibus diſtricta, in lubrico omnia
VI. erant: nondum ratio, ſuæque leges iudiciis conſtabant. Ecquidem ſine
anteriore exemplo ſaltem fuiſſe hoc genus iudicium probat mihi Liuij no-
ta; qui ait, Cæſonem primum vades publicos dediſſe. Quod tamen fre-
quentiùs deinde placuit, de ſiſtendis iudicio reis vt caueretur. Ipſiuſmet
Annalium Romanorum diligentiſſimi, atque eloquentiſſimi ſcriptoris iſta
ſunt ex lib. XXV. *Singulis deinde eorum rei capitalis diem dicere; ac vades poſcere
cæperunt. Primò non dantes, deinde etiam eos, qui dare poſſent, in carcerem conii-
ciebant. Cuius rei periculum vitantes plerique in exilium abierunt.* Si quem in car-
cerem coniecisſent, non niſi remiſſo vltimo ſupplicio, datam & exilij co-
piam, Marcus Claudius ille aſſertor Virginiæ improbus ſub Decemuiris,
indicio eſt, qui ex vinculis cauſam dixit: indeque, remittente Virginio
mulieris parente vltimam pœnam, dimiſſus, Tybur abiit exulatum, au-
ctore Liuio lib. III.

Hæc quidem exempla inſuper habitæ ſolennioris exiliorum decernen-
dorum, aut aſſumendorum conſuetudinis, regulam non frangent commu-
nioris obſeruationis; quæ quidem ea eſt, quantum ex libris veterum, colla-
tiſque inter ſe Græcis, & Latinis auctoribus antiquæ reipublicæ colligere
VII. poſſumus. Exilium non tantum in capitalibus, ſed & in pecuniariis cauſis,
paratum ſemper, & ſub manu reorum fuit. Capite anquiſitum (quæ phra-
ſis Liuiana eſt) de aliquo proponis? Is, antequam omnes tribus ſuffragia
tuliſſent, voluntaria profectione ab Vrbe ſibi ex more, permiſſumque ca-
uere

uere poterat. Succedens deinde ſententia populi eatenùs valuit, vt confirmaretur ab eo ſpontaneum rei exilium. Polybius refert, laudatque hunc morem in VI. Vbi de poteſtate Conſulum, Senatus, & populi gerendarum ciuitatis rerum, totaque reipublicæ gubernatione, ac ciuili Romanorum prudentia ſcriptor ipſe prudentiſſimus accuratè tractatque, cenſetque. Iudicium capitis non alium quam populum exercere cum retuliſſet; iam ſubiungit Καὶ γίνεται δὲ περὶ ταύτην τὴν χρείαν περὶ αὐτοῖς ἄξιον ἐπαίνου, καὶ μνήμης. Τοῖς γὰρ θανάτου κρινομένοις ἐπὰν καταδικάζωνται δίδωσι τὴν ἐξουσίαν τὸ περὶ αὐτοῖς ἔθος ἀπαλλάττεσθαι φανερῶς, κἂν ἔτι μία λείπηται φυλὴ τῶν ἐπικυρουσῶν τὴν κρίσιν ἀψηφοφόρητος· ἑκούσιον ἑαυτοῦ καταγνόντα φυγαδείαν. Hoc eſt. *Obſeruaturq́ in huiuſmodi conſuetudine dignum quid laudationis, & memoriæ. Nam qui capitis cauſam dicunt, poteſtatem ex more gentis habent dum celebratur de iis iudicium, abeundi palàm, in ſpontaneum ſecedentes exilium; etiamſi vel vna ex tribubus, quæ habent huius iudicij auctoritatem, ſuffragia nondum tulerit.* Non enim comprehendere mos fuit reos apud Populum rei capitalis poſtulatos, ſed *More Maiorum* (vt Plutarchus in C. Graccho inquit) *ſiquis rei capitalis poſtulatus, ad iudicium non occurrerit, huius ad ianuam profectus mane tubicen tuba eum citat: neque ante ferunt ſententiam Iudices.* Hæc ille. Exempla ſunt paſſim. Aliqua ſuccurrunt. Popilius Prætor quadam lege reus Gracchorum temporibus, vt teſtis eſt Plutarchus in Caij vita, non expectato iudicio ex Italia ſolum vertit. Nimirum ſi ante diem comitiorum abeſſet, plebiſcitum ita concipiebatur, vt iuſtum, & auctoritate legis irrogatum eſſet exuli ſuum exilium. Liuius lib. XXVI de Cn. Fuluio: *Priuſquam dies comitiorum aderat,* (inquit) *Cn. Fuluius exulatum Tarquinios abiit. Id ei iuſtum exilium eſſe ſciuit plebs.* Et libro XXV. De Poſthumio publicano. *Si Marcus Poſthumius ante Kalendas Maias non prodiſſet, citatuſque eo die non reſpondiſſet, neque excuſatus eſſet, videri eum in exilio eſſe.* Quæ verba, & concepta formula plebiſciti.

Declinabant vtique ſolum vertentes capitis periculum: non tamen pe- VIII.
cuniariam mulctam; de quibus pecunia anquiſitum eſſet; quæ abſentibus
quoque inferebatur. In pecuniariis cauſis, pecuniæ mulctatitiæ illatione
reus pœnæ ſe eximebat. Exilium etenim ſpontaneum, de quo loquimur,
in capitis cauſa vt plurimũ obſeruabatur. Aliquando etiam in pecuniaria; ſi
damnatus ſoluendo non eſſet; ne lueret corpus æris indigentiam. Nonnunquam & qui ære non deficerentur, populo indignati ob damnationem, at-
que Vrbem pertæſi, aliò abibant. Planum id exemplo fiet in Camilli cauſa. IX.
*Hic die dicta* (ait Liuius lib. V.) *à L. Apuleio Trib. plebis propter prædam Veientanam; cùm accitis domum tribulibus, & clientibus percunctatus animos eorum, reſponſum tuliſſet ſe collaturos quanti damnatus eſſet, abſoluere eum non poſſe; in exilium abiit.* Videlicet antequàm populus in ſuffragia mitteretur; quod notat Dio Cocceianus in excerptis ex I. libro; quæ in collectione Conſtantini Porphyrogennetæ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, *de virtutibus, & vitiis, extant.* Et quidem euitari ignominiam corporis mulctæ illatione, in eiuſdem cauſæ hiſtoriâ palam refert Appianus; cuius ex libro II. quem Italica ſuo more inſcripſit, verba, eademmet collectio proximè laudata nobis offert. τὰ μὲν οὖν χρήματα οἱ φίλοι συνεσήνεγκαν, ἵνα μὴ ὑβρισθείη τὸ σῶμα τοῦ Καμίλλου. i. *Et quidem pecuniam amici contulerunt, ne corpus Camilli ignominia afficeretur.* Quamquàm enim is ante diem damnationis in exilium abierit, vt ex Liuio, Dioneque obſeruauimus; non ideo minùs damnatio ſequuta eſt. Liuius idem poſtquàm ſeceſſum illius ab Vrbe retulit; *abſens* (infit) *quindecim millibus grauis æris damnatur.* Eandem ſummam expreſſit Plutarchus in Camillo. An abit, aut in errore cubat Appianus? qui libro paulo antè adducto, πεντήκοντα μυριάσιν, *decies quinquaginta millibus,* ait damnatum. Calculum ſupputare nunc



non

non vacat; nec opus rei eſt. Ardeam conceſſerat Camillus, vnde ne deduceretur corporali aliqua notandus contumelia; etiam abſentis nomine mulctam, quod ait Appianus, amici ſoluerunt. Ardea colonia erat ciuium Romanorum, anno Vrbis CCCXIII. hoc eſt ante id tempus deducta, Liuio auctore in IV. Re igitur in ſummam contracta, capitis accuſatus, eximebat ſe vitæ diſcrimine abitione, atque ſeceſſu ab Vrbe: ſi vero non capitis, ſed pecuniæ inſcriptio eſſet facta liti, ſoluenda fuit omnino mulcta, etiam ab eo, qui vnde reduci Romam poſſet, exulatum abiiſſet. Aliàs tergiuerſanti, ſeu carcer, ſeu vincula, ſiue alia pœna coërcitionem corporis non ſine contumeliæ damno afferens, vt ſuſpicari datur ex allato Appiani teſtimonio, imponebatur. Qui extra populi Romani ditionem fugiſſet, non facilè capiendus, aut reducendus, hunc ad ſuperiorem regulam non pertinere, ipſa diuerſi exilij alia iam natura oſtendit.

XI. Politicum & liberale, germanumque liberæ gentis priuilegium hoc viſum fuit profectò, ſi poteſtas eſſet reis eximendi ſe ignominiæ, ſeueritatique damnationis. Quod etiam in moribus fuit Athenienſium, ſi fides Demoſthenis non lubrica eſt. Qui in iudicio Areopagi cauſam diceret, ei vtique iureiurando calumniæ dato, habitaque priori oratione, abire inde licebat. In oratione Κατὰ Ἀριστοκράτ. τὸν πρότερον ἢ ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι: *licetque* (reo) *habita priori oratione ſolum vertere.* Non tamen id in aliis iudiciis permiſſum fuiſſe, Alcibiadis quoddam reſponſum argumento eſt. Cum euocaretur è Sicilia ad cauſam capitis dicendam Athenas, obtemperare noluit, ſtultum quippe, aiebat, accuſatum iudicio, cùm fugere poſſet, locum, vnde effugere non poſſet, adire: quod refert Ælianus lib. XIII. cap. XXXVIII. Nimirum à Iudicibus ipſis hæc poteſtas abeundi reis concedebatur: quo modo factum in cauſa Socratis auctor eſt Ariſtippus quadam in epiſtola, quæ inter Socraticas edita eſt à doctiſſimo Leone Allatio. *Nuntiatum item eſt* ὅτι οὔτε πειθόμενος ὑπὸ τῶν ἕνδεκα διαδιδράναι ὑπέμεινε, *cum facultas ab vndecim viris ei daretur aufugiendi, permanſiſſe; dicentem nolle fugere niſi ſcriptarum legum ſtatutis abſolueretur,*

# CAPVT SEXTVM.

## Confirmatur exemplis voluntarij exilij appellatio; & vſus.


*I Voluntarij exilij appellatio.*

*II. Homicidij inconſulto facti apud Græcos expiatio per exilium.*

*III. Huius expiationis exempla aliqua.*

*IV. Scilicet anno exulabat imprudens homicida.*

*V. Ἀπενιαυτισμός, Abannatio.*

*VI. Factum occidendi abſque conſilio cur punitum.*

*VII. Etiam excommunicatione.*

*VIII. Romanis legibus pœna imprudentis homicidij exilium quinquennale.*

*IX. Deinde nulla.*

*X. Hebræorum lex de homicidis inuoluntariis.*

*XI. Phraſis S. Scripturæ: Tradidit eum Deus in illius manus.*

*XII. De ſex vrbibus fugitiuorum, qui nolentes homicidium feciſſent.*

*XIII. Quænam hę vrbes.*

*XIV. Leuitarum omnes fortè habuerunt hoc aſyli ius, & priuilegium.*

*XV. Quo loco cauſam dicebant talis homicidij rei.*

*XVI. Decem conditiones ſex harum refugij vrbium.*

*XVII. De cognato occiſi ſiue propinquo, & vindice ſanguinis.*


VOluntariam profectionem, voluntarium exilium, nec temerè, nec impropriè appellauimus. Idonei ſcriptores ſic loquuntur, Liuius, & alij Latini: præterea Græci. D. Ambroſius Moyſis fugam ab aula Ægypti ſimiliter appellat. Appuleius *a vltroneum exilium*; Ælianus *b* φυγὴν αὐθαίρετον, dixerunt. Ex Phœniſſis Euripidis hic verſus eſt. I.

a Lib. 1. Metam.

b Lib. 3. c. 26.

σοφὴν ἔλεξας τὴν γὰρ ἑκούσιον φυγήν

*Prudens dixiſti exilium hoc voluntarium.*

Ita Camilli ſeceſſum Dio vocat. Quoniam permiſſum fuit legibus, ſeu moribus; appellatio hæc tali exilio maximè conuenit: *id* enim *quod imperatur, neceſſarium eſt; illud quod permittitur* (ait Tullius ſecundo de Inuentione) *voluntarium*. Hoc ſcilicet, non à Iudice, ſed ab ipſo reo eſt, quod ſibimet ipſe irrogat: quamquàm & alio reſpectu neceſſarium ſit, & coactum, quod malebat Hotomannus in Lexico ſuo Iuris. Exemplis aliis hanc notationem nominis confirmantes, externa proferemus exilia quædam litterarum monumentis inſignia, huic Romano antiquæ vrbis cognata.

Græca lex olim fuit, homicidium inconſulto factum vt lueretur voluntaria homicidæ fuga, ſiue quod idem eſt, exilio. Romanum teſtem citare æquum eſt priore loco, maximè quia vtitur is antiquiſſimi Poëtarum Græciæ Principis teſtimonio. Claudius Saturninus libro ſingulari de Pœnis, fragmento quod eſt in l. XVI. §. VIII. D. eo titulo, hic eſt, quem laudo. Cuius quidem ſententiam in *Decretum* ſuum, ſiue (vt ipſe auctor inſcripſit opus) *Concordiam diſcordantium Canonum* recepit Gratianus, De Pœnitentia, Diſtinctione I. Harmenopulusque in Promptuarium lib. VI. Tit. VI. §. XII. Hauſit & hinc Attaliata, & pro Iure Græco-Romano breuiſſimè propoſuit, in Synopſi Tit. LXXVIII. ὁ ἀκούσιος φόνος ἐξορίαν ἐπιφέρει. *Inuoluntaria* II.



*ria*

*ria cædes exilium irrogat.* Quod cum ignoraret Accurſius, Homerique locum non vidiſſet, qui per id tempus ab omnibus exemplaribus exulabat, etiam ſi præſto eſſet (quod ſæculum ferebat) non percepturus, ſuauiter interpretatus fuit de eo exilio, quod arbitratu Iudicis ſtatuendum erat. Poëtæ verſus, qui à Claudio laudantur, è libro ſunt Iliados XXIII. Vbi Patrocli anima dormientem alloquitur Achillem, ſeque olim ait ad eum deductum paruulum à Menætio ex Opoënte, propter irrogatam inconſultò Amphidamantis filio mortem. Hi iam ab Alciati cura priſcorum librorum lacunam replent; quod quidem ſibi arrogat lib. I. Diſpunctionum cap. XVII. vir clariſſimus, & inter primos vindices Iuris Romani. Qui ipſe lib. II. Prætermiſſorum, & lib. II. Parergon cap. II. Budæuſque in Annotationibus, duo alia loca producunt ex eodem Poëta, quæ non minùs ad rem pertinent, noſtroque Saturnino venire in mentem potuerunt: nempe ex XI. & poſtremo libro eiuſdem eximij operis.

III. Horum poſterior expiationis in exilio ritum homicidis obſeruandum continet: quem & confirmat Adraſti Phrygis, Crœſique Lydorum Regis hiſtoria in Herodoti Clione, ſeu I. libro. Hic etiam mos Ægyptum peruaſit; nam apud Memphitas homicidij fortuiti reus debebat exulire ad Gymnoſophiſtas; nec niſi ab eis abſolutus, & expiatus redire in patriam: cuius generis ſupplicem quendam offendiſſe in Æthiopia ſuum Apollonium refert in huius vita Philoſtratus, lib. VI. cap. III.

Voluntarium deinde ſiue vltroneum exilium homicidarum Appuleius agnoſcit initio huius capitis laudatus. *Quaſi conſcius* (ait) *mihi cædis humanæ relicta patria & lare vltroneum exilium amplexus, nunc Ætoliam nouo contracto matrimonio colo.* Dracontiique Spartani Xenophon meminit in IV. de expeditione Cyri; qui puer adhuc in exilium abiit, quod puerum alium

IV. falcato gladiolo non ſponte interemiſſet. Et quidem præfiniebat pœnæ tempus lex; ſcilicet annum. Quam ita conceptam proponunt litterarum Græcarum ſtudioſis, inſtaurati Samuelis Petiti operâ Solonis Ἄξονες: commentaria nimirum in leges Atticas eruditiſſima. τὸν ἐργασάμενον φόνον φεύγειν ὅλον ἐνιαυτὸν μὴ ψαύοντα τῆς πατρίδος. *Qui alium caſu fortuito necaſſet, annum ex-*

V. *tra fines patriæ exul eſto.* Ἀπενιαυτισμός, *Vnius anni exilium* eſt, quod ex Euſtathio notum: *Abannatio* Guilielmi Budæi. Idem Heſychio eſt ἡ εἰς ἐνιαυτὸν φυγὴ τοῖς φόνον δράσασι. *Eorum qui homicidium perpetraſſent, annale exilium.* Plures qui Ἀπενιαυτισμὸν è veteribus adſtruunt, laudat Petitus. Platonem adiungere his potuit, cuius Reipublicæ lex eadem dicta, lib. IX. De legibus. Μέτοικος δὲ ὢν ἀπενιαυτησάτω. *Incola autem* (committens homicidium non ſponte) *vno exulet anno.* Iudicium hoc de homicidiis imprudenter factis, ἐν παλλαδίῳ. *In Palladio*, qui locus erat Athenienſis vrbis, celebrari ſolitum præter Demoſthenem in Ariſtocratea, & alios Oratores, Hiſtorici affirmant; Pauſanias in Atticis, & Ælianus lib. V. cap. XV.

VI. Quare tamen (vt & hoc ἐν παρόδῳ annotem) abſque voluntate factum occidendi, primo Græci, deinde aliæ gentes, rituſque etiam ex canonibus Pontificiis eccleſiaſticus, vel ſic puniuerint; hoc magis in eorum, quos calamitas parente orbaſſet, propinquoue, ſolatium quam in pœnam inconſultæ necis conſtitutum exiſtima. Hunc quippe interfectorem alio abducere legis præcepto æquum fuit, ne per ſimilem imprudentiam eodem loco remanens occiſi cognatorum inſidiis pateret, vindictæque. Pulcherrimè auctor Declamationum Latinarum latens ſub illuſtri nomine. *Imprudentis* (ait in Declamatione CCXLVIII.) *cædis damnari genus abſolutionis eſt.* Plato lib. IX. De legibus, myſterium obtendit vetus quoddam, vt ipſe appellat, nec ab homicida contemnendum; impoſuerat enim priſcis homini-

bus antiqua fama, Philoſophorum etiam eius nominis, quo fuit in his litteris magnus iſte Ariſtonis filius, credula ſuperſtitione olim præiudicata; homicidam ſcilicet ab interfecti anima terreri perpetuo, exagitarique, dum inter ſuos manſiſſet. Notum eſt illud Virgilij in iv.

Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris
Cum fugit, vltriceſque ſedent in limine diræ.

Et Poëtæ quidem ſæpiſſimè inducunt verbera illa Eumenidum, tædaſque ardentes ſcelerum vindices: quarum *vt nomina mentita ſint, vt aliquid Fabulæ finxerint.* ab aliquo tamen exemplo experimenta veniſſe credebat c proximè laudatus Declamator. Iure quidem veritatis donat fabulam, Poëtis facem admouens, poſt Æſchinem in oratione contra Timarchum Tullius Cicero in Piſoniana; quæ nota iam obſeruatio eſt Petri Victorij lib. xvii. Variarum, cap. xxi. Chriſtianis vera magis conſiderata ratio; quòd lex facta reſpiciat; de occultis & concilio, quo facta ſunt, non iudicet, vt habet vetus proloquium. *Qui caſu occidit* (ait D. Hieronymus) *quantum ad gratiam innocens; quia voluntatem non opus requirit: quantum autem ad leges, reus eſt, quia opera lex quærit.* apud Gratianum cap. xii. xv. quæſt. i. Liceat confirmandis Eccleſiæ decretis veritatem ipſam vel ab ore ipſius mendacij expreſſam aduocare. Narrat Ælianus lib. iii. cap. xliv. interrogatum oraculum de eo, qui cum ſicarium gladio peteret, ſocium ſuum per errorem occiderat, *puriores manus ex homicidio ipſum adducere,* reſpondiſſe. Placuit tamen quaſi homicidij reum, etiam hunc, qui nullius criminis ſibi conſcius eſſet, accipere, arcereque ab eccleſiaſtica communione non minus vndecim annis: vti D. Baſilius cauit ad Amphilochium epiſtola canon. iii. canone lvii. Concilium verò Ancyritanum leniore conditione mulctauit; quod laudant & probant Pœnitentiale Romanum Tit. i. c. iii. Burchardus, Iuo Carnotenſis, alij. Rem multis examinant, ne actum agam, Guilielmus Fornerius lib. i. Selectionum capite x. eiuſdemque cognominis alius, Radulphus lib. iii. Rerum quotidian. cap. xvii. & lib. vi. cap. xxiv. Scipio Gentilis lib. i. Parergon cap. xxxi. quos vidit Ioannes Gerardus Voſſius, Inſtitutionum Oratoriarum lib. i. cap. ix. §. viii. Præterea Tiberius Decianus lib. ix. Tract. crimin. cap. xxvii. Andreas Tiraquellus de Pœnis temperandis cauſa xiii. & quem poſtremo loco nomino, at priore habeo, doctrinæ, ac dignitatis ergò, D. Ioannes Solorçano Pereira, V. C. qui ex Auditore Regio ſupremo Senatus emeritam ſenectutem in litteris & otio inſtructiſſimi Muſæi, cum hæc ſcribimus, Madriti agit, quotidie magis de Iuris ſcientia, totaque eruditionis doctrina bene meritus, in libello aureo De crimine parricidij lib. ii. cap. xvii.

c Declam. cccxiv.

VII.

Romanis legibus exilium quinquennale pœnam fuiſſe patratæ cædis imprudenter, innuere videtur Marcus Fabius lib. vii. Inſt. Orator. cap. iv. in fine: eiuſdemque nominis (auus, an pater prioris, an alius aliquis, ignoratur) Declamationum ſcriptor non vno loco, ſcilicet declamatione ccxcvi. & cccv. Tametſi valdè vereor, ne accommodari poſſit ad Romanas leges, quod in harum declamationum altera dicitur; exules intra fines interdictos rite occidi poſſe; quod nuſquàm vſurpatum ab ea gente, aut in quo non licuit, accedentes tam acriter vindicatum, legi. Si demas tamen ſeueriſſima proſcriptionum tempora; etſi quæ leges, ſeu priuilegia potiùs (quod verbum hoc ſignificatu Ciceronis eſt) aliquando aduerſus priuatum aliquem per odium ferrentur. Ad ſuperiorem Quintiliani ſententiam videtur etiam reſpexiſſe Vlpianus in l. iv. §. i. D. Ad legem Cornel. de Sicariis: vnde ſumpta eſt noſtra lex v. Tit. viii. Part. iv. Transformauit hanc IX.

VIII.

pœnam inferior ætas in æquiſſimam clementiam, immunem eum ab omni reatu ſæpiſſimè datis Reſcriptis confirmans, qui perpetraſſet imprudens homicidium. l. 1. L. Eum qui V. C. Ad leg. Corn. de Sicariis: Nouella Valentiniani, *De homicidio caſu facto*: Papianus (quem cum Papiniano coagulant aliqui) in libro Reſponſorum. Iure quidem, namque (vt ait Valen-
d in laudata Nouella. tinianus d. *fortuna poteſt ibi ſola culpari.* Et Antoninus anteà, *fato plerumque, non noxa* imputari reſcripſit hos caſus, in dicta lege 1. Τύχης autem νομοθέτης οὐδεὶς ἱκανὸς ἄρχειν. *Fortunæ nullus legiſlator imperare poteſt.* Plato ait eod. lib. IX. Diligentiam hîc acriorem adhibere, induſtriamque, eo minus neceſſe habemus, quòd in collecta iam ab aliis meſſe, ne quidem ſpes affulgeat tenuiſſimi ſpicilegij. Quæ quidem opus fuit in medium proponere breuiter perſtrinximus. Nec poſſum tamen in his, qui rem tractarunt, quin æmulus videar pro amico, D. Ioannem Suarez de Mendoça non laudare, cuius opera in vtriuſque homicidij pœna Romana ſedulo nauata, copiam ſui præbet, auctoriſque induſtriæ, ac eruditionis, in commentario iam in ſuperioribus laudato, Ad leg. Aquiliam, lib. 1. cap. 11. ſectione IX.

X. Tradunt ſubinde nobis Hebræi legem de homicidarum pœna, qui inconſulto occidiſſent, commemorandam: diuinam nempè legem; quæ potiùs conſulebat miſeris, quàm irrogabat noxam. Ecce nuper ad egreſſu captiuitatis monuit hos Deus ſuæ de his voluntatis: Exodi XXI. *Qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur: qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus*
XI. *illum tradidit in manus eius, conſtituam tibi locum, in quem fugere debeant.* Eſt hoc loquendi genus ſacris libris familiare, quotieſcumque opus habent exprimere ſumptam de hominibus à Deo pœnam interuentu aliorum hominum. Quod Græci ſimillime dicunt ἀλλὰ ὁ θεὸς παρέδωκεν εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Hoc tamen loco poſita ſunt denotare eum, qui ſine conſilio interfecit, & ἀκουσίως φονεύων, *inuoluntarius homicida eſt*; ἀκουσίως, *inuoluntarie*, ἄνευ προνοίας *abſque prouidentia* cædem perpetrans; vt habent Latina, & Græca translatio Bibliorum variis locis. Contrarius huic eſt οὐ πράξας ἀλλὰ βουλεύσας τὸν φόνον, *non faciens caſu, ſed conſilio cædem*, vt ait Sineſius epiſt. XLIV. Quod verbis D. Ambroſij magis claret, in de Abel & Cain lib. II. cap. I. quem laudat Gratianus cap. vndecimo. XV. quæſt. I. *Nec is quidem qui inuitus aliquod fecerit homicidium, extra miniſterium eſt: ſiquidem ait lex de eo, quia Deus dedit eum in manus eius: manus ergo eius inſtrumenti modo diuinæ vltioni miniſterium præbuerant.* Eiuſdemque ſermonis hoc myſterium eleganter aperit Philo Hebræus in libello περὶ φυγάδων.

XII. Rurſus loquutus Deus ad Moſen in campeſtribus Moab ſupra Iordanem contra Iericho, ex his oppidis, quos Leuitis cæteras tribus contribuere iubet, ſex in fugitiuorum aſyla ſeparari voluit, ad quæ fugeret, qui ſanguinem fudiſſet. Rem totam explicat Numerorum liber capite XXXV. Locum non grauabor integrum appingere: vt compleamus hac ſimplici narratione, blandiamurque piis auribus. *Ait Dominus ad Moſen. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos. Quando tranſgreſſi fueritis Iordanem in terram Chanaan, decernite quæ vrbes eſſe debeant in præſidio fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fuderint: in quibus cùm fuerit profugus, cognatus occiſi non poterit eum occidere, donec ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius iudicetur. De ipſis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum ſubſidia ſeparantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, tam filiis Iſrael, quàm aduenis, atque peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens ſanguinem fuderit.* Et infrà. *Quid ſi fortuito & abſque odio, & inimicitiis quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percuſſorem, & propinquum ſanguinis quæſtio ventilata, liberabitur innocens de vltoris manu; & reducetur per ſententiam in vrbem, ad quam confugerat: manebitque*

*bitque ibi, donec ſacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus eſt, moriatur. Si interfe-*
*ctor extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ ſunt, fuerit inuentus, & percuſſus ab*
*eo, qui vltor eſt ſanguinis, abſque noxa erit, qui eum occiderit. Debuerat enim pro-*
*fugus, vſque ad mortem Pontificis, in vrbe reſidere: poſtquàm autem ille obierit,*
*homicida reuertetur in terram ſuam.* Hucuſque lex Moyſi dicta. Vrbes iſtæ le- XIII.
uitarum ſex aſyli iure donatæ ſunt à Ioſue, poſt Moyſis deceſſum, vt tradi-
tur Ioſue capite XX. Tres vltra Iordanem contra Orientalem planam Ieri-
cho: nempe *Boſor* in deſerto, de tribu Ruben; Ioſepho *e* eſt βοσὸρ ἐπὶ τοῖς ὅροις c Lib. 4. Antiq. 7.
τῆς Ἀῤῥαβίας. *Boſor in finibus Arabiæ.* Ramoth in Galaad, de tribu Gad Ioſepho
Ἀῤῥαμανον τῆς γαλααδηνῶν γῆς. Gaulon, Græcis γωλὰν ἐν τῇ Βασανίτιδι, in Baſan,
de tribu Manaſſe: Ioſepho γουλαδημᾶν ἐν τῇ Βαταναίαδι. Adeo mutat in vrbium
ſuarum, reliquorumque locorum appellationibus Hebraica, & Græca
Geographia. Cis Iordanem iſtæ: Cedes in Galilæa in monte Nephtali: Io-
ſephus *f* vocat κεδέσιν. Sichem in monte Ephraim; σίκιμα vertit idem. Ca- f Lib. 5. Antiq. 3.
riath-Arbe, eadem Hebron, metropolis Philiſtinorum, Regia deinde Da-
uidis per ſeptennium. Græci interpretes vertunt τὴν πόλιν ἀρβὼκ αὕτη ἐστὶ χε-
βρὼν ἐν τῷ ὄρει τῷ Ἰουδα, *ciuitatem Arboc, ea eſt chebron in monte Iudæ.* De quibus
plura habet Theatrum terræ ſanctæ Chriſtiani Adrichomij.

Sterni etiam Deus iuſſit *g* viam ad eas diligenter; vt poſſet, haberetque g Deut. 9.
è vicino profugus, quo poſſet celeriùs ſe recipere; ſiquidem inter ſe, &
ab angulis omnibus terræ ſanctæ pari diſtabant interuallo iſta refugia. Rab-
bi Moſes Maimonides, vir ſummæ apud Hebræos auctoritatis, ſcriptum XIV.
reliquit *h*, nullam ex XLVIII. Leuitarum vrbibus non habuiſſe hoc aſyli, ſeu h Hilch. Rothſeach. cap. 8.
refugij ius: quippe indicatum id credit verbis illis, Numeror. XXXV. *Et ex-*
*ceptis his, alia quadraginta duo oppida* Leuitis dabitis. Pares ergò facit Mai-
monides omnes vrbes; ſed cum diſcrimine: in ſex illis aſyli iure gaudebat
profugus, etiam ſi nollent incolæ; in reliquis non niſi vellent: in ſex ſine
mercede domicilium habebat; in aliis pretium pro habitatione dabat. Hæc
ille, vt refert Ioannes Seldenus Talmudicorum librorum diſciplinarum-
rum Hebraicarum ſtudioſiſſimus in libro *De Iure naturali & gentium iuxta*
*diſciplinam Hebræorum*: quod ipſum Abbæus in Gemara Tit. Maccoth con- XV.
firmat. De loco iudicij, quod habendum in conſpectu multitudinis Deus
præceperat, quia reus forum ſequitur actoris, loco illo celebrari ſolitum,
in quo fuit perpetratum homicidium, ex Hebræis Doctoribus exiſtimat
Cardinalis Caietanus *i*. Saltem conſtat ex verbis legis, extra vrbem refu- i Ad cap. Num. 35.
gij cauſam dictam; quandoquidem reducendus fuit per ſententiam pro-
fugus in eum locum, ad quem confugerat: quod & placere video Petro
Gambacurtæ. S. I. libro 1. Commentariorum De Immunitate eccleſiaſti-
ca cap. VIII. Ex Hebræis Magiſtris, quorum teſtimonio innituntur, vnum
Rabbi Ioſem filium R. Iehudæ laudat pro ſententia iſta Titulus *Macchot* ſu-
pra memoratus, cap. II. in *Miſna* Talmudis: quem Titulum ſeu codicem
(namque ſic vocant) vna cum alio *Sanhedrin* quod eiuſdem ferme ſint ar-
gumenti, nempè de iudiciis, & pœnis, Ioannes Cocceius Bremenſis, vnà
cum Latina verſione, & notis in publicum ſuperioribus annis emiſit. Atta-
men cùm videatur maximè iudicium Leuitarum, vt magis religioſum, à
Deo electum decidendis hoc genus cauſis; deinde ex Deuteronomio, is
qui odio interfeciſſet, non imprudenter, arripi debuerit ab vrbe refugij, vt
ſanguinis vindici noxæ dederetur, quæ deditio non temerè, ſed cauſa co-
gnita fieri debuit: cùm itaque duo hæc ſtare nequeant, quin in Vrbibus
ipſis Leuitarum iudicium ſit habitum, iuxtaque genus homicidij tuitio,
aut traditio decreta; vero magis videtur ſimile, in porta, ſiue extra Vrbem
fuiſſe Iudices leuitas; dictaque ibi à fugitiuo cauſa, quem propinqui ſan-

guinis accuſatum eo veniſſent, alterutrum ſubinde factum, vt vel accuſatoribus dederetur in noxam, ſi nocens apparuiſſet; vel reciperetur in eandem ipſam refugij ciuitatem; ſiue *reduceretur* (quod habet laudatum caput Numerorum) ab æſtu, & iactatione iudicij in tutiſſimum aſyli portum. Ita de hac recenſet Andreas Maſius in Ioſue Hiſt. cap. xx.

XVI. Scholiaſtes quidem, ſiue Gloſſator ordinarius Sacrorum Librorum, decem ex Hebræorum commentariis apponit conditiones pro ciuitatibus refugij. I. Vt æqualiter inter ſe diſtarent. II. Viæ ad eas complanarentur. III. In biuio, vel triuio ſtipes erigeretur, in quo ſcriptum eſſet refugij nomen; ſiue Herma viam indicans ſic inſcriptus, *Miclat*, hoc eſt *aſylum*. IIII. Vt non nimis paruæ, nec nimis magnæ eſſent, ne victu neceſſario carerent, neue occiſorum propinqui facilè ſubintrarent, & fugitiuos opprimerent. V. Nundinæ in his frequenter haberentur, vt cibariorum copia eſſet. VI. In vicinia plures pagos haberent ad arcendum aduerſarium. VII. Si habitatoribus minùs frequentes eſſent, aliunde aduocarentur Leuitæ. VIII. Arma ne fierent bellica, venatoria, aut ſimile quid; ne ſub colore quidquam emendi, vindex ſanguinis eo penetraret. IX. Si homicida eſſet *Talmid*, hoc eſt diſcipulus, Magiſter cum eo illuc veniret: (vix credo Hebræi cuiuſdam interpretationi huius præcepti, pœnam Magiſtro propter male habitum diſcipulum aſſignantis: nam ſi nulla culpa eſt diſcipuli, nulla eſt, cuius poſtulari magiſter debeat) ſi Magiſter, vnà transferretur in exilij locum eiuſdem ſchola. X. Ne diſcedere inde liceret ante mortem Pontificis. Hæc Lyranus, & ipſe (vt aiunt) conuerſus ex Hebraiſmo ad rectam eccleſiæ fidem.

XVII. *Cognatus occiſi, propinquus ſanguinis*, ἀγχιστεύων τὸ αἷμα, Vindicans, ſeu *Vindex ſanguinis*, ille fuit, qui proximiore gradu contingebat occiſum, qui iure hereditario ei ſuccedebat, teſte Maimonide *k*. Huic tantùm permiſſum homicidam extra fines vrbis refugij ſui deprehenſum occidere: quod aduerſatur Hebræorum doctrinæ: ſed Ioſephus ex interpretatione Rufini (nam eum minùs rectè accepit Sigiſmundus Gelenius) pro hac parte eſt, vt obſeruat Seldenus in adducto opere; qui etiam oſtendit præter filios Iſrael, aduenæ, & peregrini quinam appellentur in Sacra Hiſtoria; ſeu, quod in idem recidit, Proſelyti Iuſtitiæ, & domicilij. Hunc tamen nec libet, nec decet expilare. Adiri poſſunt ex antiquis Ioſephus Antiquit. lib. IV. cap. VII. Philo Hebræus *De ſpecialibus legibus*, præcepto VI. & VII. iterumque hanc legem de inuoluntariis homicidis Theologo-Philoſophica explanatione, vt alia ſolet, illuſtrans, in libello περὶ φυγάδων, ſiue *De Profugis*. S. Iſidorus Peluſiota lib. III. epiſtola CVIII. D. Ambroſius De Abel, & Cain lib. II. cap. IV. Neoterici quamplurimum iuuant: in iis Salianus in Annalibus ſacris; Chriſtianus Adrichomius in Theatro terræ ſanctæ, Nicolaus Serarius, & Andreas Maſius in Ioſue cap. XX. Pleniſſimè legem exornant Lorinus in cap. IV. Deuteron. & cap. XIX. item Numerorum cap. XXXV. Petruſque Gambacurta lib. I. De Immunitate eccleſiaſtica, cap. VIII. Ioannes Coch, ſiue Cocceius in Notis ad cap. II. Codicis Maccoth in Miſna, & in excerptis ex eodem codice in Gemara.

k *Dicto Tract. Hilch. Rothſeach. cap. I.*

CAPVT

# CAPVT SEPTIMVM.

## De Ignis & aquæ interdictionis inuento.

I *Romæ excuſabantur rei ſi in exilium ſponte abiiſſent.*
II. *Leges Romanæ veteres eximebant pœnis ſeuerioribus ciues.*
III. *Exilium, ſiue cuſtodia quaſi vltimum Romanis fuit ſupplicium.*
IV. *Fortè ipſis legibus Romanis permiſſum reis exilium.*
V. *Salluſtij locus expenſus.*
VI. *Quid more maiorum necari.*
VII. *A mitioribus in ſeueriores pœnas proceſſerunt veteres.*
VIII. *Ne violenter ciues eiicerentur, inuenta eſt aquæ, & ignis interdictio.*
IX. *Ciuibus Romanis adimi non potuit ciuitas, ne ipſi relinquerent.*
X. *Aquæ, ignis, tecti interdictio.*
XI. *Similis huic pœna excommunicatio eccleſiaſtica.*
XII. *Quonam tempore vſurpari cœpta hæc interdictio.*
XIII. *Dionyſij. Halicarnaſſenſis Anachroniſmus.*
XIV. *Anachroniſmi varia exempla apud Hiſtoricos veteres.*
XV. *Mentio interdictionis aquæ, & ignis apud Liuium, & alios.*
XVI. *Interdicti huiuſmodi recipiebant ſe in ſociorum Vrbes.*

SEd reuertamur Italiam, Vrbemque ex Palæſtina: cuius & Græciæ exilia, pariter ac Romanum ſpontè ſuſcepta non importuna mihi videor peregrinatione luſtraſſe. At Romæ quidem vltrò excuſabatur, ſi reus ſo- I.
lum vertiſſet: ne ſcilicet in caput eius animaduerteretur: quod pluribus
cautum legibus voluerunt priſci illi Romuli nepotes. Nam primo legibus II.
Valeriis (ſiue vna fuerit, eademque à Valerio Poplicola olim lata; deinde ab aliis Valeriæ gentis ſemel, atque iterum inſtaurata) Porciaque Porcij Læcæ; quem legis auctorem ex monetaria penu ſua eruit Antonius Auguſtinus, in lib. De legibus Romanis; Caij demùm Grachi alia, cuius meminerunt Plutarchus, & M. Cicero: cùm verbera remota ſunt à tergo ciuis Romani; tum illius, qui prouocaſſet, capitis iudicio ad populum tranſlato, vitæ, ac necis poteſtas cunctis Magiſtratibus erepta eſt. Dignum hoc nempè viſum libertate gentis, atque exiſtimatione; ſi non cuiuſuis eſſet Iudicis, ſed populi vniuerſi dumtaxat, poſtrema illa, cui non intercederetur, de
capite ciuis ſententia. Et vltimum quidem ſupplicium, quaſi alienum à ſe III.
gens iſta videri volebat. Inſignis eſt in Plutarchi Catone Minore locus id confirmans. Quærebatur in Senatu de pœna Lentuli, Cethegi, & aliorum Catilinæ ſociorum. Silanus conſul eam ſententiam dixerat, animaduerti debere in eos vltimo ſupplicio. Adeo tamen in contrarium valuit Cæſar, eos non occidendos cenſens, ſed in cuſtodia detinendos; vt vel Silanus ipſe non erubuerit cedere, ac reformare iudicium; hoc nimirum colore quæſito ſe de pœna capitali non ſenſiſſe, ſed vtique de carcere. Ἔσχατον γὰρ (Plutarchi verba ſunt in Catonis Minoris Vita) ἀνδρὶ Ῥωμαίῳ τοῦτο κακῶν ἁπάντων. *hoc enim viro Romano vltimum eſſe ſupplicium* ſiue, vt paulò diuerſe ait in Ciceronis Vita, ἀνδρὶ βουλευτῇ Ῥωμαίων. *Senatori Romano.*



Sed

IV. Sed neque id tantùm fortaſſe cautum fuit ſanctione iſta toties repetita legum memoratarum, ne ſcilicet ab aliò, quàm à populo ciuis Romanus damnaretur: quinimò in his ipſis legibus ſaltem Porcia & Sempronia C. Gracchi, conceptis verbis permiſſum reis exilium, hoc eſt pœnæ vltimæ perfugium, non temerè iudices. Nil huiuſmodi, fateor, in vulgus editum de his legibus, intimatumúe ab his, qui antiqua Vrbis iura litteris tradiderunt. Nam neque Liuius, neque Tullius Cicero, aliiue Porciæ, Semproniæque ſanctionibus vlterius quidquam tribuere ſolent, quàm à tergo remota verbera, lictori capita erepta ciuium Romanorum.

V. Criſpus dumtaxat Salluſtius in eadem oratione illa Caij Cæſaris de his habitâ qui cum Catilina coniurauerant aduerſus Rempublicam, id videtur apertiſſimè ſignificare. Verba oportet auctoris, quæ iudicium populi, voluntatemque tuendæ libertatis perpetuam breuiter oſtendunt, rei gratia depromere. *Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati verberibus animaduertebant in ciues: de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſtquam Reſpublica adoleuit, & multitudine ciuium factiones valuere, circumueniri innocentes, aliaque huiuſmodi fieri cœpere. Tunc lex Porcia, aliæque leges paratæ ſunt, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt.* Cùm & priùs Cæſar ipſe dixiſſet. *Sed per Deos immortales, quamobrem in ſententia non addidiſtis, vti prius verberibus in eos animaduerteretur? an quia lex Porcia vetat? At aliæ leges item condemnatis ciuibus non animam eripi, ſed exilium permitti iubent.* Et quis obnuntiare audeat Criſpo, cui Romana in hiſtoria, propter fidem & perfectiſſimam operis formam, primas concedit noſter epigrammatarius *a*. Credimus planè hoc teſtimonio maximè adduci, nè quidem hanc ſeſe iudicio, & pœnæ ſubducendi reorum licentiam Tribunis ferentibus, populum ſine ſcripto reliquiſſe. Sanè morem maiorum, quòd in ſummis ſuppliciis decernendis, tum C. Cæſar in oratione iſta, tum Cato in reſponſione illius laudauerint, ad Regia tempora præcipuè pertinet.

*a Martialis lib. 14. ep. 191.*

VI. Nec tamen capitalium ſuppliciorum expers omnino fuit Reſpublica. Idcirco Tullius Cicero in Rabiriana, vtrumque tempus coniunxit, Labienum deteſtatus qui ſupplicium C. Rabirio ſummum, & carnificem depoſcebat. *Iſta laus primùm eſt maiorum noſtrorum* (ait) *Quirites: qui expulſis Regibus veſtigium nullum in libero populo crudelitatis Regiæ retinuerunt.* Et ſtatim. *Deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legum munitam eſſe voluerunt.* Etiam ſub Nerone, cùm de reo quodam placuiſſet Conſuli deſignato, eum more maiorum necari, obſtitit Pætus Thraſea his verbis apud Tacitum lib. XIV. Annalium. *Non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio ſub Principe, & nulla neceſſitate obſtricto Senatu ſtatuendum eſſe: carnificem, & laqueum pridem abolita; & eſſe pœnas legibus conſtitutas, quibus ſine Iudicum ſæuitia, & temporum infamia ſupplicia decernerentur.* Quæ fortè capienda ſunt de exilio legibus illis ſtatuto, aut permiſſo.

VII. Simpliciſſimum quidem & antiquiſſimum naturæ recentis tribunal (vt ſic loquar) etiam maximis olim delictis mediocres pœnas irrogaſſe, vt leniora quæque remedia prius experiretur, bene fuit ab antiquis exiſtimatum. Sed poſtremò deuentum fuit ad mortem; cùm quidquid pœnarum citrà eſſet, facilè contemneretur. Ex Thucididis III. Libro, & oratione cuiuſdam Diodoti Athenienſis hæc ſunt, quæ ſequuntur. Καὶ εἰκὸς τὸ πάλαι περὶ μεγίστων ἀδικημάτων μαλακωτέρας κεῖσθαι αὐτὰς (τὰς ζημίας) παραβαινομένων δὲ τῷ χρόνῳ ἐς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι. hoc eſt. *Etenim veriſimile eſt mitiores pœnas olim in maxima ſcelera conſtitutas fuiſſe: ſed cùm temporis progreſſu pœnarum leges violarentur, ad mortem pleraque proceſſerunt.* Hic nempe fuit in Vrbe maiorum mos, totius ferè Græciæ communis: Cuius in ſingulis ciuitatibus,

bus, (aiebat ipſe Diodotus) etiam leuioribus multò, quàm defectionis il-
lud erat, de quo tunc agebatur, criminibus, pœna capitis irrogabatur. De-
rogauit tamen receptis vbique moribus ſenſus hic, & conſilium Roma-
num tuendæ per inuulgata hæc, & clementiora ſupplicia, quam tuliſſet
antiquitas, ciuium libertatis; vitaque ipſorum lictori erepta eſt. Minùs
equidem idoneo fideiuſſore (quod Thucydidis verbum eſt) quàm mors eſ-
ſet, recepto, probatoque, non iam conniueri ad reorum fugam, ſed per-
mitti legibus exilium cœpit; & videri *nefas*, (vt ait Lactantius *b*) rediuiuo b *Lib. 2. Diuin. Inſt.*
quodam antiquiſſimæ indulgentiæ tenore, *quamuis malos, tamen homines ſup-*
*plicio capitis afficere.* Tertullianus ad rem pertinet in Apologetico. *Iudicatos in*
*partes ſecari à creditoribus leges erant: conſenſu tamen publico crudelitas poſteà eraſa*
*eſt; & in pudoris notam capitis pœna conuerſa eſt, bonorum adhibita proſcriptione.*

Supererat tamen omnibus modis exitum, ſiue exilium eorum vrgere;
qui à conſpectu publico, & Vrbis ſe ſubtraxiſſent; & ne à quo iuuarentur, VIII.
aut reciperentur, quos Vrbe ipſa, & ditione Romana, iureque ipſo vrbis
exulare populus vellet, id ipſum legibus prohibere. Nec latebras omnes,
aut ſecreta excuti placuit; ſed inſigni quodam inuento, ignis, & aquæ ce-
lebratiſſima interdictio deducta eſt in mores Romanos. Hoc quidem alte-
rum, & vſurpatiſſimum conſulari æuo fuit genus exilij: quod vtique mul- XI.
tum forſan promotum credas placito alio; ſiue, vt verius dicam, ſuperſti-
tioſa quadam, & affectata ſui exiſtimatione huius gentis, honoreque ciui-
bus per vaniſſima fictionum reperta, & vltra quam caperet naturalis intel-
lectus rerum, comparato: *nec ademtam* ſcilicet *cuiquam ciuitatem eſſe Roma-*
*nam, nec adimi potuiſſe.* Quod multis in ea, quæ pro Cæcinna ſcripta eſt, con-
firmat, illorum iurium, quæ dignitatem ciuium tuerentur, conſultiſſimus,
ac religioſiſſimus Cicero. Id tamen altero deinde capite opportunà magis
expediendæ rei controuerſia priſci Iuris illuſtrabit. Plane ſiue fugam vl-
tro arripuiſſet, ſiue iudicij extrema (vt ita cum Poëta *c* loquar) aulæa reus
manſiſſet, ſententiam, quæ frequens fuit damnationis forma, *placere aquam* c *Horatio*
*ei interdici, & ignem.* Hoc modo concepta ſententia nec quidem directis *in Arte*
verbis adempta ciuitate, innoxios ſcilicet adigebat, intactoſque mutare *Poëtica.*
ſolum exilij cauſa. Prohibitis enim (quod licuit) certis, iis quidem neceſ-
ſariis ad viuendum, rebus; nec data vitæ copia; certum erat interdictos alio
ſe prorepturos vt viuerent. Ita qui nullatenùs expelli per vim poterant,
egeſtate neceſſariorum oppreſſi citis curriculis inhoſpitale ſolum relin-
quebant.

Aquam vtique, ignemque iis neminem dare in Romano ſolo, qui exu-
latum abiiſſent, huiuſmodi damnatione fuit præceptum: quorum partici- X.
patio neceſſaria eſt; πῦρ, ὕδωρ, τροφὴν, *ignem, aquam, alimentum*: quod ait Io-
ſephus contra Appionem lib. II. Tectum alij addunt, quo magis rem expli-
cent. Cicero pro domo ſua. *Non ademptione ciuitatis, ſed tecti, & aquæ, &*
*ignis interdictione.* Et Appianus in exilio Metelli lib. I. Bellorum ciuilium
στέγην expreſſit: quamquàm id reticuerit Latinus interpres: Plutarchus et-
iam in C. Marij vita. Et ſimile eſt Iuuenalis illud è Satyra IV. *Vltimus autem*

*Ærumnæ cumulus, quod nudum, & fruſtra rogantem*
*Nemo cibo, nemo hoſpitio, tutoque iuuabat.*

Vbi legendum forſan *tecto.* Interdicendus & aër fuit, ſi non cunctis
abſque vllo miniſterio pateret alieno. Saltem prohibitione ignis, qui
quidem vti eſt in Trinummo, *datur, tametſi ab inimicis petas*; hoc eſt
foci: & viliſſimæ rerum, facilis, ac parabilis aquæ, *quam* nihilominus *&*
*hoſtis hoſti commodat* vt alibi *d* ait Plautus; cælo vrbis, & ſpiritu, quem ci-
ues, & ſubiecti omnes Romanorum hauriebant, demum exules depel- d *Rudente Sc. 4. Actu 2.*
lebantur.

lebantur. Nimirùm vita

*Stabat in his, neque enim poterat conſtare ſine ipſis.*

Qui verſus Sulpitiæ eſt in Satyra. Huc Cicero reſpexit cùm neceſſitatem amicitiæ aliqua excellenti comparatione voluit ſignificare. *Non aqua, non igni, vt aiunt, pluribus locis vtimur, quam amicitia,* inquit in Lælio. Prouerbium his expreſſit Græcum, quo Ariſtoteles vtitur in Moralibus, & Plutarchus in libello. *Quo pacto diſtinguendus ſit aſſentator ab amico.* Quintilianus neceſſitatem horum elementorum ſignificauit lib. II. Inſtit. cap. XVI. *Quis neſcit* (inquiens) *ignes, atque aquas, ſine quibus nulla ſit vita, aliquando etiam nocere?* Et Ouidius in re exilij IV. libro faſtorum.

An quòd in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul? Quorum ſenſum magis aperit Feſtus Pompeius; & Lactantius inſuper Firmianus; cuius quin triſtiſſimum, at aptiſſimum locum adtexam, imperare mihi non poſſum: quandoquidem in hoc agmine eruditiſſimorum ſcriptorum, quibus nil ferè totius antiquitatis inuiſum, intactumque, pauciſſimis pagellis abſoluetur eius labor, qui putet conuenire vbique ſibi Horatianum illud, *Dicam inſigne recens adhuc indictum intactum ore alio.* Elegantiſſimi rerum diuinarum ſcriptoris verba tædium ſpero adducent nulli. *Exulibus* (inquit ille ſecundo Diuin. Inſtit.) *ignis, & aqua interdici ſolet; & interdicto vſu earum rerum quibus vita conſtat hominum, perinde habebatur, ac ſi eſſet, qui eam ſententiam exceperat, morte mulctatus: adeò iſta duo elementa priſtina ſunt habita, vt nec ortum hominis, nec ſine his vitam crediderint poſſe conſtare.*

XI. Huic interdictioni, ſeu pœnæ per circuitum (vt ſic dixerim) irrogatæ ſimillima eſt manſuetiſſimæ Chriſti eccleſiæ vulgaris pœna excommunicationis, vt vocant, ſiue ſacris, & fidelium cætu interdictionis. De quâ nil amplius dicam, contentus id inſinuare hoc loco quod ad rem præſentem viſum fuit pertinere. Ad eius tamen pœnæ inter Hebræos obſeruationem confirmandam, vanum quid & ridiculum, ſed tamen accommodatiſſimum ex Alcorano profert Seldenus Syntagmate primo. De Diis Syris cap. IV. Dicitur ibi Moyſes Aaronem, (ſiue vt vocat Aſcemeli) ob vitulum Hebræis fabricatum, ea pœna damnaſſe, *vt quamdiu viueret, peregrinaretur, nec cuiuſquam communione potiretur.* Quo ait reſpexiſſe Geographum Arabem in Geographia Nubienſi Parte V. Clymetis II. De Inſulis Rubri maris. Inter has enim ait eſſe *Inſulam Samerei, quam populi colunt Iudæi Samaritani; quorum teſſera eſt, vt dicat quis ex ipſis, cùm aliquem offenderit Lameſas; & hac dictione deprehenduntur eſſe ex Iudæis qui deſcendunt ex Sameri auctore vituli tempore Moyſis, cui ſalus.* Hæc ille. *Lameſas* interpretatur Seldenus, *non attingas, contactus ſit nullus, communio nulla:* quæ ipſa fuerit ſupplicium indicendi formula.

XII. At quo tempore in mores, in linguam Romanam introiuerit hæc interdictio, & quærit nemo, & ego habeo etiamnum incompertum. Nihil enim minus quam Dionyſij Halicarnaſſenſis loco impellor, vt credam Romuli ætate iam notam, & vſurpatam. Refert hic in ſecundo, Romulum eos, qui violauerant Lauinienſes legatos, *aqua & igne interdixiſſe*, ὕδατος εἴργεσθαι, καὶ πυρός: qui nempe ſimulatque Tatius Rex Sabinorum, idemque in re Romana laudati Romuli collega, coniuratione Lauinienſium interiit, confeſtim omnes ex vrbe profugerant. Non ſanè hoc argumentum tanti eſt, vt exiſtimem rudi ſæculo, & prorſus militari hos circuitus pœnarum placuiſſe. Verè fuit exilium indictum, & interdicta vrbs ſine vlla prohibitione, aut

XIII. mentione ignis, & aquæ: quod Romuli factum ætatis ſuæ phraſi Dionyſium explicuiſſe nullus dubito. Amant videlicet Hiſtorici vti & Poëtæ, (quod per Rhetores excuſatur) iis verbis in altera ſæpè vti, quæ alterius

partis

partis hiſtoriæ ſunt; & κατὰ πρόληψιν, ex perſona ſua, & ætate, non ex eorum narrare, quorum res geſtas ſcribunt. Nos aliqua exempla, Dionyſij cauſa, XIV.
παρέργως dabimus. Notum eſt in primis Salluſtij quadam ex Diomedis Grammatici obſeruatione, lib. II. cap. vltimo & Virgilij VI. Æneidos, aliaque iam olim collecta, & obſeruata à Delrio noſtro, ſemel atque iterùm in Aduerſariis, & Commentariis Herculis Furentis, Ianoque Rutgerſio lib. II. Variarum Lectionum cap. III. Quo anachroniſmo video Liuium excuſari, Siliumque Poëtam, apud quos Annibal iam ſua ætate, orbis terrarum caput, domitricemque Romam dixit; quæ quidem tunc temporis nedum ſolidæ Italiæ iugum impoſuerat. Horum verba Scriptorum videre eſt lib. I. Electorum RubenI cap. XXV. ſimiliter Statius Papinius ex more Vrbis ſuæ, atque æui iacentem in menſis canit Achillem lib. II. Achilleidos; cùm ætate illa in vſu non eſſet accubitus, ſed ſeſſio: quare Homerus ſedentes omnes Heroas inducit. Sic è contrario Marcianus I. C. Corneliæ legis De Sicariis pœnam, non vtique interdictionem aquæ & ignis, quæ reuera fuit, ſed ex more, & nomine ſui temporis deportationem dixit in li. III. §. V. D. Ad Leg. Corn. De Sicariis: quod obſeruauit iam in libro de legibus Manutius. Pro multis tibi ſit de hac prolepſi, ſeu anachroniſmo tractans plene, docte, erudite, vt ſolet, Ioannes Gerardus Voſſius lib. I. Inſtit. Orator. cap. XI. §. VII. His exemplis Dionyſianum iſtud contribuo libens.
Monumenta quidem antiquitatis Romanæ, quæ manu vſque ad memoriam ſempiternam hominum pertinaci Liuius duxit, interdictionis huius tunc primum meminiſſe deprehendi, cum de M. Poſthumij publicani pœna ſcribit lib. XXV. Verum neſcio an temerè, an quòd vſitate iam per illud tempus Romæ appellationis, & moris ſibi conſcius eſſet. *Videri eum in exilio eſſe, bonaque eius venire; ipſi aqua, & igni placere interdici.* Sententia hæc damnationis Liuiana. Saltem de Mariano æuo, proprio ſermone Lucium Florum rem ſignificaſſe non ambigo; cum exilium ſpontaneum refert apud Rhodios Metelli Numidici, eiuſdemque abſentis à C. Mario aqua & igni interdicti. Lege ſis Liuij epitomen lib. LXIX. quod factum iiſdem verbis, mutato tamen, quòd Marij loco Saturninus Trib. pl. nominatur, rurſuſque P. Popilij eadem pœnæ ſolennitate à C. Gracho expulſio, etiam leguntur in Oratione Ciceronis pro domo ſua ad Pontifices. Cæſar item Iulius in Prouincia ſeſe vſum in profugos Senonum, & Carnutum hac pœna & formula pœnæ Romanæ, ſuis commentariis conſignauit, lib. VI. De Bello Gallico *d*. XV.

Dicebatur autem hoc præceptum exulem non recipiendi, omnibus his, qui ſub Imperio Romano viuerent, non ſociis gentibus: quorum vtique ciuitates portus erant iactatorum, & aſyla fugientium. Nempè olim (ait Polybius in VI.) ἔστι ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσιν ἐν Νεαπολιτῶν καὶ Πραινεστινῶν ἔτι δὴ Τιβουρίνων πόλει, καὶ ταῖς ἄλλαις πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια. *i. Exulibus impune degere licet Neapoli, Præneſte, Tibure; item in aliis vrbibus, quibus hoc iure fœdus intercedit cum Romanis*. Harum duas, Præneſten, Tiburque ſignat reorum exilio Liuius libro XLIII. *Excuſati exilij cauſa ſolum vertiſſe, Furius Præneſte, Matienus Tibur exulatum abierunt*. Sequentis temporis, quo iam Roma ſui iuris fecerat totam Italiam, & permultas alias orbis Prouincias; tutum exilium fuit Maſſilia Vrbs in Galliæ littore fœderata. Quare his excuſat Catilina fugam ſuam ab Vrbe apud Salluſtium: *ſe quoniam inimicorum factioni reſiſtere nequiuerit, fortunæ cedere, Maſſiliam in exilium proficiſci*. Accommodatiſſimum ſane legibus Romanis eſt, quæ exilium permittebant, quod Perſes Macedo aiebat apud eundem Liuium lib. XLII. *Et Hercule quid attinet cuiquam exilium patere, ſi nuſquam exuli futurus locus eſt*. Iure quidem & ex æquo: nam etiam Græcis XVI.

d *ex hac interdictione ſacrorũ videtur noſtra excõmunicatio fluxiſſe v. Morinum lib. 2. exercit. eccleſiaſticarum cap. 1. Anaſtaſ. Germonium de ſacrorum Immunit. lib. 3. c. 14.*

cis exulibus, qui ſupplicium fugâ anteuertiſſent, præſto erant, quin hoc fraudi eſſet, fœderatarum vrbium tuta profugia. Eo nomine iniuſtiſſimum Ariſtocratis edictum de Charidemo taxat in Ariſtocratea oratione eloquentiſſimus Demoſthenes; quòd qui Charidemum occidiſſet, eum exulantem qui ſuſciperent, ſocietate fœderum excluderent, ſupplicem niſi reddidiſſent: φύσει γὰρ ὅτω κατὰ τὸ κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον κεῖται τὸ φεύγοντα δέχεσθαι: *quamquam natura, & gentium communi lege conſtitutum ſit, exul vt recipiatur*. Ariſtides etiam in Leuctrica II. δέξασθαι τοὺς ἐκπεσόντας κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώποις; *exules recipere in more omnium hominum eſſe confirmat*. Si non lege fœderis ſcripta diuerſum conuenerit: de cuius obſeruatione tractant Iuris Magiſtri [e].

*[e] Baldus in l. de quibus n.25. de legibus Gigas de crimine Maieſtatis Rubrica de Rebellibus n.4. Clarus lib. 5. q. 71. n.11. & qui additiones contulerũt ad eum locum n.18. Menochius de Arbit. li.1. q.100. n.16.*

# CAPVT OCTAVVM.

## Controuerſia vetus examinatur, quo tempore ciuitatem amitteret is quem dedi hoſtibus in noxam populo placuiſſet.

I. *Quæſtio Iuris Fœcialium quo tempore, is quem dedi hoſtibus placuiſſet, ciuitatem amitteret. Item is, qui aqua & igne interdiceretur.*
II. *Qui legatum violaſſet populo tradebatur, cuius Legatus fuit.*
III. *Item qui ſine auctoritate publica bellum pacemue feciſſet.*
IV. *Deditio Caudini fœderis ſponſorum.*
V. *Deditio Fab. Ambuſti qui Gallorum violauit Legatum.*
VI. *Deditio C. Hoſtilij Mancini: in quo nata hæc controuerſia.*
VII. *Non in Clodio Corſis dedito.*
VIII. *Ammiani locus de eo ſuppletur.*
IX. *Nec in Q. Fabio Apolloniatibus.*
X. *Rutilij Trib. pleb. interceſſio in Mancini cauſa declaratur.*
XI. *Scæuolæ, Brutique ſententiæ in hac quæſtione.*
XII. *Ciceronis ſententia ciuem ſemper fuiſſe Mancinum, quia receptus non fuiſſet.*
XIII. *Quia ciuitas inuito non adimebatur niſi accepto in ſeruitutem, aut alterius Vrbis ciuem.*
XIV. *Inde nata interdictionis aquæ & ignis neceſſitas.*
XV. *Sententia eorumque dicerent Mancinum poſtliminio reuerſum.*
XVI. *Cicero in Topicis explicatur.*
XVII. *Et l. IV. D. De Captiuis.*
XVIII. *Tertia ſententia: opus fuiſſe noua lege, vt Mancinus fieret denuo ciuis.*
XIX. *De Prætura Mancini poſt conſulatum.*
XX. *L. 15. D. De Tutelis explanatur.*

I. MEmorati huius exilij conditionem perfectè, planeque oſtendemus, ſi antiqua, & anceps Iuris Fæcialium, & ciuitatis controuerſia, quæ Primores Vrbis ſapientes exercuit, hoc loco exactè diſcutiatur. Ambiguum

ſcilicet

ſcilicet olim fuit, quo tempore ciuitatem Romanam, iuraque illius amitterent, quibus aqua, & ignis interdicebatur. Vix tamen vllus veterum hanc quæſtionem tractauit, quin è proximo aliam, quæ in iiſdem ſtat veſtigiis, germaniſſimam; priore loco, & præiudicato terminaret. Ab eo nempe, quem hoſtibus dedi Senatus decreuiſſet, ſtatimne, & ex vi damnationis, an tunc demum cùm ab hoſtibus fuiſſet receptus, ciuitas auferretur. Namque nil tam aptum, conuenienſque amputandis bellorum cauſis viſum fuit antiquis hominibus, ſi quod inique damnum à ciue datum exteræ genti, pactumue iniuſſu populi fuiſſet, quàm dedi hominem ad noxam, quo fieret iniuriæ ſatis, religione obligata ſolueretur. Legatus videlicet

Sanctum populis per ſæcula nomen, II.

Communi omnium gentium lege debuit eiuſmodi eſſe, *quod non modo inter ſociorum iura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſaretur*, vt Cicero ait in I. Verrina. Ideò qui violaſſet, præterquàm quòd Vrbis ſuæ iure Ciuili (quod poſteà transfuſum eſt Romæ in leg. Iuliam de vi publica) domi coercendus erat; hunc ſi poſtulaſſet populus offenſus tradi ſibi, æquum fuit, paratumque omnibus gentibus expiare facinus dedita noxa. Pagina me citius deficiet, quàm exempla huiuſce moris. Adducunt plura, qui de legatorum munere ſcripſerunt; prætereaque Hugo Grotius de Iure Belli & Pacis lib. II. cap. XXI. & Franciſcus Balduinus in Iuriſprudentia Muciana. Nec non ſi iniuſte bellum intuliſſet, priuatoque nutu, & auſpiciis; ſponſionemue cum hoſtibus feciſſet, qua nollet populus ſuæ gentis obligari; eum ſi permitterent arbitrio illorum, quibuſcum fuerat ictum fœdus, religione ſe plane exſolui, veteres arbitrabantur. III.

Sed vt in Romanis ſiſtamus, cuinam lecta non eſt apud Liuium lib. IX. deditio illa Caudinæ pacis ſponſorum Iure ſummo Fœcialium Imperatori Samnitum Poncio facta? quo loco hic mos, & religio vrbis antiquæ, totaque deditionis ſolennitas diligenter exponitur. Nil tamen in ea cauſa de Iure ciuitatis deditorum, qui recepti non fuiſſent, cùm reuerterentur (ſi quidem Liuius tacet) agitatum exiſtimo. Nec item in Fabio Ambuſto, qui Legatum violauit Gallorum, quemque dedendum Gallis Fœcialis cauſa religionis acriter, ſed fruſtra contendiſſe refert Plutarchus in Camillo, diſquiri hæc cauſa potuit; nam deditio facta non eſt, nec decreta. Procul dubio illorum temporum inſpectio hæc, & ſubtilitas non fuit. In quo nata primum hæc controuerſia multo inferioris ſæculi, Caium Mancinum deprehendo. Huius deditione populus Romanus, non minore quàm propter Caudinum fœdus ignominia, & pudore flagrans, publicam fidei violationem expiauit. Sed cùm nollent deditum Imperatorem recipere, ſimiliter atque olim Samnites, Numantini, obligatam ſponſione ciuitatem vnius ſanguine exſolui poſſe negantes; quæſtio hæc ſuper redeunte agitata eſt: quod præter Liuij epitomen, Florumque in aureo ſuo Romanarum rerum Breuiario, Velleium, & Eutropium, Plutarchus memorat in rebus Grachorum; quorum ab altero, ſcilicet Tiberio fœdus ictum æque fuit cum Numantinis: Appianus item in Ibericis, & incertus ſcriptor de Viris illuſtribus in C. Mancino, & Tiberio Graccho, Tulliuſque Cicero lib. III. Officiorum. Mancinus reuerſus, cùm introire in Senatum non dubitaſſet, Publius Rutilius Trib. pl. eum iuſſit inde educi; vt Cicero ſcribit etiam lib. I. De oratore quòd ſcilicet negaret ciuem eſſe, antiquæ obſeruationis cauſam oſtendens, *quia memoria ſic proditum fuiſſet* (aiebat) *quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, aut Pater patratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium.* Plane vt diximus, nuſquam refertur obiectum hoc fuiſſe Spurio & Poſthumio, cæteris ab Caudio reuerſis. Neque item Marcus Clodius, ſiue Claudius, VII.

Corſis deditus anſam præbuit huic controuerſiæ. Legatus is C. Vari Conſulis, præmiſſuſque in Corſicam cum parte exercitus, ante aduentum ſui ducis cum hoſtibus pacem fecit: quam cùm Pop. Romanus repudiaſſet, Clodius ad noxam traditus, nec item ab iis fuit receptus. Ioannes Zonaras, qui factum narrat, Claudium vocat Cliniam; aliis placet Gliciam. De Nomine, & prænomine haud ſinit nos ambigere Valerius Maximus, melior teſtis lib. VI. cap. III. ſcribens Marcum Clodium, quia turpem cum Corſis pacem fecerat, deditum, neque ab hoſtibus receptum, Senatus iuſſu in cuſtodia necatum. Dio tamen in excerptis de vitiis, & virtutibus, iam ſupra
VIII. laudatis, exilium ei, non necem, ait irrogatam. De hoc, & Ammiani locus eſt, vnde verbum vnum inter manus iam olim fugit exſcriptorum, in fine lib. XIV. *Summa atrocitate* (ait) *Veturium, & Claudium Corſis dedit:* Cum recta lectio, & integra ſit, *Veturium Samnitibus, Claudium Corſis dedit.* De quo
IX. iam monuit Stephanus Vinandus Pighius in Annalibus Romanorum *a.* Refertur & Q. Fabij deditio facta Apolloniatibus, qui in ſinu Ionio ſiti ſunt, propter legatum eorum pulſatum, apud Valerium Maximum lib. VI. cap. VI. Dionemque in iiſdem excerptis ex lib. I. De quo tamen altum ſilentium circa ciuitatis, aut poſtliminij quæſtionem; cùm procliue eſſet id quærere in eo, quem Apolloniates incolumem, nec à ſe receptum, ad ſuos remiſerint. Hiſtoriam hanc ad annum Vrbis CCCCLXXXV. Sigonius in Faſtis refert.

a *Anno Vrbis* DXVII.

X. Quo igitur exemplo adiuuare potuit interceſſionem ſuam de Mancini dignitate Tribunus? Aut alium deditum nobis ex hiſtoriis proferant, in quo mota hæc quæſtio; aut ſaltem nobis permittant, qui res curioſè tractant, iura Vrbis Romanæ interim arbitrari; præiudicium fortaſſe factum huic deditorum cauſæ, comparatumque alia ſimili; eius videlicet, quem populus, aut pater ſuus vendidiſſet: quæ duo alia exempla Rutilius interceſſione ſua cum priore coniunxit. Potuit ex aliqua ſanè iſtarum obſeruatio naſci ad germanam cauſam deditionis, deducique in eorum animos, qui ius callerent, ſi quando deditum non recipi deinceps contigiſſet, eodem prorſus modo debere iudicari. Sed tamen non ſine controuerſia fuit Iuris Conſultiſſimorum, qui tempore illo ſumma exiſtimatione, ac dignitate erant, certane illa, & vera quibus interceſſiſſet Rutilus, Iurique, ac
XI. cæremoniis Fœcialium conuenientia viderentur. Inter alios Princeps Publius Mutius Scæuola, qui tertio ab hinc anno Conſul fuerat, ſententiam dixit; quam potius eſt repreſentare verbis Pomponij noſtri in L. finali D. De Legationibus. *Quem hoſtes* (ait) *ſi non recepiſſent, quæſitum eſt an ciuis Romanus maneret: quibuſdam exiſtimantibus manere; aliis contra: quia quem ſemel populus iuſſiſſet dedi, ex ciuitate expuliſſe videretur, ſicut faceret, cum aqua, & igni interdiceret. In qua ſententia videtur Publius Mucius fuiſſe. Id autem maximè quæſitum eſt in Hoſtilio Mancino, quem Numantini ſibi deditum non acceperunt.* Hæc Pomponius. Vnde elicimus, pariter, & ex eadem regulâ decidi ſolitam vtramque cauſam dediti nec recepti, & interdicti. Quare non aliam viam, ſed noſtram pergimus. Proximus huic Pomponij loco alter laudatur Modeſtini de eadem controuerſia; cuius nondum ſatis explanatur breuiſſima, & confragoſa ſententia. Hic in l. IV. D. De Captiuis. *Eos* (inquit) *qui ab hoſtibus capiuntur, vel hoſtibus deduntur, iure poſtliminij reuerti antiquitus placuit. An qui hoſtibus deditus reuerſus, nec à nobis receptus ciuis Romanus ſit, inter Brutum & Scæuolam variè tractatum eſt: & conſequens eſt vt ciuitatem non adipiſcatur.* Quibus in verbis vix apparet, Brutus, & Scæuola in cauſa propoſitâ quid exiſtimauerint, quid deinde per conſequentiam affirmet Modeſtinus. Res tota, & quæſtio hæc penitiùs executienda eſt. Plane vno ex tribus

modis

modis reſponderi poteſt in rerum naturâ quæſtioni prædictæ. Primo Mancinum, qui receptus non fuit ab hoſtibus, ciuitatem non amiſiſſe; vtique amiſſurum, ſi reciperetur; Alterum eſt, quia in ciuitate eſſe deſiſſet, ex quo traditus fuit, vt dederetur, poſtliminio videri eum redire. Tandem tertio, poſtlimininm ei non eſſe, quem dedi placuiſſet; ideo lege lata opus fuiſſe, vt ciuis de nouo fieret.

Singula hæc ſedulo examinare oportet. Ac in primis M. Tullius Cicero fidem ſemel, atque iterum iis adhibuit (quorum tamen nomina ſcire nos noluit, aut ipſe neſciuit Pomponius) qui olim exiſtimauerunt ciuem ſemper fuiſſe Mancinum; nec ciuitatem ei aliter adimi potuiſſe, quam ſi ab hoſtibus reciperetur: & conſequenter, neque iure poſtliminij conſueto, neque rogatione aliquâ opus habuiſſe, vt ciuis eſſet. Adeamus ipſum in cauſa Cæcinnæ. *Quid? quem Pater patratus dedidit, quo is iure amittat ciuitatem? Vt religione ciuitas ſoluatur, ciuis Romanus traditur: qui cum eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus: ſi non accipiunt, vt Mancinum Numantini, retinet integram cauſam, & ius ciuitatis.* Pendet hoc iudicium, ſententiaque Ciceronis, ſupponitque aliam regulam antiqui iuris, quam ſæpiſſime idem ſcriptor alias producit: nec ciuitatem, nec libertatem cuiquam inuito adimi poſſe, quin factum ipſiuſmet, ſiue tale quid contingeret, quo cum ſtare ciuitas, aut libertas Romana non poſſet. Idcirco nempe, ne videretur adempta ciuitas, (quod iam notatum) interdicebatur illis aqua & ignis, quos non aliter potis eſſet pellere damnatio. Plane, is qui liber, & ciuis Romanus cum Fæciali, ſeu Patre patrato venerat, vt dederetur, deditione facta in ſeruum hoſtium recipiebatur; nec ſeruo amplius poterat retineri ciuitas. Pariter atque is, qui ab ea ciuitate aſciſceretur cuius eſſe ciuitatis vellet, non poterat, etiam ſi nollet, non mutare ciuitatem Romanam: duarum etenim Vrbium iure illo ciuis eſſe nemo poterat. Reuera autem de ciuitate ſua ſtatuendi facultas cuique libera eſt, vt inquit Triphoninus leg. xii. D. De Captiuis, & poſtlim. reuerſis, §. ix. quod fundamentum libertatis alicubi appellat Cicero. Egregium eſt in hanc rem, vltra ea quæ ſtatim ſumenda ſunt ab eodem Tullio Cicerone, Cornelij Nepotis teſtimonium in Vita Pomponij Attici. *Omnes honores* (inquit) *Attico, quos poſſent publicè Athenienſes habuiſſe, ciuemque facere ſtuduiſſe: quo beneficio ille vti noluit: quòd nonnulli ita interpretantur, amitti. Ciuitatem alia aſcita.* Accuratè ſummus Latinorum Orator tractat, exornatque hoc ius in cauſa L. Cornelij Balbi; qui ex Gaditano ciuis Romanus olim factus, poſtulabatur quaſi non ex iure fœderum à Cn. Pompeio fuiſſet ciuitate donatus: item pro A. Cæcinna, & Pro Domo ſua ad Pontifices. Hoc ipſum ius, & priſtinam obſeruationem pertinuiſſe ad interdictos in eadem Cæcinnæ cauſa multis confirmat. Præcipua hæc ſunt, quæ ad argumentum noſtrum maximè ſpectant. *Sed cum homines* (ait) *vincula, neces, ignominiamque vitant, quæ ſunt legibus conſtituta, confugiunt, quaſi ad aram, ad exilium; qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent, non prius ciuitatem, quàm vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur iis ciuitas, ſed ab his relinquitur atque deponitur.* Rationem audi: *nam cùm ex noſtro iure duarum ciuitatum nemo eſſe poſſit, tum amittitur hæc ciuitas denique, cum is qui profugit, receptus eſt in exilium, hoc eſt in aliam ciuitatem.* Plura ibidem exempla ſuccedunt, quæ ad confirmandam regulam, profligandamque aduerſariorum de facultate ciuitatis adimendæ ſententiam Clariſſimus antiqui Iuris interpres expendit ornatiſſimè. At ſi interroges, quinam ex antiquis fuerint Ciceroni huius ſententiæ auctores, iuxta ſcire me fatebor cum iis qui ignorant. Sat autem liquet ex Pomponio nonnullos exiſtimaſſe ciuem manſiſſe Hoſtilium: ſi non ad Ciceronem ipſum, & qui Ciceronem ſequuti ſunt ille tantum reſpexit,

XII. XIII. XIV.

 Iam

XV. Iam ad id quod altero loco poſitum eſt, accedentes, defendi poterat, Mancinum, quòd ciuitatem amiſiſſet, neque deditus receptus ab hoſtibus feciſſet, poſtliminio redire: Quod quidem Athenis certum, atque indubitatum fuit; vt videre eſt in Demoſthone Philippo Regi à ciuibus tradito, nec à Philippo recepto, ſed dimiſſo in priſtinam ciuis conditionem: de quo ipſe Demoſthenes in Apologia pro ſe apud Libanium. Apud Romanos ſanè diuerſa multum fuit huius deditionis obſeruatio & ciuitatis amittendæ, aut conſeruandæ ratio. Nempè ab indulgentia poſtliminij nonnulli arcebantur; in quibus placuerat deditum receptumque ab hoſtibus eſſe; cui reuerſo negabatur poſtliminium. At æquitate is nitebatur, qui non quemcumque deditum hoſtibus indignum hoc beneficio legum iudicaret, ſed illum tantnm, qui receptus, & hoſtium potitus eſſet. Quæ quidem controuerſia videtur in notiſſimis fuiſſe, & quæ crebro veniret in ſcholaſticam quæſtionem: quam & conceptis verbis laudat Cicero in exemplum afferens earum cauſarum, de quibus quæritur qualia ſint libro II. de Oratore: *ei ne, quem Pater patratus dediderit, ſi is non ſit receptus, poſtliminium eſſet.* Nec alium ſenſum habent, aut ſine apto ſenſu ſunt, quæ adducit ipſe in Topicis verborum notationem Oratori commendans. Multa ex ui

XVI. nominis, ſeu etymologia ſumi argumenta exemplis commonſtrat: & quidem duobus. Nam lubet hunc locum Ciceronis obſcurum alias, & repetitione vnius nominis, in diuerſis exemplis non multum expeditum, paucis exponere. Prius exemplum in poſtliminio ſtatuitur; de quo non conueniebat inter Mucinm Scæuoiam, & Seruium Sulpicium. Poſterius apponitur in deditione: an ſcilicet deditus videatur is, qui non recipitur; quòd ſanè ad poſtliminij ſuperiorem notationem non pertinet. Diuerſiſſima igitur, ac ſeorſim accipienda ſunt, quæ in deditione tractat his verbis. *Quo in genere etiam Mancini cauſa defendi poteſt, poſtliminio rediiſſe, deditum non eſſe; quoniam non ſit receptus; nam neque deditionem neque donationem ſine acceptione intelligi poſſe.* Liquet ex his deditionem non aliter, quàm cum acceptione ab iis qui Mancinum defendebant, propterea intelligi, quia reuera & propriè dediti, hoc eſt accepti nullum eſſet poſtliminium; quod & vidit Boëtius in commentario huius loci. *Idcirco* (ait) *quia ſi eum hoſtes recepiſſent deditum à ciuibus, etiam ſi quomodo hoſtibus effugiſſet, non videretur poſtliminio regreſſus, qui iudicio ciuium omnis libertatis iure fuiſſet exutus.* En regulæ rationem. Poſtliminium his paratum non erat, qui iudicio ciuium magis, quàm calamitate alia externa in hoſtium poteſtatem venerunt; non vtique nocentibus, ſed miſeris, & qui per iniuriam, hoc eſt capti, hoſtibus ſeruirent. L XIX. In principio D. De Captiuis.

XVII. Siſtamus tamen; nam procedere nos vetat Modeſtinus abnormi, vt videtur, reſponſo in l. IV. D. eodem titulo. *Eos qui ab hoſtibus capiuntur* (ait) *vel hoſtibus deduntur, Iure poſtliminij reuerti antiquitus placuit.* De ab hoſte captis toto illo titulo conuenit ita ius fuiſſe poſteriori parti. Franciſcus Balduinus ferro mederi ſe credit, alternatione mutata in negationem, vt ita legatur, *nec hoſtibus deduntur*: & ſic arceantur à poſtliminio qui armis victi hoſtibus ſe dederunt, vti arcet Paulus in l. XVII. D. eodem titulo. Franciſcus Balduinus merito ſuo laudari debet, qui in commentario Mucianæ Iuris prudentiæ diffinitionem multiplicem huius controuerſiæ, Scæuolæque ſui ſententiam accuratè exponit. Sed tamen tentabimus explicare & nos verba prædicta ſine correctione aliqua. Certi ſumus non veniſſe in mentem Modeſtino, de illis vt ageret in ſuperiore regula, qui ad noxam, cauſaque religionis hoſtibus tradebantur; neque diſtinguere voluiſſe captos à deditis, ſed tamen alterum nomen altero explicare. *Capti, deditique* eiuſdem ca-

lamitatis bellicæ nomina & exempla ſunt; vti etiam *dedititÿ* & *captiui*, vt credo, in Marcellini lib. XXXI. Idem homo, & captus propter victoris, & deditus propter ſuam ipſius voluntatem & factum rectè dicitur : quia quamuis ſi liberum eſſet, noluiſſet (vt Paulus alicubi ait *b*) tamen coactus voluit: *coactus*, inquam *ſua voluntate* vt inquit Terentius And. Actu IV. ſc. I. Græcis eſt ὀ θέλων τι, κὴ θέλων, *volens*, & *nolens*. Nec obſtat Paulus ſupra adductus ex l. XVII. huic expoſitioni : quoniam ille postliminium his negat, qui *armis victi hoſtibus ſe dediderunt*, hoc eſt militibus, qui in prælio pugnantes cùm fortiter occumbere poſſent, maluerunt tamen in ſeruos hoſtium facta deditione concedere. At verò qui ab hoſtibus capti extra pugnam fuerunt, aut intercepti ſe dediderunt, ne occiderentur, hoc merito coniungit nec remouet à beneficio poſtliminij Modeſtinus ita intelligendus. Profectò ſi eum aliter accipiamus, reſpexiſſeque ad hoſtibus ob religionem deditos credamus ἐκ διαμέτρȣ *c* opponuntur præmiſſis ea quæ ſubiungit. Ambigui ſenſus reſponſum tentemus reſerare. ſtatim ſequitur in §. I. *An qui hoſtibus deditus reuerſus, nec à nobis receptus* (Balduinus hîc etiam mauult, *nec ab iis receptus*) *ciuis Romanus ſit, inter Brutum & Scæuolam variè tractatum eſt* : *& conſequens eſt, vt ciuitatem non adipiſcatur*. Incidunt non ſemel auctores noſtri iuris in vitium illud, quod vitari maximè debere docet Horatius in Arte.

b L.21.§.5. D. Quod Metus cauſa.

c Ex diametro, contra ne.

Dum breuis eſſe laboro.
Obſcurus fio

Aut Tribonianus ſibi mirificè in conſuendis digeſtorum centonibus indulſit. Si verba incorrupta ſunt, planè in deditis iam receptis, qui reuerterentur, quæſtio mota eſt; non in his, qui recepti non fuiſſent, vt Balduino placet. Verba illa quippe, *nec à nobis receptus*, tantundem valent, nondum à nobis ſolenniter, & lata lege receptus. Variè autem de re tractatum inter Scæuolam & Brutum refert Modeſtinus. Fortaſſe Brutus etiam eum, qui ex dedito, receptoque ſeruitutem hoſtium euaſiſſet, ad poſtliminij benignum ius admittebat: Publius (an Q. Mucius.) Scæuola contrarium exiſtimabat: quam Scæuolæ ſententiam approbans Modeſtinus, in fine ait, *& conſequens eſt* ( vt hac phraſi, id quod ſibi magis videtur explicet) *vt ciuitatem non adipiſcatur*, ſcilicet poſtliminio. Neceſſe ergo fuit, ſi Modeſtini, & ante eum Scæuolæ fidem ſequi velimus, nouam condi legem, quâ is in ciuitatem, vnde pulſus fuerat, reciperetur.

Atqui hoc ipſum in eo, qui non reciperetur ab hoſtibus, quòd ſcilicet opus haberet, vt ciuis fieret, nouâ lege; vltimum membrum diuiſionis, quæ tertia eſt controuerſiæ diffinitio, poſtulabat. Quod intendiſſe olim Rutilium Tribunum, verba illa Ciceronis, quibus obſtitiſſe Mancino ille refertur, abundè ſignificant: *quia quem Pater ſuus, aut populus vendidiſſet, aut Pater patratus dediſſet, ei nullum eſſet poſtliminium*. Hoc & Publius Mucius ſenſiſſe videtur Pomponio in l. Vltima de legationibus: qui quidem de Mancino ibi notat, latam poſteà legem, vt ciuis eſſet Romanus. Nempè ortâ controuerſiâ, & primoribus ſenatus in diuerſas ſententias diſcedentibus, neceſſum fuit ita ferri legem, *ciuem Romanum eſſe Mancinum*; quæ quidem certo, & præſenti remedio opitulata eſt incerto redeuntis ſtatui; atque hominis conditionem citra opinionum iactationem conſtituit. Non tamen inde factum præiudicium credas, vt ſimili deinde lege dediti nec recepti ciues omninò indigerent. Alioqui M. Cicero ſuam de Mancino ſententiam ſcriptæ legi contrariam ſciens & prudens in concionis luce legumque, minimè defendiſſet. XVIII.

Quid autem eſt quod notat Pomponius, Præturam geſſiſſe Mancinum poſt iſtam legem? Vtrum ne conſularem ad Prætorium munus repedaſſe? XIX.



Ita

Ita profectò. Honores hi ſunt, quos geſſit Mancinus. Anno. Vrbis DLXXIII. Præturam priorem; etiam ſi *A Hoſtilius Mancinus* in Liuio ſit, vulgari errore pro *Caio*. Anno DCXVI. Conſulatum cum M. Æmilio Lepido, quando bellum geſſit Numantinum. Male ergo Prætorem eo bello nominat auctor de viris illuſtribus, cùm conſulem veniſſe in Hiſpaniam Valerius, Liuij epitome, cæterique omnes conſtanter admoneant. Idem cùm è deditione reuerſus fuiſſet, in teſtimonium ciuitatis reſumptæ ornari voluit quocumque honore: nec dedignatus eſt vir Conſularis Præturam petere, anno DCXIX. vt ſuſpicari datur ex Pomponij, etiamque iſtius; qui de viris illuſtribus, ſcripſit, teſtimonio de Prætura Mancini poſt reditum: quod & Stephanus Pighius cenſet in Annalibus hoc anno. Et non ne in integris & optimè meritis de Republica ciuibus ſimilia exempla? Præturam nempè viros conſulares geſſiſſe. Lucius Papirius Curſor ex Conſule Prætor ſequentis anni factus fuit, auctore Liuio in fine lib. x. Publius item Lentulus Sura, qui cum Catilinâ coniurauit, ſuperioribus annis Conſul, tunc quando de eo ſumptum eſt ſupplicium, Prætor eat, vt ex Saluſtio conſtat. In Quæſturâ etiam exemplum eſt. Titi enim Quinctij Capitolini, qui ter conſul fuerat, quæſturam Liuius memorat in III.

XX. Sed quia eiuſdem Verbi, quod tantopere exponimus *recepti* aut *non recepti ab hoſtibus* veſtigium extat in difficillimo Vlpiani reſponſo ex l. Si quis tutor XV. D. De Tutelis, age, breuiter nos ab eo extricemus. *Si quis tutor* (ait) *non ſit captus ab hoſtibus, ſed miſſus ad eos, quaſi legatus, aut etiam receptus ab eis, aut transfugerit, quia ſeruus non efficitur, tutor manet. Sed interim à Præſidibus alius tutor dabitur.* Hæc Vlpianus. Varias hic reſponſiones communiſcuntur Clariſſima illa Iuriſprudentiæ nomina, Ciriacius lib. IV. Obſeruat. cap. XXI. Antonius Faber in Papinianæa Tit. XII. Principio I. Illatione XXI. Donellus lib. III. Comm. cap. XIV. ibique Hilligerus lit. F. Marcus Dyklama VII. Membranarum, ecloga XXXV. §. I. Melchior de Valencia noſter lib. I. Illuſtrium Tract. III. cap. VI. numero III. nuperque Ioſephus de Retes Profeſſor Salmantinus, Doctrinæ Iuris nomine, humaniorique litteraturæ, quâ legalem Campum reddit, vti condecens eſt, quotidie magis cultiorem & vberiorem, mihi in paucis illius Scholæ Præceptorum celebrandus, in libello de Interdictis, & relegatis lib. I. cap. IV. quem vtique nos poſt exantlatum exilij noſtri hunc laborem vidimus, de quo & in præfatione operis lectorem monemus. Inter tot, ac tales viros ſententiam dicere animus eſt. Planè mihi cum eo conueniet, qui leui mutatione ſic Vlpianum legerit: *ſed miſſus ad eos, quaſi legatus, aut etiam receptus ab eis, vt transfugerit.* Sic ex tempore emendabam; nullo ex his, quos bene ſcio in his ſalebris verſatos, in manus ſumpto, qui mihi nunc non ad manus. Duo ſi caſus exempla continent eorum qui apud hoſtes ſunt, & tamen ciues manent. Prior eſt legatus, qui cum mandatis populi Romani ad hoſtes iuit: poſterior is, qui transfugio ſimulato, ad captanda eorum conſilia, permiſit ſe in manus hoſtium, receptus ab eis non in ſeruum ſed in ciuem, aut ſocium. Cui, quoniam animus eſſet reuertendi, nihil impediebat apud hoſtes eſſe, quominus ciuis eſſet; quia licet corpore apud eos, mente alienus erat, vt ait Pomponius in l. V. §. III. & Florentinus in l. XXVI. D. De Captiuis. Non enim poterat ciuitatem amittere, qui nec voluntate ſua, nec pœnâ ſibi irrogatâ aliquâ peregrinitatis, iure illo excidiſſet. Hunc talem ſimulatum transfugam deſcripſiſſe Vlpianum mihi veroſimile eſt his verbis, *aut etiam receptus ab eis, vt transfugerit*, hoc eſt, *quaſi transfugerit*. Nam indubitati Iuris eſt, verum transfugam ciuem non manere, imò & hoſtium loco eſſe, nullumque ei competere ius poſtliminij, l. XIX. §. IV. D. De Captiuis: quare nec

nec tutorem amplius eſſe, ex regula §. IV. Inſtit. Quibus modis tut. finiatur. Sed ſi manet ciuis, & tutor is, de quo Vlpianus loquitur; quare & ſubſtituitur alius non curator, ſed tutor, aduerſus regulam tutelarum ferè perpetuam, *tutorem habenti alium tutorem non dari.* quæ expreſſa eſt in l. IV. C. In quibus cauſis tutorem habenti &c. Cenſeo, vt reſpondeam, vnum ex his hunc locum eſſe Vlpiani, in quibus impropriè, & latè ſumitur tutoris nomen etiam de Curatore; vti ſumi debere in l. XII. D. hoc eodem titulo. De Tutelis exiſtimant, Donellus III. Comm. cap. XV. Faber in Iuriſprudentia Tit. XII. Principio I. Illatione VII. Aut certè ſi in prædictâ lege XII. proprie, ſpeciatimque acceptum tutorem in locum abſentis reipublicæ cauſa dari, contrarium huic ſenſum ſequentes admittimus, egregie hic locus confirmabit Modeſtini, in quâ verſamur, ſententiam: qui quidem Modeſtinus in locum legati ad hoſtes miſſi, aut ſimulati transfugæ, quorum vtrumque abeſſe cauſa reipublicæ compertum eſt, tutorem alium ſcribit à Præſide creandum.

## CAPVT NONVM.

### Ex occaſione dictum de abnormi pœna & inuentione proſcriptionis Lucij Syllæ, & Triumuirorum.

I. *Initio interdicta à Romanis pars Italiæ ſiue tota eorum ditio.*
II. *Poſtea certi fines exulibus intra eam præſcripti, quibus deberent excedere.*
III. *Tempore bellorum Marij & Syllæ præſcriptio inuenta.*
IV. *Quouſque Marius proceſſerit.*
V. *Quouſque Sylla.*
VI. *Tabula proſcriptionis.*
VII. *Numerus proſcriptorum Syllæ.*
VIII. *Quiſnam auctor & fuerit vt proſcriptos tabula comprehenderet.*
IX. *Triumuirorum proſcriptio.*
X. *Securum exilium quale?*

Fines vt dicebamus, exilio præſcripti, quos interdicti excedere debebant, initio quidem Reipublicæ ea pars fuit Italiæ, quæ Romanis tunc I.
parebat; quod ex Polybio vidimus. Hoc facilè erat, nec adeò durum, tum arctis limitibus arceri damnatos. Sic in Græcia, ἐκ τῆς πόλεως, καὶ ἐκ ἁπάσης ἧς Ἀθηναῖοι ἄρχουσιν, *ex Vrbe, ac tota regione, ſeu ditione Athenienſium* (quæ verba ſunt Æſchynis Athenienſis) exules pellebantur. Adulto iam, & in Aſiam, II.
& Africam prolato Imperio, ne tam magna orbis pars interdiceretur, ſententia ipſa modum, & fines exilij deſignabat. Vnum pro omnibus exemplum præbebit huiuſce rei lex Clodia, quâ interdictum ſibi aqua & igni ſæpè memorat Tullius, aliique ſcriptores. Hic (Dione auctore lib. XXXVIII.) *iuſſus eſt abeſſe à Roma vltra* CCCCLXVIII. *millia paſſuum, manſioque in Sicilia abnegata.* Plutarchus formulam interdictionis, & rotundum numerum expreſſit, in vita illius: *ne quis eum intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto acciperet.* Hac lenitate legum, & pœnarum, innocentis adhuc, belligeræque Vrbis mores cenſebantur: neque eo tendebat aquæ, & ignis interdictionis inuentum, vt ciues conſumeret; ſed magis vt ſeruaret, Imperioque, ac neceſſitate abeundi exitio, ac neci ſubtraheret. Superuenerunt tamen III.
ſæua

ſæua illa tempora, & nunquàm non pœnitenda Reipublicæ, cùm profligato ab externis hoſtibus metu, in ipſa ſua viſcera (vt animosè olim cecinit *a* noſter Lucanus) Romana gens armatam victricemque manum conuer-
*a Lib. 1. Pharſ.* tit. Quibuſquidem iactata per vices irruentium Marij, Syllæque copiarum, & factionum procellis Reſpublica, hac etiam ex parte benigni adeo iuris, quo dignata fuerat nocentes ciues data eis abeundi copia, ſenſit ſe vultum impotentium dominatorum abrogatis legibus, & libertate, per ſummam iniuriam induiſſe. Natum quippe monſtrum proſcriptionis magnam partem illibatæ vſque ad hoc tempus, vallatæque legibus vrbanæ ciuium multitudinis deuorauit. Et quia ciuilis planè, atque æqua interdictionis conditio, ad nutum victoris, in hoc funeſtiſſimum, ac teterrimum pœnæ genus erupit; quamdiu atrociorem omni bello pacem inſania excogitauit ciuilis, fecitque, ordine ipſo res eò perducta eſt, vt improbiſſimum hoc Syllæ inuentum, ſcripta etiam lege comprobatum, quæ Cornelia dicta eſt ab auctore, huius capitis argumentum, nec omnino πάρεργον,
*b Extra opus* *b* fiet.

IV. Et Mariana quidem crudelitas non vltra ſæuiit, quàm vt deprehenſum
V. quemque ex inimicis ciuem interficeret. Sylla autem, is qui

*c* quod exiguum reſtabat ſanguinis vrbis
Hauſit,

*c Lucanus lib. II.*
*d D. Aug. lib. 2. De ciuit. Dei c. 24.*

*Cuiuſque tempora* (vt verbis vtar ſanctiſſimi Hipponenſium Antiſtitis *d*) *talia fuerunt, vt ſuperiora* (Marij) *quorum vindex eſſe videbatur, illorum comparatione quærerentur*; is inquam, Sylla primus nomina proſcriptorum, & occi-
VI. dendorum in tabula palàm propoſuit; ita vt cuiuis permitteret proſcriptum quouis gentium loco inuentum interficere; præmio etiam, pœnaque occidendi, & parcendi ſuppoſita: quod Appianus tradit lib. I. & iterum initio lib. IV. Bellorum Ciuilium. Plutarchi verba de eapſe re latina, ne in Græcis immoremur, oſtendunt affatim proſcriptionis conditionem, in Vita Syllæ. *Adſcripſit ei, qui recepiſſet, & ſeruaſſet proſcriptum, pœnam humanitatis capitalem ſancire ſe; nec fratrem, vel filium vel parentes excepit: percuſſori præmium cædis bina talenta; etiamſi ſeruus dominum, etiam ſi genitorem interfeciſſet filius: quod verò omnium eſt viſum iniquiſſimum, notauit proſcriptorum liberos, nepoteſque infamia, omniumque publicauit bona.* Hac ſæua ille impotentia, & noui generis edito, vti appellat Florus, Felicis cognomen ambiuit, adſumpſitque; atque etiam Fauſti, & Επαφρόδιτε; quomodo Græcis ſcribens, & Romæ in Trophæis, (hoc eſt *Venerigratum*) ſe appellauit: cuius rei auctores ſunt Appianus, Plutarchus, & Valerius Maximus lib. IX. cap. II. Hanc acerbitatem Syllani temporis, hoc proſcriptionis miſerrimum nomen refricabat Ciceroni exilium ſuum, cùm pro domo ſua ad Pontifices *Quid* (aiebat) *quod maximè ſit inſigne ad memoriam crudelitatis habet proſcriptio? Opinor pœnam in ciues Romanos nominatim ſine iudicio conſtitutam.*

VII. Scilicet ſcribi fecerat in tabula L. Sylla Senatorum quadraginta nomina, Equitum Romanorum MDC. vt Appianus; vel ex vtroque ordine duum millium; vt Florus, & S. Auguſtinus. Valerius Maximus tamen quatuor
VIII. millia, & ſeptingentos diræ proſcriptionis edicto iugulatos memorat. Et quidem Syllæ auctorem fuiſſe huius fatalis tabulæ Furfidium quendam primipilarem teſtatur Oroſius; quia nempe ſine delectu ſæuiebat in ciues exercitus, multique conniuente Imperatore priuatas ſimultates vindicabant; vt verè, eleganterque Lucanus ſcripſerit

*non vni cuncta dabantur:*
*Sed fecit ſibi quiſque nefas: ſemel omnia Victor*
*Iuſſerat.*

Furfidius

Furfidius (Floro auctore, non Furfidius) Syllam admonuit, viuere aliquos debere, vt eſſent, quibus imperaret. Plenius id refertur in Plutarchi Sylla; C. Metellum vnum ex iuuentute Senatorem percunctari auſum à Sylla in Senatu, quis tandem finis cædium futurus eſſet. *Deprecamur* (inquit) *non eorum, quos tu tollere deliberaſti, ſupplicia; ſed dubitationem eorum, quos conſeruare ſtatuiſti.* Reſpondentemque Syllam, *nondum ſe certum eſſe, quos eſſet incolumes relicturus;* diutius vrſiſſe *quin igitur* (ait) *expromis, quos velis punire?* At ille dixit ſe id facturum. Tunc notat Plutarchus ἔνιοι δ' οὐ τὸν Μέτελλον, ἀλλὰ Ἀφίδιον (male: malique nomenclatores Latinorum nominum Græci) ἕνα τῶν πρὸς χάριν ὁμιλούντων τῷ Σύλλᾳ, τὸ τελευταῖον εἰπεῖν λέγουσιν. *Sunt qui non Metellum ſed vnum ex Syllæ adulatoribus Affidium ferant hoc poſtremum dixiſſe.* Oroſius tamen Q. fuiſſe Catulum; qui Syllam; *cum quibus tandem victuri eſſent* interrogauit, *ſi in bello armatos, in pace inermes occidimus.* Quem ipſum ſermonem tribuit monitori ſed Anonymo D. Auguſtinus lib. III. cap. XXVIII. Hic Q. Catulus, ſi verum memorat Paulus Oroſius, forſan ille iunior eſt, qui collegam in conſulatu Lepidum turbas mouētem oppreſſit, vir ſummæ dignitatis in Repub. teſtantibus Floro, Valerio, Eutropioque: non alius ille qui cum C. Mario de Cimbris triumphauit: is enim in perſequutione Cinnana exitiali hauſto ad illatum ignem, ſpiritu eius loci, quo ſe incluſerat, calce nuper, arenaque perpoliti ſuffocatus diem ſuum ante hoc tempus obierat, quod ſcribit Velleius in II. Dequo & Lucanus lib. etiam II. Pharſal.

*quid ſanguine Maneis*
*Placatos Catuli referam.*

Rem totam ſuperioris obſeruationis aureus comprehendit locus D. Auguſtini; quem ardore illo, quo feror in ſanctiſſimum, atque ingenioſiſſimum virum, non potui (ſim licet prolixus iam in iſta indignitate Reipublicæ) impetrare à me, quin elegantiſſimis Ethnicorum collatum cupiam. En verba eius ex cap. XXVIII. ſupra laudato. *Vnde tot funera numerari omnino non poterant, donec Syllæ ſuggereretur, ſinendos eſſe aliquos viuere; vt eſſent quibus poſſent imperare, qui vicerant. Tunc iam cohibita, quæ hac, atque hac paſſim ferebatur, licentia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione propoſita eſt, quæ hominum ex vtroque ordine ſplendido, equeſtri ſcilicet atque Senatoris, occidendorum, ac proſcribendorum duo millia continebat. Contriſtabat numerus, ſed conſolabatur modus; nec quia tot cadebant tantùm erat mœroris, quantum lætitiæ, quia cæteri non timebant.* Lectu digniſſima ſunt quæ deinde ſequuntur, elegantiſſimamque huius calamitatis deſcriptionem continent, vti & Lucani liber ſecundus.

Iſtiuſmodi Syllana fuit proſcriptio: quod ſequenti æuo crudeliſſimum felicis illius infauſti exemplum graſſandi in partium aduerſarios, ſequuti ſunt libentes, arripueruntque tres illi Syllæ diſcipuli (quomodo appellat eos Satyricus) Cæſar octauianus, M. Antonius, & Lepidus Triumuiri; quorum formam proſcriptionis, & numerum ſacrorum capitum fuiſſe tradit videndus omnino in lib. IIII. Bellorum Ciuilium Appianus. Adeò placuit ſæuiſſima hæc antiquæ libertatis, ſanctiſſimarumque legum violatio, vt ſpreta quidem exilij, quæ maxima diu pœnarum, conſcium ſibi liberæ conditionis populum coërcuit, atrociſſimum exinde genus damnationis, quo ſanctorum, & inuiolabilium capitum cædes, turbato etiam naturalis iuris ſenſu, præcipiebatur, peſtes illæ reipublicæ probare, & irrogare neutiquam vererentur. Deuoratum mireris ab his ciuibus, qui in vrbe modeſta nati, atque educati clariſſimum ſui ſpecimen in debellandis patriæ hoſtibus præbuerant, nouum hoc, & abnorme tyrannicæ crudelitatis exem- IX. *Iuuenalis Sat. 2.*

F plum:

plum : vt nempe pœna & præmium cogeret, nedum inuitaret homicidas; adeo quidem adſtrictos, homicidij neceſſitate, vt alterutrum eligere opus eſſet, qui proſcriptum hominem vidiſti & excepiſti, aut occidere; aut ſi
X. miſeritum fuit, occidi. Tutum profectò exilium ſuum damnatis, & inuiolatum ante hoc tempus fuerat, qui ſaltem abſtinerent locis interdictis. A Proſcriptione nuſquam ſecuritas, nuſquam perfugium, niſi quo non pertingeret proſcribentium auctoritas. Ideo *ſecurum exilium* φυγὴν ἄδολον, hoc eſt damnationi Syllanæ, an Triumuirorum prorſus contrarium, poſcebat iis qui circa ſe eſſent ex numero proſcriptorum, Pompeius Magni filius, cùm ſuam, & Cæſaris, Antoniique controuerſiam certis conditionibus tranſagendum proponeret. Vide ſis Appianum lib. v.

## CAPVT DECIMVM.

### Exilij prima diuiſio triplex ratione loci. Lata fuga idem quod interdictio certorum locorum.

I *Marciani diuiſio triplicis exilij, ratione loci.*
II. *Vera lectio l.* V. *De Interdictis, & relegatis.*
III. *In Iuris libris an liceat Criticum agere.*
IV. *Interpretes Iuris qui probant laudatam lectionem d. l.* V.
V. *Lata fuga.*
VI. *Fuga. Fugare, Fugitiuus, de exilio & exulibus.*
VII. *Latæ fugæ mentio in Ammiano.*
VIII. *Lata culpa ſeu negligentia quo ſenſu dicatur.*

I. TAndem illud Imperialis, hoc eſt poſtremi Romanorum temporis exilium eſt, quod Marcianus. I. C. diuiſione, (vt ſcholæ loqui amant) accidentali, ſummam iſtius penè regulâ comprehendens, ob oculos ponit. Accidentalis namque diuiſio eſt quæ loci reſpectu conſtituitur : accidit enim exilio, illo, vel illo loco, ſicuti etiam accidit ad tempus decerni, perpetuoue. Quoniam verò ductu Marciani auia hæc exiliorum non temerè peruagabimur; age, applicemus nos, & commentarium noſtrum ad amuſſim, & normam auctoris. Certior equidem & explicatior ea mihi viſa ſemper lectio, quam ſic refingunt ingenioſi, & modeſti interpretes. *Exilium*
II. (ait Marcianus *a*) *triplex eſt : aut certorum locorum interdictio, vt lata fuga : aut omnium locorum præter certum locum; aut inſulæ vinculum, id eſt relegatio in inſulam.* Florentiæ aliter eſt, & in vulgatis, *aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, vt certorum locorum interdictio* &c. Differentia in eo eſt, quòd excuſa lectio eandem exilij ſpeciem cum *lata fuga, locorum omnium interdictionem præter certum* conſtituit : alteram, quam ex ingenio præponunt docti viri *latam fugam, certorum locorum interdictionem* interpretatur, & παραφράζει
*b.* Qui legitis (quod in veteri, & ſacra formula eſt) fauete linguis. Imo ma-
III. la verba dicis tu, & imprecaris iam mihi iratam Themidem, & Muſas; (ſuperſtitioſa) neque profeſtum, ac profanum, arcendumque à Larario Iuſtitiæ calculo tuo fers, cui non niſi tui ſimiles, hoc eſt ſuperſtitioſiſſimi probantur. At ego quidem pedibus libenter ab iis diſceſſero, qui ſpongiam deletilem vbique paratam habent, meque ſuffragatorem tuum habebis, ſi temerè quis, & in ſententia ipſa Iuris Cenſoria virgula vti velit; & cum ver-

a *In L. V. D. De Interd. & relegatis.*

b *deſcribit.*

bo. Ius

bo. Ius ipſum ſanctum, immutabile, deſtruere, ac denuo fingere. Hoc ſi liceat interpreti, ius etiam datum oportet ferendarum eidem legum. Mihi enim ſedet (vt huic rei veluti natum C. Grachi dictum, quod aliud agenti Plutarchus in vita eius accommodat, vſurpem) *niſi extrema neceſſitate ferrum adhibere, neque medicum, neque ciuile eſſe.* Scio iſtius, & ſuperioris ſæculi doctiſſimos, quos tædium cœpit caſſi illius, & Accurſiani acuminis, etiam interiora ipſa, & vt ſic dixerim, viſcera antiquorum fragmentorum Iuris, correctorio Stylo non ſemel hauſiſſe: & hos quidem vt imagines ciuilis ſtudij triumphales eximiorum operum manſurà monumenta ſuperis nunc, & olim ſeris nepotibus oſtendent. At palmam ex critico iſto agone, quo emeriti iam & extra arenam poſiti Iuriſprudentiæ ſcriptores (vt ſic dixerim caueæ redditi ferrum iubentur intimis præcordiis capere; alteri mauelim quam mihi deferat, vulgus eruditorum. Ingenium per me ſuum exerere cuique licet: & non omne, quod iſta ſcriptum ſit, alba linea ſtatim notare; dum modo partes Interpretis, cum liceat, (& fere ſemper licet) prius egeris, quàm ſectoris, & maſtigophori. Mutata plura, & incorrecta inter tot manus tranſcriptorum, quis vnquam ſanus ambiget inſediſſe veterum, ac nouellorum codicum omnes paginas? In quibus & numero ſacrum illud, & prudentiſſimorum iudicio pluſquam Sibyllinum Florentinum exemplar; quod tamen induſtria hominum, & cura ſeruatum, humana oportebat vitia contrahere. Sed decet Iuris ſacerdotes (vti veram Iuriſprudentiam edoctos noſter vocat Vlpianus c) receptam vt plurimum fide ſuperioris temporis lectionem amplecti; nec tantum iudicio tribuere, vt velint nata recens in ſinu ſuo verba, ſententiamque tanquam ex ore Apollinis ſuſceptam, oculis iam, & animis noſtris ingerere; veteremque monetam noua, & ſua nota recudere priuatos. Verumtamen qua lege prohibemur, aut quare ora nobis corruere debent, ſi aduertamus eo criterium noſtrum, vbi verbum, non res adducitur in controuerſiam; de quo potius coram Philologis, quàm in foro Iuris auctorum cauſa dicenda ſit. Pudet profectò in minimis, & quæ ſacrata ſuo quodammo iure non ſunt ſuperſtitioſos eſſe liberique, ac feruidi ingenij impetum habere in poteſtate.

*c In l. 1. Di Iuſtia & Iure.*

Placet igitur, (vt hoc agamus) quia apertior eſt lectio iſta; quam habuimus præ Florentina. Et ne vltra deſideres iudicij noſtri cauſas; rem in primis fulciemus auctoritate: deinde etiam ratione. Probauerunt vtique ſic legi debere, vt nos legimus, Iacobus Cuiacius, Ioannes Robertus; Guilielmus Budæus: Diſerte quidem Robertus lib. IV. Receptar cap. XI. Cuiacius autem hanc lectionem inuitis licet exemplaribus probare ſe inquit in Notis ad Pauli ſententias libro V. Tit. XVII. Budæus tandem in Annotationibus reliquis ad Pandectas, aut corruptum locum, aut ex dimidio mutilum, ex eo nimirum exiſtimat, quod aptus elici ſenſus ex illa diſtinctione triplius exilij non poſſit. Saltem illud inconfeſſo habet, exilium vagum, ſeu liberam vagandi poteſtatem extra certum locum illud ipſum eſſe, quod *latam fugam.* Marcianus appellat. Ioſephus inſuper Retesius in Recitatione huius tituli prudenter hanc vulgatæ lectionis corruptelam auerſatur. Deinde emendationem tuetur, præter horum auctoritatem, non vna ratio. IV.

Alteram præbet ipſum nomen, ſeu complexio hæc nominum *lata fuga.* Latinorum *fuga*, Græcorum φυγὴ eſt; ſeu φυγαδεία: noſtrumque vocabulum è Græco fonte: Id enim horum nomen probauit pro exilio Latinus ſermo. Et memini me illud vidiſſe ita ſignificare duobus locis librorum Iuris: nempe in l. IV. §. Ad tempus. D. De Re militari; quæ eſt Menandri; & apud Gordianum Imperatorem in l. II. C. De His qui in exilium lib. X. At nota iam ſuperiori æuo, & Cornelio Tacito, aliiſque familiaris *Fuga* fuit pro exilio. V. VI.

lio. Huius rei locus hic è libro XIV. indicium eſto. *Quoties fugas, & cædes iuſſit Princeps, toties grates Deis actas*, inquit. Et Cicero in quadam epiſtola ad Atticum lib. IX. *Hæc fuga, quam tu peregrinationem* (ait) ὑπ᾽οκορίζον *d appellas.* Et III. Tuſculanarum; *Exilij mœſtam fugam*; & pro ſextio *Ariſtidis fugam* dixit. Ouidius lib. III. Triſt. eleg. VIII.

ἀ Subblandiens.

*Mutato Leuior ſit fuga noſtra loco.*

& eleg. XIIII. *Fuga dicta mihi, non eſt fuga dicta libellis.* Paſſimque in his libris, & de Ponto. Et *Fugare* eſt in exilium mittere, in eodem Poeta lib. I.

*Voluit hoc Cæſar: quid quem fugat ille tenetis?*

item lib. II. Triſtium

*Cumque alij tibi ſine cauſa grauiore fugati.*

Et *Profugus* Seruio initio Æneidos, ille eſt qui procul à ſedibus ſuis vagatur, quaſi *porrò fugatus.* Quamuis verius ille profugus ſit, qui fugit; exul qui fugatur: ſiue vt Iſidorus in differentiis ſtatuit, profugum ex voluntate, vti exulem ex neceſſitate dixerimus. Similis, eſt *Fugitiuus.* Gloſſæ Cyrillo tributæ. Φυγὰς *Fugitiuus, Exulatitius, Fugitiuoſus.*

Planè ſi Fuga, exilium eſt, latâ fuga Latum, ſeu Liberum exilium nonne erit? & latè fugare, quid niſi in latum expellere, atque vno loco interdictum latè diuagari extra eum ſinere. Prorſus ſicut longe, lateque peregrinari, ita fugam late arripere latè fugere latum hoc, & nullis Clauſum finibus exilium ſignificare debet. Rurſus ſi *lata fuga*, interdictio eſt omnium
VII. locorum, incluſioque in vno loco, planè oportebit, vbicumque huius exilij mentio ab ſcriptoribus Latinæ hiſtoriæ habeatur, locum expreſſum iri, quo reus includitur. Puta lata fuga damnatum, illa aut illa Vrbe coercitum fuiſſe. Et quoniam traduceremus nomine, oſcitantiſne, an incurioſi, an grauiore aliquo, eum qui ita ſcripſiſſet ieiunè, ac frigidè? *Hic lata fuga damnatus eſt*; cum potiùs debuiſſet: *lata fuga Vrbis Alexandriæ damnatur*; ſiue *lata fuga damnatus, Alexandria Vrbe includitur, ne locus pœnæ ignoraretur*: Res nimirum geſtas ſuæ ætatis conſignantem, quarum ne minimę quidem notæ latere ipſum poterant. Mihi hoc dato, manu te iam ad quendam ſcriptorem duco, quem merito ſuo non facile patieris propter cauſam hanc conuiciis noſtris vrgeri. Ammianus is eſt Marcellinus, cuius ſanè libri, ne multum ſimus de eloquentia in viro militari, æuique illius, ſolliciti, eo præcipue, ceuſione doctiſſimorum, auro contra cari non ſunt, quòd multa aliis intacta reipublicæ Romanæ monumenta non ſinunt obliuione deleri. Huius de lata fuga teſtimonium, quod Marciani fragmentum confirmet, nec aliud alterius repræſentare poſſum. Lib. XIX De Simplicio quodam ex Præfecto, & Conſule, quòd diceretur ſuper adipiſcendo Imperio interrogaſſe oraculum accuſato apud Præfectum Conſtantini Cæſaris Paulum; *fato quodam arcente* (ait) *corpore immaculato lata fuga damnatus eſt.* Hoc ipſum exilij genus eſt quod Parnaſio irrogatum, verbis id ſignificantibus ſtatim memorat: *Eo deductus periculi, vt pronuntiaretur capitis reus, itidem pulſus eſt in exilium. Itidem,* aduerbium ideo poſitum fuit, vt ſignificaretur gemina, & germana damnatio iſtius, ac ſuperiori. Sed ais, quonam loco prohibiti duo hi ſimplicius, & Parnaſius, ſi vterque latum, & liberum per nos exilium acceperunt? & quare potius in eo, qui loco clauditur, quam in eo, cui locus interdicitur, ſilentium auctoris de loco exilij reprehendimus? Forte, quia præceſſerat ex Antiochia, & Alexandria multos ad iudicium Pauli Scythopolim Palæſtinæ vrbem adductos; has Prouincias interdixiſſe illum damnatis, videlicet Syriam, Palæſtinamue, aut Ægyptum indicat Marcellinus. Et quidem eæ quæ interdici reis debuerunt, nempè domicilij, aut in quâ factum fuiſſet delictum, & appen-

dix

dix iſtarum. Curia Imperatoris, vt mox videbimus, adeò certæ erant, nec in arbitrio Iudicum, vt non magnum peccatum peccauerit Ammianus, ſi rem tam moribus notam, & ſolennem cunctorum fermè exiliorum ſimpliciter ſine loci mentione litteris tradidit. Locus autem, quo quis includitur, adeo incertus eſt, vt annotari omnino debere his omnibus fuerit viſum qui exempla referunt talis exilij, ſeu in loco incluſionis, cuiuſmodi VIII.
plura loco ſuo producemus. Nec eſt quod *latam culpam, latamque negligentiam* obtendas, de magna, & dolo proxima vſurpare noſtros auctores; vt æquè magnum, ſeu maius, ſeueriuſque aliis hoc latum exilium ſit, ſeu *lata fuga*, coërcitioque certi loci. Et ſunt, quibus eo præcipuè argumento, vti vulgò eſt, integer videtur Marcianus. At ego ſcio latè delinquere, aut peccare pro multum, grauiterque delinquere Latinum eſſe: quòd ſi tam Latinum ſit, aut rectum, *latè fugere*, aut ſi mauis, *latè fugare*, de eo, qui arctatur, & concluditur loco, planè aduerſus nos perorata lis eſt. Sic placet. At ſi quis aliter autumat, ſenſu ſuo per me fruatur, vt verbis vtar Sophoclæi Aiacis Maſtygophori.

## CAPVT VNDECIMVM.

### De hac interdictione certorum locorum.

I. *Vrbe aliqua expelli, patria, Roma.*
II. *Prouincia, aut certis finibus.*
III. *Liberum hoc exilium dictum.*
IV. *Iulius Capitolinus explanatus contra Budæi mentem.*
V. *Prohiberi Romam accedere, aut Vrbem aliquam.*
VI. *Prohiberi portione Vrbis, ſeu vico aliquo.*
VII. *Foro, aut Regia.*
VIII. *Foro collimitio apud Athenas, & Iudis.*
IX. *Sacris Amphictyonicis. Concilium* Ἀμφικτυόνων *quale.*
X. *Eius auctor quis.*
XI. *Vnde dicti* Ἀμφικτυόνες.
XII. *Diuerſi* ἀμφικτυόνες & ἀμφικτιόνες.
XIII. *Populi primùm vocati ad hoc concilium.*
XIV. *De quibus cauſis* Ἀμφικτυόνες *cognoſcebant.*
XV. *Locus Concilij & tempus.*
XVI. *Pythia certamina ab his inuenta.*
XVII. *De* Ἀμφικτυόνων *ſacris.* Ἱερομνήμονες *qui?*

Eſt quidem interdictio certorum locorum, ſeu lata fuga, primo loco poſita ſpecies exilij, quod explanatum it Marcianus hoc fragmento Veteris regulæ. Hanc verò interdictionem is patitur in primis, qui Româ exigitur, aut alia Vrbe; qui intra muros, territoriumue patriæ morari prohibetur. l. vii. §. xix. l. xii. D. De Interdictis. Feſtus in *Religati: Quibus neceſſe eſt ab Vrbe Româ, alioue quo loco abeſſe.* Hæreticis eam pœnam dictam legimus, vt Vrbe pellerentur: l. ii. l. iv. C. de ſumma Trinitate: & aliis paſſim. Et qui aliquâ Prouinciâ, interdicitur; l. xiv. in principio: eodem II.
titulo: vel multis Prouinciis. Inſigne eſt in re hac exemplum modeſtiæ Octauiani Cæſaris. Gallus quidam, quòd multa in Auguſtum vana dicta deblateraſſet, prohibitus dumtaxat ab eo fuit intra Prouincias degere, quæ recenti deſtinatione ad curam Principis ſpectabant. Sed hanc moderatio-

nem illius noluit Senatus conuiciatori proficere : expulit ergo eum vndecumque; bonaque damnati Auguſto addixit : quod Dio Caſſius refert in lib. LIII. Proximi ſunt, quibus adſignantur fines, certuſque milliarium numerus, quæ excedere debent. Tale vidimus fuiſſe Ciceronis exilium : & Tiberius, vt exemplo maiorum Appuleia propter adulterium vltra ducenteſimum lapidem remoueretur, ſuaſit referente Tacito in II. Propinquos namque adulteras coërcuiſſe ante Iuliam legem, aut dote, aut exilio mulctantes, iam diu eſt quod Lipſius obſeruauit in excurſu ad quartum eius auctoris librum. De exilio vltra centeſimum lapidem concepta lex eſt XIV. C. de Epiſcop. & Clericis. Vrbe etiam, & Italia prohibiti Mathematici non ſemel : quod refert Valerius Maximus lib. I. Tertullianuſque. De Idololatria cap. IX. Hoc ipſum fuit Italia prohiberi, ſine Vrbis mentione, apud Tacitum II. Annal. alioſque.

Huius conditionem exilij graphicè explicuit Plutarchus exuli ſuo, quicumque is fuit Sardibus eiectus, quem in iam laudato opere περὶ φυγῆς ſolatur. σοὶ δὲ οὐχ ἑνὸς δεδουλωμένον μόνον, ἀλλὰ ἀπειρημένου τόπου, πάντων ἐστὶν ἐξουσία πόλεως ἡ μιᾶς κώλυσις. i. *Tibi cum non ſit vnus adſignatus locus, ſed vno prohibitum; qui vnum interdixit tantum, aliorum omnium poteſtatem fecit.* Et Attius apud Nonium [a] Iubet *proficiſci exilium* (pro exule) *quouis gentium* : ſiue, vt legi vult Gerardus Voſſius [b], *Iuſſit proficiſci quouis gentium exulem.* Conuenit verſus ille ex Phœniſſis Euripidis de exule;

οὐχ ἕνα νομίζων φθείρεται πόλεως τόπον

Non Vrbis vnius perit fixus loco.

[a] In Valeſcunt.
[b] Lib. 7. De Arte Gramm. c. 42.

IV. Eapropter *liberum* appellauit *exilium* Iulius Capitolinus in Marco. *Deportatus eſt* (inquit) *Heliodorus filius Caßij; & alij liberum exilium acceperunt cum bonorum parte. Filij autem Caſſij & amplius media parte acceperunt paterni patrimonij; & auro, atque argento adiuti; mulieres autem etiam ornamentis, ita vt Alexandria* (idem nomen eſt cum Alexandra, quod ex MSS. probat Caſaubonus) *filia Caßij, & Druncianus gener liberam vagandi poteſtatem haberent.* Non ſatis concoquunt integra hæc verba eſſe doctiſſimi viri, qui Auguſtam hiſtoriam recognouerunt. Attamen haud ambigitur *liberi exilij* nomine vagum hoc, & quo certus prohibetur locus, ſiue, vt ego appello, exilium à loco, extra quem, vbicumque vellet, manere licebat exuli, aptiſſimo denotari. Budæum excipio, qui liberum exilium id interpretatur, quod vnuſquiſque ſibi deligit; certum quidem, & circumſcriptum ſuis finibus, ſed eligendum arbitrio damnati; liberam vero vagandi poteſtatem id putat, quod certorum locorum interdictionem appellat Marcianus; quo, qui eiecti ſunt, locum ſubinde mutare poſſunt, modo ne reuertantur, vnde exulare iuſſi ſunt. Hanc tamen Budæi coniecturam videntur verba M. Antoninum *Viuant* ( ait Marcus) *in patrimonio parentum pro parte donato; auro, argento, veſtibus fruantur : ſint diuites, ſint ſecuri, ſint vagi, & liberi, & per ora omnium vbique populorum circumferant mea, circumferant veſtræ pietatis exemplum.* Nec aliter irrogatam pœnam Vulcatius exprimit Gallicanus idem, quàm iis verbis, *liberam euagandi poteſtatem*, Quæ Capitolini ſunt; quo plerumque vti ſolet. Quare Claudio Salmaſio penè adſentio, qui auctoris incurioſitatem in aliis ſibi deprehenſam redolere iſtunc Capitolini locum cenſet. De Drunciano, cuius etiam meminit Paulus IC. in eo fragmento, quod ſubditum eſt Titulo *Ad legem Iuliam Maieſtatis* in Cod. Iuſtiniani, videris Caſaubonum in Notis ad Capitolinum, Cuiaciumque lib. III. Obſeruat. cap. XIX.

V. Fuit etiam hoc genus exilij, ne Romam, ne vrbem aliquam accederet : quæ pœna Mathematicis imponitur in l. fin. C. Theodoſ. De Maleficis, & Mathematicis. Pertinetque l. X. C. de Epiſc. audientia. Hoc eſt, vt non

ſolum

ſolum vrbe Roma, ſed vt omnibus ciuitatibus pellerentur. Nam Alexander Seuerus furibus Prouincialibus, hoc eſt repetundarum reis, & peculatus, hanc pœnam vbicumque infligi voluit, ne in ciuitatibus vllis vnquam viderentur, & ſi eſſent niſi, vt deportarentur, Lampridio auctore in huius Auguſti vita. Furibus Prouincialibus, ſiue Iudicialibus, ſcienter dixi: nam & ſic emendari poſſe vitium communis illius omnium codicum lectionis, *Fures iudicare*, Caſaubonus exiſtimat ſuper hoc loco, morem ipſum prohibendi quæque loca publica, teſtimonio cuiuſdam epiſtolæ fidelium Lugdunenſium ad fideles in Aſia ſcriptæ confirmans. Pertinet quod in eccleſiaſticis Hiſpaniæ monumentis legitur, irrogatum olim Valerio Cæſarauguſtano Epiſcopo huiuſmodi exilium à Daciano Præſide; ne ad vllum oppidum, quod vel viginti conſtaret domibus, impunè accederet. Quid ſi VI.
& locus certus vrbis interdicatur, non vrbs tota *c*? exilium non male dicemus. Nempe ſi iubeat is, qui vrbi præeſt, abſtinere aliquem è ciuibus aliquo vico, aut portione vrbis; puta, ne incurrat in eum, quem odio proſequitur, & quocum, ſi obuius ei fiat, rixam commiſſurus creditur. Diſertè Græcus liber legum compendiarius, à Leunclauio editus, Leonis & Conſtantini Imperatorum hoc firmat, titulo IIII. ὁ τῆς πόλεως ἔπαρχος δύναται ἀπαγορεύειν τινὶ τῆς πόλεως καὶ μέρους αὐτῆς. i. *Præfectus Vrbi poteſt aliquem vrbe interdicere, & parte Vrbis.* Quæ eadem in Baſilicis verba ſunt Tit. IV. lib. VI. Mores hodierni hoc ferunt, vt Iudex, ne quis ſecundum alterius domum tranſeat, edicere poſſit *d*, quod ipſum dixeris via illa, aut vico hominem interdicere, atque illius exilio damnare. Aptiſſimum eſt quod Hebræi vſurpabant in eo homine, qui apud refugij ciuitatem, homicidium abſque conſilio perpetrauiſſet. Verba ſunt ex Codice Maccoth in Miſna cap. II. *Si in ea ipſa vrbe cadem fecerit, ex vico in vicum tranſit, at leuita de Vrbe in Vrbem.* Andocides Græcus Orator, oratione I. Militibus quibuſdam Athenis qui remanſiſſent ſub Tyrannis, pœnam ait impoſitam, *aliis ne in Helleſpontum nauigarent, alius ne in Ioniam*; τοῖς δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν μὴ εἰσιέναι, hoc eſt, *quibuſdam ne in forum ingrederentur.* Quod ipſum hodiernam praxim, ferre ſcimus *e*. Et quidem exi- VII.
lium intra vrbem Valerius Martialis agnoſcere videtur, eum qui propter egeſtatem regiones vrbis infrequentes habitabat, exulem appellans lib. X. epigramm.

*c L. Moris 9. §. 6. D. De pœnis.*

*d Gloria & DD. in L. quod iuſſit. De re iudicata. Ponte de poteſt. Proregis Tit. I. De prouiſion. fieri ſolitus n. 13. Giurba conſ. 49. n. 7. in fine. Oroſius in L. Curatores n. 4. D. De officio Procur. Cæſaris.*

*e Giurba conſ. 49. n. 7. inf. Salcedo de Leg. Polit. lib. I. c. 10. n. 30. Ant. Gomezius l. 3. Variar. c. 8. n. b.*

> Quiſquis ſtolæ, purpuræue contemptor,
> Quos colere debet, læſit impio verſu,
> Pontes per vrbis erret, exul, & cliuos.

Non multum repugnarem doctiſſimo Radero, qui *pontes per orbis* præfert ex coniectura. Sed quid vetat pontes vrbis, de iis qui ad, ſiue iuxta vrbem eſſent, interpretari? & conſonat valde Iuuenalis ſat. IV. Verſu CXVII. Aula quidem ſeu Regia domus interdici nonnunquam ſolita. Benignitas namque Auguſti, & humanitas eò maximè apud Senecam commendatur lib. III. de Ira capite XXIII. quod Timogenem Hiſtoriarum ſcriptorem, ſibi maledicum domo tantùm ſua interdixerit, hoc eſt aula Imperiali. Planè Vrbis interdictio ferè apud nos ſemper appendicem habet quinque circumcirca leucarum, hoc eſt XV. Mill. paſſuum vt videre eſt in lib. I. Titulo VII. lib. I. Compilationis.

Addit autem liber ille Græcus Leonis & Conſtantini; καὶ πραγματείας καὶ VIII.
θέας, καὶ ἐπιτηδεύσεως καὶ συνηγορίαν φόρου. *Et negotiatione* (interdicere poteſt) *& ſpectaculis, & induſtria forenſis aduocationis.* Quæ quidem ex Baſilicis fermè ſunt. Libens hucuſque laudaui hanc eclogen. vt adnectam è Græciæ antiquis legibus ſimile huic de quo agimus, homicidarum exilium. In hoc verbis vtar Demoſthenis ex oratione aduerſus Ariſtocratem toties adducta,

ĉta. Non tantùm prohibebatur homicidæ patria interfecti, ſed etiam in-
terdicebatur is ἀγορᾶς ἐφορίας, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν Ἀμφικτυονικῶν, hoc eſt, *foro
collimitio, & ludis, & ſacris Amphictyonicis*. Forum collimitium, ſiue ἀγορὰ ἐ-
φορία, quid eſſet in lege, ipſo Oratore interprete habemus compertum.
*Quid ea vox* (inquit Latine loquens) *ſibi vult? Fines regiones. Ibi enim, vt mi-
hi videtur, antiquis temporibus conueniebant finitimi, & à vrbis, & ab vrbe vici-*
IX. *ni*, Ludos intelligit ſolennes illos totius Græciæ. De ſacris Amphictyoni-
cis non tam vulgaris fama eſt. Ἀμφικτυόνες Cõcilium quoddam, ſeu conuen-
tus Græciæ fuit, Pauſaniæ non ſemel dictum Ἀμφικτυονία, *Amphictyonia*. Iu-
dicium ſcilicet vniuerſæ huius gentis commune, ſiue Concilium, vt vo-
cat Cicero lib. II. De inuentione, ac veluti nexus concordiæ, publicum-
que Græci Iuris tribunal. Tacitus lib. IV. Annalium. *Samij decreto Amphi-
ctyonum* (ait) *nitebantur, queis præcipuum fuit rerum omnium iudicium: quâ tem-*
X. *peſtate Græci conditis per Aſiam vrbibus orâ maris potiebantur.* Hoc primùm in-
ſtituiſſe Acriſium, diffinitis vrbibus, quæ in conſeſſu, aut pro ſe, aut com-
municata cum aliis ſententia ſuffragium haberent, liteſque inter ſe ipſa-
rum diiudicarent, antiquiſſimum eſſe, quod de Amphictyonibus memo-
XI. ratur, inquit Strabo in lib. IX. Video tamen pluribus placuiſſe, Amphictyo-
nis Deucalione, alias Hellene geniti hoc inuentum exiſtimari: quod ſcri-
bunt Pauſanias in Phocicis, Dion. Halicarnaſſenſis lib. IV. Suidas in Ἀμφικ-
τυόνες, Harpocrationque ex Theopompo. Alij malunt à ſitu, non ab aucto-
re deſumptum nomen Ἀμφικτυόνων; ſeu potiùs ἀμφικτιόνων, vt ſcribunt: qua-
ſi οἱ περὶ τοὺς Δελφοὺς οἰκισάμενοι, ſiue ἀμφὶ τοὺς Δελφοὺς, aut verbis Heſichij, &
Harpocrationis περίοικοι Δελφῶν, *qui circum Delphos habitarent*; quòd ab ini-
tio conueniſſent in eam vrbem finitimi populi: quam notationem, & ety-
mologiam nominis ex Androtione in Attica hiſtoria refert ibidem Pauſa-
nias, Suidaſque, Harpocration & Heſichius laudati Anaximenem teſtem
citantes, tandemque Scholiaſtes Thucydidis, quem laudat in Pauſaniæ no-
tis Nidericus Silburgius. Cuiuſce rei teſtimonium quoque dedit Michaël
XII. Apoſtolius Prouerbio IV. Centuriæ tertiæ. Mendum ſanè in Herodoti V-
rania hæc vicinitas duorum nominum fecit; non enim Ἀμφικτυόνες, vt in ex-
cuſis eſt, ſed Ἀμφικτιόνες appellari debent, qui circum Pedaſenſium vrbem
populi habitant: nec minùs Ἀφικτιονία, conuentus quidam ſeptem ciuita-
tum in templo Neptuni Calariæ inſulæ audire debet in Strabonis lib. VIII.
XIII. Hi qui ab ipſo Amphictyone vocati ſunt ad Concilium, duodecim popu-
li numerantur ab Harpocratione, & Suida decem: hique ex parte diuer-
ſi à Pauſania: qui accuratiſſime texuit hiſtoriam, & transformationes hu-
ius conſeſſus ad ſuam vſque ætatem, ſcilicet Antoninorum, ſub quibus flo-
ruit. Meminit etiam quorundam populorum, qui Amphictyones olim, poſt
deinde ferendâ ſententiâ priuati ſunt, auctor epiſtolæ ad Philippum Ma-
cedoniæ Regem, Pſeuſippus creditus à Leone Allatio, qui inter Socrati-
corum alias, & iſtam edidit. Plenum totius hiſtoriæ commentarium, ma-
ximè ex Pauſania dedit Ioachimus Stephanus *De Iuriſdictione variarum gen-
tium* ſcribens lib. II. cap. VI.
XIV. In hoc concilio cauſam dicebant Græciæ vrbes; ſi qua earum ab alia pu-
blicam, aut ciues priuatam ab extraneo ciue offenſionem accepiſſent. Mul-
ctam irrogabant integris populis: vt Phocenſibus tam magnam, quæ ne
ſolueretur, ſuſcipiendum fuit ab his prolixum & grauiſſimum bellum; ſpo-
liandumque Appollinis Delphici delubrum; vti refert Pauſanias eodem li-
bro. Conſtatque ex Plutarcho in Cimonis vita, accuſatos in hoc conſeſ-
ſu ab ſpoliatis hoſpitibus Dolopes, qui Scyron inſulam habitabant, mul-
ctamque iis fuiſſe dictam. Planè vrbis cuiuſdam Amphiſſæ dictæ, iuſſit

Amphictyonum

Amphictyonum publica auctoritate euerſæ, mentionem habet in deſcriptione Locridis Strabo lib. IX. Notum quoque ex Plutarcho eſt, Lucium Syllam, quòd grandibus impenſis Athenas expugnaret, ad Amphictyonas Delphos Vrbem, Caphim quendam Phocenſem deſtinaſſe cum mandatis, vt ad ſe mitterent Apollinis theſauros, quos in vſum belli conuerteret: quod etiam Dion retulit Cocceianus apud Conſtantinianam περὶ ἀρετῆς, καὶ κακίας. *de Virtutibus & vitiis*, collectionem. Concilium in Locride ad πύλας XV.
(quæ à calidis in vicinia lauacris Θερμοπύλαι etiam dictæ) hoc eſt, portas, ſiue anguſtias ad mare, in via, quâ itur Locriden ex Theſalia, celebrabatur bis per annum, ſcilicet verè, & autumno. Conceſſum inde ipſum. Πυλαίαν, *Pilæam* vocabant, Pilagoramque vnumquemque vrbium Synodo adſcriptarum legatum. aut Iudicem, Strabone auctore. Sophoclis tamen ſcholiaſtes à Pylade, quem primum ab his iudicatum ſcribit propter Clytemneſtræ cædem, notum putat Pilææ nomen, eo loco, quem obſeruat in commentario huius loci Strabonis Iſaacus Caſaubonus. Hos etiam Pythiorum XVI.
ludorum inuentores, ac Præſides fuiſſe teſtantur ſummi iſti Geographi, quos tam ſæpè laudo: Pindaruſque ode IV. & X. Pythiorum, & Philoſtratus de Vitis Sophiſtarum in Hippodromo. Vnde Pythia certamen *Ludi Amphictyonum* propriè appellati. Echembrotus plane Arcas in donario ſcripſit ſe Α᾽μφικτυόνων ἐν ἄθλοις, *in Ludis Amphictyonum* præmium meruiſſe, apud Pauſaniam.

Quæ tamen ſacra Amphictyonum interdixerit exulibus Græca lex, videndum. Puto, *ſacra* de ipſo concilij, tempore, & loco, à ſacrificiis, quæ tunc fiebant in Cereris fano, Strabone auctore, de quibus Meurſius agit IV. libro Atticarum lectionum cap. III. συνεκδοχικῶς *f* poſitum. Ἱερομνημόνων, etiam meminit Harpocration *g*, ſcholiaſteſque Ariſtophanis in illa verba chori Comœdiæ *Nebulæ*; καὶ γελᾶτ᾽ ἀνθ᾽ ὧν Ὑπέρβολος λαχὼν τῆτες ἱερομνημονεῖν: ſcribas, puto, ſeu commentarienſes ſacrorum, qui ad cœtum Amphictyonum ex ſingulis vrbibus mittebantur, quos quidem εἰς πυλαίαν πεμπομένους ἱερογραμματεῖς Herichius appellat. Ad hos ſpectare videtur lapis Gruterianus ex templo Appollinis Delphico, qui in Theſauro inſcriptionum *h* viſitur. Quorum vtique ſacrorum, atque Amphictyonis filij Deucalionis, qui Thermopylis, atque Athenis rerum potitus eſt, quem huius concilij auctorem plures iam memorati ſcriptores laudant, diſertè meminit antiquum illud marmor ad Arundellium in Anglia Comitem ab Aſia vſque delatum; quod veteres aliquot Græcorum epochas continet; excuſumque eſt ante viginti annos, vnà cum aliis pretioſiſſimis lapidum cimeliis ab eruditiſſimo viro, qui & notas etiam valde doctas adiecit. Georgius Hyeromnemon vnde, aut quare dictus ſit ignoro, is cuius in Dionyſium Areopagitam Græca paraphraſis eſt in Catalogo Bibliothecæ Mediceæ. Ab hoc conſeſſu vniuerſæ Græciæ arcuiſſe legem Athenarum exules, vti à ludis, collimitioque, ſeu limitaneo foro, hoc eſt publicis locis, Demoſtheni credimus: cuius gratia, & argumenti, quòd pertractamus, hanc partem Græci Iuris exornatum cupide iuimus.

XVII.

f Per ſynedochen. pa-ri pro toto.

g In Ἱερομνήμονες.

h Pag. 129.

# CAPVT DVODECIMVM.

## De poteſtate in exilium mittendi Vrbanorum Magiſtratuum.

I. *Extra Vrbem Præſides Prouinciarum exilium reis frequenter imponebant.*

II. *Intra Vrbem Princeps, Senatus.*

III. *Præfecti Prætorio, & Vrbi.*

IV. *L.* I. *§.* XIII. *De officio Præf. Vrbi illuſtratur & explanatur.*

V. *Solitæ regiones apud Vlpianum quæ ſint.*

VI. *Vrbi Præfectus an tota Italia interdixerit, hoc eſt vltra centeſimum lapidem.*

VII. *Conſulibus hoc ius in exilium mittendi denegatum.*

VIII. *Rex & Senatus Regius apud nos ſoli regno integro reos propellunt.*

I. HOc exilio, ſiue interdictione; quæ & relegatio vulgari appellatione audit, Præſides Prouinciarum frequentiſſimè in reos animaduertebant. Cùm Præſides dico, generaliter eos omnes comprehendo, qui Prouincias Populi Romani, aut Principis regebant; Macri fidem ſequutus in lib. I. D. De officio Præſidis: quomodo & accipiunt legem finalem D. De Tutor. datis. &c. & §. IV. Inſt. De Attiliano tutore. Non autem Procuratorem Cæſaris, quem quia vice Præſidis non fungeretur, relegare non poſſe reſcripſit Antoninus in lib. II. C. de Pœnis. Et omnes, qui ſtatuere non poſſunt, vt aiunt Aug. in lib. x. C. de ſententiis & interloquutione. Imò

II. Vrbani Magiſtratus, atque item Senatus, & Princeps hoc iure relegandi vtebantur. De quo, quia relegatio præcipuè ſignificat iſtiuſmodi interdictionem certi loci, eaque ipſa eſt, quæ nunc exornatur, interrogare expedit Iuris, ac priſcæ hiſtoriæ oracula. Rem ſanè Vlpianus contraxit in breuem regulam in l. XIV. D. De Interdictis. *Relegatur quis* (inquit) *à Principe Senatu, Præfectis, & Præſidibus Prouinciarum, non à Conſulibus.* Paulo aliter Feſtus in *Religati. Relegati* (alias religati) *dicuntur propriè, quibus neceſſe eſt ab Vrbe Roma, alioue quo loco abeſſe, lege, Senatus conſulto, aut edicto Magiſtratûs. Vt etiam Ælius Gallus indicat.* Principem omiſit, quem ſic Ouidius alloquitur lib. II. Triſtium.

Nec mea decreto damnaſti facta Senatus,
Nec mea ſelecto Iudice iuſſa fuga eſt:
Triſtibus inuectus verbis, (ita Principe dignum)
Vltus es offenſas, vt decet, ipſe tuas.

Senatus conſulto irrogari hanc pœnam, quod aiunt laudati ſcriptores, confirmant exemplis Tacitus, & Suetonius. Hic in Auguſto de Agrippa Poſthumo. *Multa de moribus adoleſcentis queſtus, vt exilium eius Senatus conſulto ſanciretur, perfecerat.* Prior in lib. XVI. *Tunc Senatus conſulto Caſſio, & Silano exilia decernuntur.* Et in III eiuſdem annalium libro, Tiberius gratias agenti propter fratris reſtitutionem Silano reſpondit; *id iure licitum, quia non Senatus conſulto, non lege pulſus foret.* Iudicum verò meminit Ouidius inter auctores relegationis. Hi ſanè legibus deſignata criminibus exilia reis imponebant. Plinij verba ſunt obſcura de Iudice, & exilio lib. XIX. cap. .... *Qui*

*de nummo* (inquit) *iudicet à Gadibus columniſque Herculis accerſitur; de exilio verò non niſi* XL. *quinque electis viris datur tabella.* Hæc tamen luce, & ſenſu donauit eximius I. C. Petrus Pithæus lib. II. Aduerſariorum cap. penultimo; vt hoc monito nequidem minimum in his hærendum ſit.

Præfectos inſuper hoc ius relegandi habuiſſe; & hoc loco, & in l. I. §. XIII. III.
De Officio Præf. Vrbi ſcripſit Vlpianus. Quanquàm enim de Vrbis Præfecto dumtaxat ſcripta lex ſit, optimo argumento defertur ad alterum res; de quo nil attinet ampliùs hìc monere quàm quòd vice ſacra, hoc eſt Principis, iudicat, vt Caſſiodorus ait lib. VI. Variarum. *Et Vrbe interdicere* ( ait IV.
Vlpianus in d. l. I. §. XIII.) *& qualia* (pro quâ alia: ſic in §. ſequenti, *quilicitum pro qui illicitum*, vt ſolent Florentiæ legi huiuſmodi contractiones. Auſonius: *Commemorat mæſtis te pia cure legis*: pro *cura elegis*. alia vbi loca Vinetus notat. In lapide antiquo eſt: *fœmina habent ius trium liberorum*: vt in l. LXVII. De Procuratoribus, *negoti Agere*, pro *negotia agere.*) *Solitarum regionum poteſt & ad tempus, & in perpetuum. Interdicere poterit & ſpectaculis*: *& ſi quem releget ab Italia, ſubmouere etiam à Prouincia ſua.* Quæ autem hæ ſolitæ V.
ſint regiones, meritò docti viri dubitant. Ioannes Corraſius in Commentario huius legis arbitratur, eas eſſe, quibus plerumque præter Vrbem interdicebantur damnati; nempe regiones incolatus, originis, & delicti, ex l. VII. D. De Interdictis, altero capite explananda. At ſecus eſſe mihi planum fit ex fine illo; qui enim tradita generali regula, ſpeciatim monendi eramus de Prouincia damnati? A Cuiacio autem Regiones Suburbicariæ Romæ Vrbis intelliguntur, quæ Prouincia fuit Vrbis Præfecti: de quâ, & his regionibus concertauerunt iam plures acriter, Iacobus Gotofredus, Hieronymus Alexander Iunior, Iacobus Sirmondus, Claudius Salmaſius, nec poſt illos eandem Spartam adornans fruſtra fuit Samuel Petitus libro II. Miſcellaneorum. Et video etiam placuiſſe hanc interpretationem Philippo Berterio lib. I. Pitanon. cap. III. Adiectum illud *ſolitarum* valde ſuſpectum mihi, qui de cætero in partibus me eſſe iſtorum aio. *Subiectarum* legerem, ſi non tam diſcederetur à priore ſcriptura. Græci hunc locum explicantes in Baſilicis de Vrbis ipſius regionibus lib. VI. Tit. IIII. minùs rectè intellexiſſe latina videntur: vt pote qui in mores ſuos non recepiſſent Politiam illam ſuburbicariarum Prouinciarum Præfecto Conſtantinopolis ſubiectarum. Et quænam in Vrbe *ſolitæ regiones* aptè dici poterint? Sed VI.
an relegare etiam à ſolida Italia Vrbi Præfectus poteſt? Videtur quidem poſſe propter verba illa, *& ſi quem releget ab Italia.* Sed cur non poſterius hoc docuit curſu, ductuque orationis recto, & in eadem met periodo? De Relegatione à Præfecto iſto irrogato Statio cuidam Rufino, qui proſcenij opus ædificaturum ſe Gabinis promiſerat, reſcriptum eſt Diuorum fratrum, quod Paulus laudat in l. VIII. D. De Pollicitationibus. Relegatus hic fuerat in triennium à Præfecto: relegatus, inquam, ſiue interdictus Gabiis ſaltem ipſis: nam per amicos perficere opus iubetur. At Gabij oppidum Româ diſtabat XII. ſiue XV. M. paſſibus: quæ differentia eſt inter tabulas, & Antonini Itinerarium: hoc eſt erat intra C. lapidem & in Prouincia propria Præfecti. Quare hinc deſumi argumentum nequit ad totam Italiam. Forſan Italia pro portione illius poſita, quæ ſub imperio erat Vrbis Præfecti, ne quid de nouo ſubintelligere velit Vlpianus, extendatue Præfecti ius vltra centeſimum: ſed tantùm moneat, eam ipſam regulam obſeruari debere apud Præfectum Vrbis, quæ generaliter inſinuatur ab eodem Vlpiano in l. VII. §. XVI. D. De Interdictis, eum nempè, cui aliqua vrbs, ſiue Prouincia interdicitur, per conſequentiam Prouinciâ ſua, hoc eſt patriâ prohiberi. Præſides Prouinciarum relegatione plectendi ius acce-

 piſſe

piſſe ſequens firmabit caput.

VII. Tandem Vlpianus vetat hanc poteſtatem conſulibus, etiam ſuperioris æui, cùm nondum in Auguſtos recidiſſet reuera ſummum imperium conſulatus. Conſules iniuſſu populi coërcere tantùm, & in vincula ducere iubere ciues poterant, auctore Pomponio in l. 11. D. De Origine Iuris. Inde Ciceronis querela in Senatu de Gabinio Conſule, Sextium defendentis. *L. Lamiam* (inquit) *in concione relegauit, edixitque vt ab Vrbe abeſſet mille paſſus.* Quid *hoc homine facies? aut quo ciuem importunum, aut quo potiùs hoſtem tam ſceleratum reſerues* qui, *vt omittam cætera, quæ ſunt ei cum collega immani, impuroque coniuncta, atque communia, hoc vnus habet proprium, vt expulerit ex vrbe, relegarit, non dico equitem Romanum, ſed ciuem Romanum ſine vllo iudicio, aut edicto ex patria conſul eiecerit.* Et libro XI. epiſt. XVI. ad Brutum, de eodem Lamia, qui locus mutuo reddit, & accipit lucem à ſuperiore. *Nam Clodianis temporibus cùm equeſtris ordinis Princeps eſſet, proque mea ſalute acerrimè propugnaret, à Gabinio conſule relegatus eſt; quod ante id tempus ciui Romano Romæ contigit nemini.* Hæc Cicero. Et hoc ita, quando conſulare munus tenuit faſtigium reipublicæ. Quid autem credas minùs factum poſteà quam in Principem ius ſuum, & poteſtatem contulit populus; ſublatiſque popularibus iudiciis, ad quæ à conſulibus olim fuit prouocatio, ius iſtud relegandi, cùm ad Principem, tum ad eos, qui vice illius iudicaſſent, ſpectare cœpit: conſuleſque veluti vmbræ antiqui Magiſtratus inani dumtaxat honore Faſtorum potius, quam vero aliquo, & ſolido imperio cenſeri: niſi quando Conſulari dignitate ab Auguſtis adſumptâ, *Princeps* ipſe, (vt Sidenius magnificè dixit) *Conſule creſcebat.* Quidquid autem Romanis legibus obſeruaretur, apud nos Hiſpanos ſcio ita cautum eſſe, ne cui liceat præter Principem, & qui vice Principis in toto regno fungitur, indefinitum, hoc eſt à ſolido regno exilium imponere: qui ſenſus eſt l. v. Tit. XXXI. Partita VII. Et quidem Regius Senatus Vicem hanc Principis omni loco gerit, Præfecti Prætorio dignitati omnino comparandus.

CAPVT

# CAPVT DECIMVMTERTIVM.

## De Iure ſimili Prouincialium Magiſtratuum.

I. *De Imperio & iuriſdictione Præſidum Prouinciarum.*

II. *Præſes in non ſubditos homines qui in ſua Prouincia delinquunt animaduertit.*

III. *Quandoque ad ſuos Præſides eos remittit.*

IV. *Præſes ſuâ Prouinciâ interdicit, non alienâ.*

V. *Noſtri Cancellariarium Regiarum Iudices à ſubiecto dumtaxat tractu expellunt.*

VI. *Præſes in Inſulam alienæ ditiones non relegat.*

VII. *De cuſtodia militari reorum.*

VIII. *Præſes Prouinciæ domicilij damnati, originis Prouinciam prohibere poteſt.*

IX. *Quinam loci originis & domicilij.*

X. *Sed neceſſe eſt, vt diſertè prohibeat.*

XI. *Delicti locus ſemper videtur prohibitus.*

XII. *Et ſua Præſidis ipſius Prouincia.*

XIII. *Præſes Prouinciæ originis, domicilium non prohibet.*

XIV. *Patria eiectus, nec Romam accedebat, nec Italiam.*

XV. *Ciceronis locus exponitur ex libro de Oratore.*

XVI. *Quia Roma omnium patria.*

XVII. *Quiſnam Imp. orbi Romanò ciuitatis ius dederit.*

XVIII. *Excerpta Conſtantini Porphyrogennetæ* περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας.

XIX. *Roma, Conſtantinopolis, & curia cuiuſque Principis communis ſubditorum patria.*

XX. *Vbi Princeps eſt, exul manere nequit, aut vbi Prorex: non vbi Cancellaria.*

XXI. *Curiæ exilium quinque in circuitum leucis comprehenditur, in Hiſpania.*

XXII. *Italia cuiuſcumque exilij fuit appendix.*

XXIII. *Præſes quilibet interdicere poterat originis, delicti, ac domicilij Prouinciis, & Italia.*

XXIV. *Aliis etiam præter has Præſides Syriarum & Daciarum.*

XXV. *Qui ſine loci præfinitione loci exercet Imperium, toto regno expellere reum poteſt.*

DE Iure relegandi Præſidum Prouinciarum legibuſque interdictionis ſolennibus, ſiquidem Vrbana iam abſoluimus, dilucidè, ac diligenter Vlpianus commentatur libro x. De Officio Proconſulis, eâ parte, quæ in l. vii. Digeſt, De Interdictis, repræſentatur. Cuius illa quæ ad rem ſpectant, capita, ſiue (vt noſtri loqui amant) paragraphos, eorumque explanationem, debet alia præcedere, licet è triuio Iuris, nota. Monendi nempè ſu- I.
mus, quatenùs ſua Iuriſdictio conſtet Præſidi, ſiue imperium, cùm in Prouinciales, tum in extraneos Prouinciæ ſuæ; ne ſubinde ſi monitum hoc omittimus, in ſpeciali iure relegationis, ſiue interdictionis offendamus.

Præſidem in Prouincia maius Imperium omnibus aliis poſt Principem
planè habuiſſe, docet Vlpianus in l. IV. De Officio Præſidis, & l. VIII. De
Officio Proconſulis, animaduertereque eum poſſe in Prouinciales non
tantùm, ſed & in extraneos interdum, ſi quid admiſerint, cum in manda-
tis Principum contineretur, curare eum debere, qui Prouinciæ præeſt,
malis hominibus eam purgare, tradidit Paulus l. III. D. eod. titulo De Of-
II. ficio Præſidis. Quamuis enim receptum ſit axioma Iuris, extra Prouinciam
ſuam cuiuſque Præſidis iuriſdictionem non exerceri, ex l. XX. D. De Iuriſ-
dictione l. III. & l. XIII. D. De Tutoribus datis &c. 4. εἰδέναι XIII. inferiore.
De Excuſationibus l. V. C. Qui petant tutores a, cap. finali De conſtitutio-
nibus in VI. Harmenopulo lib. I. Promptuarij titulo IV. & ex l. V. Tit.
XXXI. Partita VII. hoc eſt in eos tantum Præſidis ius eſſe, qui ad Prouinciam
eius pertinent, ſeu ciues, ſeu incolæ ſint; ex dicta l. I. De Tutoribus datis
&c. & l. XIII. inferiore. De excuſationibus. Æquo iure tamen ab hac re-
gula excipitur, niſi ex delicto quis (vt noſtra phraſis eſt) forum ſortiri de-
beat; extraneoque, id eſt alterius, quàm vnde reus eſt, Prouinciæ Iudici,
eius ſcilicet loci, in quo delictum commiſit, ſubiectus eſſe. Cõtinetque non
ſpernendam Politicæ gubernationis regulam, quæ Reſcriptis etiam Im-
perialibus nititur; vbi deliquit, ibi reum puniri; videlicet in exemplum alio-
rum; deinde in ſolatium eorum, quibus notitum fuit. Rem confirmant l.
VII. §. IV. De Accuſationibus, l. XXVIII. celebri §. vltimo. De Pœnis l. III.
De Re militari. l. VII. De Cuſtodia reorum. l. VII. §. X. De Interdictis &
relegatis. b; & in Codice l. I. Vbi Senator vel clariſſimus. &c. quæ eſt l. I.
C. Theodoſ. De Accuſationibus; l. I. & Authentica, *Qua in Prouincia.* (quæ
eſt Nouella Conſtitutio LXIX. cap. I. Vbi Cuiacius, & Mathias Stephanus)
C. Vbi de criminibus agi oporteat; Nouella VIII. cap. VIII. in fine; Pontifi-
cioque iure, cap. Poſtulaſti. XIV. capite vltimo. De Foro competenti, cap.
III. I. De Raptoribus. Quanquàm moris etiam fuerit, vt poſtquàm cognouiſ-
ſet Præſes conſtituiſſetque de extraneo homine, remitteret illum cum elo-
gio (Verbum hoc etiam eſt in l. III. De Re militari, & in Tertulliani Apo-
logetico, & Ad Scapulam, & in Suetonij Caio) ad eum Præſidem, vnde
homo eſſet: quod ex cauſa faciendum eſſe Celſus notat in l. XI. De Cuſto-
dia & exhibitione reorum; quam obſeruari debere aiunt poſt Pragmaticos
hîc, & Oldradum conſ. CXXIIII. Oroſius noſter, qui plures laudat in hac l.
III. De Officio Præſidis, Boërius quæſtione XXIX. Mornacius in d. l. vltimâ
De Iuriſdictione; Tiberius Decianus Tract. crim. Volumine I. lib. IV. cap.
XIX. Sed de his ſatis.

*a Videndi Oroſius, Gotofredus, Velez de Gueuara ad Tit. De officio Præſidis. Mornacius in l. 20. De Iuriſdict.*

*b Explicatè & cauſam totam cum pluribus Couarruuias cap. 2. Practicar. Iulius Clarus 5. ſent. q. 38.*

IV. Præſes igitur, & ſuum hominem, & exterum interdicere Prouincia po-
teſt, quam regit; hac l. VII. §. VII. De Interdictis; ex alia Prouincia eiicere
minimè poteſt; eadem l. VII. §. I. & VI. d. l. XX. De Iuriſdictione l. X. C. De
V. ſent. & interloqu. Ideò videntur in Hiſpania Curiæ Iudices, aut con-
uentuum Iuridicorum, quos Cancellarias vocant, neminem poſſe à toto
regno pellere; cùm extra territorium ſuum euagari, quod certum, ac de-
finitum habent, minimè poſſint. Hoc optimè deducitur ex l. V. Tit. XXXI.
Part. VII. Quemadmodum neque Senatus Caſtellæ ſupremus aliunde quàm
ex Caſtellæ regnis; non ex Aragonia, non ex Portugalia propellit. Grego-
rium ad Scholiaſten doctiſſimum: & Bobadillam lib. II. Politicæ, cap. XXI.
nono CCX. Hoc autem non impedit quominus ex legibus, quæ huiuſmodi
exilia à toto regno quorumdam criminum reis decernunt, condemnare
poſſint. Hos enim non Iudex relegat, ſed lex ipſa, & auctor legis Princeps
c. Iudicis autem partes eæ ſunt, vt quod legi, aut Principi de eius criminis
reo placuit, exequatur; hominem eius criminis reum, & legi, ac pœnæ le-
gis

*c Quod benè conſiderat Pet. Belluga in ſpeculo Principũ. Rubrica 24. c. 2. n. 10.*

giſ obnoxium pronuntians. Nos vtique arbitria ipſorum tantum determi-
namus. Atque id monere operæ prætium eſt, ne nos Ioannes Matienco ſu-
periorem ſententiam ſine vlla diſtinctione improbans, *d* de ſtatu deiiciat. VI.
Ad Præſides Romanos quod ſpectat, neque in inſulam alienæ ditionis (nam
præſumere aliqua opus eſt ex aliis ſpeciebus exilij nondum pertractatis)
relegare poterant. Si nocens in inſulam relegandus eſſet, nullaque inſula
ſit eius Prouinciæ, pronunciabat Præſes ſe eum relegare in inſulam; & Im-
peratori ſcribebat, vt is inſulam aſſignaret, interim militi reus tradebatur.
Hæc ſimpliciter nudeque dicta ſunto; dum in commodiorem locum deue-
nimus exquirendi, quibus non datum ſit ius deportandi, & relegandi. Sed VII.
cuſtodiæ huius militaris, (vt hoc obiter, nec in illo retractemus loco) ex-
empla præbent l. i. iii. xii. & xiv. D. De Cuſtodia & exhibitione reorum;
Plinius lib. x. epiſtolarum. De his agunt, moremque exornant Franciſcus
Modius Nouantiquarum lectionum epiſtola ii. & noſter D. Laurentius Ra-
mirez de Prado, conſultiſſimus antiquæ hiſtoriæ Iuris, totiuſque humani-
tatis, Concilij ſupremi Senator in πεντηκονταρχῳ ſuo cap. v. Et quidem inter-
dicere quem ea Prouincia poſſe, quam regit, alia non poſſe, Diui Fratres
reſcripſerunt hac l. vii. §. x. Quod etiam apud nos vulgare eſſe fatentur no-
ſtri Iuris enarratores *e*.

At cum inde eueniret, vt Prouincia ea, in qua domicilium habuit, inter- VIII.
dictus, morari apud originem ſuam poſſet, Mæcio Probo Præſidi Prouin-
ciæ Hiſpaniæ Aurelius Antoninus Caracallus cum patre ſuo Seuero huic
rei conſulentes reſcripſerunt, etiam ea Prouincia interdici, vnde quis o-
riundus eſt, ab eo, qui regit eam, quæ domicilium continet damnati: d. l.
vii. §. x. quod quidem Iuris antiqui Romanis exulibus dictatum, hodierni
Interpretes huius legis, veluti proprium ius admittunt. Domicilium, & O-
riginem alio, & alio loco eſſe poſſe, præterquam quod expreſſum eſt in l. vi.
§. i. & vltimo, & ſæpè alias D. Ad Municipalem; re ipſa, & ſono vtriuſque
nominis proditur. Domicilium in eo loco ſinguli habent, vbi larem, re-
rumque, ac fortunarum ſummam conſtituerunt; vbi inſtructus quis, deſti- IX.
natoque animo eſt; vnde cum profectus eſt, peregrinari videtur: vt partim
Celſus, quem adducit Vlpianus in lib. xxvii. §. ii. D. Ad Municip. partim
Impp. Diocletianus, & Maximianus definiunt in l. vii. C. De Incolis lib. x.
Origo, aut vnde quis oriundus eſt, verè patriam, vel ipſius, vel parentum,
aut maiorum ſignificat. Maiorum, ſiue parentum, vt in Liuij iſthoc, *Hippo-
crates, & Epicides nati Chartagine, ſed oriundi à Syracuſis*; qui apud Vallam le-
gitur lib. iii. Elegant cap. lvii. Crebro etiam pro patria propria. Plautus in
Pœnulo Actu v. Scena *Ain' tu.*

*Ab. Nam haud repudio hoſpitium, neque Carthaginem*
*Vnde ſum oriundus.* POE. DI *dent tibi omnes quæ velis*
*Sed quid ais? Qui potuit fieri, vt Carthagini*
*Natus ſis, hic autem habuiſti Ætolum patrem?*

Vlpianus *patriam ex qua oriundus eſt, & ex qua naturalem originem ducit*, hoc
ſenſu dixit in l. vi. D. Ad Munipalem. Aſſimilantur ſanè Origo, & domici-
lium, in eo, quòd ſicuti Originis Prouinciæ, aut loci ſimul plures quibuſ-
dam hominibus eſſe poſſunt; nempè libertis propter diuerſam originem
communium patronorum, l. vii. l. xxvii. eodem titulo aut iis, qui ab extra-
neo adoptantur, propter obnoxiam vtriuſque parentis origini conditio-
nem, l. xv. §. vltimo D. eodem titulo: ita ſimiliter duobus locis poteſt do-
micilium conſtitui, vti aduerſus Labeonem viris prudentibus placuiſſe me-
morant Paulus in l. v. & Vlpianus in l. vi. D. eodem titulo d. l. vii. §. xiii. D.
De Interdictis.

Originem,

*d In l. 2. gloſſa 3. n. 1. & 2. lib. 5. compilationis.*

*e Greg. l. 5. gloſſa 1. Tit. 31. Partita 7. Acebedo leg. 3. n. 29. Tit. 3. lib. 4. Compil. Farinacius 1. parte Fragment. criminal. litera B. n. 69.*

X. Originem, quæ abſolutè dicitur in Iure, de patria cuiuſque propria, aut naturali, aut adſumpta, & ciuili accipias. Commune autem fuit tam Vrbanorum, quàm Prouincialium Magiſtratuum, vt poſſent in appendicem interdictionis Prouinciæ ſuæ, damnato patriam, ſeu originem prohibere; ne non pœna videretur, quæ patriæ vſum non adimeret. In Præfecto vrbis admonuit iam nos de iſto iure Vlpianus in l. I. §. XIII. D. De officio Præf. vrbe. At ſi relegato non ſit expreſsè interdictum patria ſua; Reſcripto Auguſtorum laudato ex l. VII. §. X. D. De Interdictis, non prohibebatur is in ea morari: qui ſenſus Reſcripti, nulla tamen eius facta mentione planior eſt Baſilius hoc loco, lib. IX. Tit. LIV. Licet ergo ei, qui vel Prouinciam incolatus, vel eam, vbi commiſit reus delictum, cuius incola non eſt, adminiſtrat, prohibere originem, & non prohibere. Non-incolas ad reſcriptum pertinere, ſi quid admiſerint, notat hic Vlpianus: namque à delicto eſſe alterius, quàm ſui fori, cœperunt l. XII. inferiore. D. De Captiuis. Nouella VIII. cap. XII. & purgare Præſes iubetur malis hominibus Prouinciam; nec in mandatis diſtinguitur, vnde ſint, l. III. D. De officio Præſidis. Nimirum hæc regula eſt (repeto) interdicendam apertè, & expreſſim originis Prouinciam, vt interdicta videatur, ab eo, qui aliam regit. Ius equidem fuit Reſcripto datum interdicendi extra ſuam cuiuſque Principis Prouinciam contra veterem regulam: at non aliter, quam ſi diſertis verbis interdicat, vti ſe velle Reſcripti facultate demonſtrans. Qui autem patria interdicit, eius territorio interdixiſſe videtur *f*.

XI. De loco delicti indubitatum mihi prorſus eſt, videri eum perpetuò interdictum nocenti: quod ſatis apertè innuit Vlpianus in hac ipſa l. VII. §. XIII. Nec notâ Baldi opus in re eſt, dicentis alicubi *g*, damnatum ſemel, vt ex aliquo loco exeat, poſſe iterum damnari, vt ab eo loco, in quo deliquit, hactenùs non prohibito, decedat. Nos quippe haud neceſſariam eſſe hanc ſecundam ſententiam credimus: conſentaneam magis Vlpiano, & veteri Iuriſprudentiæ cur in hac parte improbabimus? Ait Vlpianus, *ſi quis eam ſententiam admiſſerit, vt is qui in alia Prouincia commiſit, poſſit relegari ab eo, qui ei Prouinciæ præeſt; eueniet, vt relegatus iſte tribus Prouinciis, præter Italiam, debeat abſtinere, & in qua deliquit, & quam incolit, & originis*. Dubitationem in eo ponit, an Præſes Prouinciæ illius vbi habitat is, qui in alia commiſit, poſſit eum hominem exilio plectere: quòd ſi hanc ſententiam admittamus, vt Præſes hic poſſit eiicere reum ab eâ Prouincia, quam regit; conſequens eſſe ait, & indubitatæ, ac perpetuæ regulæ, debere hunc hominem à loco domicilij eiectum, præter eam, quæ expreſsè interdicta eſt, & Italiam, aliis etiam Prouinciis abſtinere, ſcilicet eâ, quâ delictum commiſit, &c. Hic non obſcurus eſt Vlpiani intellectus: quare interdictum delicti loco videri omnino eum, qui alicundè propter id delictum pelletur, nullus dubito. Tutius autem erit in ſententiâ id non omittere.

*f Guizarellus deciſſ. Neapol. 24. Scipio Rouitus deciſſione II.*

*g In L. Exequutorem n. 29. C. De exequutione rei iudic.*

XII. Sua tamen ipſius Præſidis Prouincia, quæcumque alia prohibeatur, per conſequentiam interdicta videtur; ne qui alienæ inſiſtit iuriſdictioni reputetur omiſiſſe proprioris ſuæ vſum; Prouinciæque, quam tueri præcipuè debuit curam neglexiſſe; ſiue domicilium, ſiue originem relegati ea contineat. Puta is qui & præeſt, quam nocens incolit, nihil ſignificans de ſua Prouincia, patria illum interdixit; aut Italia is, qui patriæ præeſt, patriam non prohibens. Silentium Præſidis de ſua Prouincia non faciet, quominus hæc priore loco, magiſque interdicta cenſeatur. Hæc Vlpianus in

XIII. §. vndecimo. Subiungit tamen. *Per contrarium is, qui originis Prouinciæ præeſt, non eſt nactus ius interdicendi eâ Prouincia, quam incolit is qui relegatur.* Obtinuerat olim, alia, quàm ſua Prouincia interdici à Præſide non poſſe. Subſe-

quutum

quutum Reſcriptum Impp. Seueri, & Antonini tantùm permiſit ex incolatu prohiberi originem. At oppoſita cauſa interdicendi ex origine locum incolatus, ſeu domicilij, reſcripto non adiuuatur. Manet ergo ſub norma veteris regulæ. Vnde congrua eſt illa ratio; *nactum ius non eſſe*: quæ fortaſſè eadem eſt cum Calliſtrati, ſi Florentiæ is bene, rectéque habet, in l. III. D. De Officio Procuratoris Cæſaris. Interrogatus quidam an poſſideat, male vtitur ea ratione. *quia poſſideo*; L. Quia interrogatus. XII. D. De Heredit. petitione Reſcriptum vero optima, & neceſſaria ratio eſt eius rei, quam aduerſus legem, aut mores induxit. Inquiramus tamen in Reſcriptum ipſum; quare vnum, & non alterum indulſerit. Quoniam ſcilicet maiori incommodo afficitur domicilij exul quam originis, facilius impetratum fuit, vt cui licebat domicilio interdicere, quod durius eſt, conſequenter prohibitio originis, quæ minus incommodi habet, permitteretur: facilius ſcilicet, quam è contrario, mitiori originis interdictioni veluti accedere alteram domicilij ſeueriorem. Ex regula nempe Vlpiani huc adplicata ex lege hac noſtra §. vltimo, & l. V. D. De ſeruis exportandis, l. III. §. 3. D. De Pœnis. Regula eſt; *Minoribus prohibitus ad maiora adſpirare non debet; maioribus prohibitus, minora petere non prohibetur.* Ideo etenim quia prohibitus minores etiam honores petere, grauius damnatur, quàm qui ſolum maiores; grauior damnatio comprehendit ſub ſe leniorem non è contrario. Ita ſimiliter qui ſeueriore interdictione domicilij vti poterat, facilè obtinuit mitiorem interdictionem originis: at qui originis loco prohibebat, hoc eſt mitiore interdictione vtebatur, optimo iure non obtinuit hactenùs ſeuerioris, ſcilicet incolatus ſeu domicilij, interdictionis poteſtatem. Quod ipſum Græci ſub obſcurè innuunt in ſcholiis huius loci in Baſilicis.

Porrò germanum eſt huiuſmet regulæ exemplum, quo proximè lauda- XV.
tæ rationi ſuppetias, imus; itemque & interdictionum hanc materiam proſequimur. Cui aliqua ciuitate, aut loco interdicitur, patria ſua inprimis, deinde Roma; & cui patria ſua, per conſequentias Roma interdicitur. Non tamen quia Roma quis eiicitur, patria ſua prohibitus videtur: quod multis conſtitutionibus cautum docet huiuſce rei auctor Vlpianus in §. XV. & XVI. eiuſdem legis. Planè Romam iis, qui à Prouincia ſua relegarentur, nec non Italiam primus interdixit Claudius Imperator. Qui, Suetonio referente in eius vita, ne tam bene acciperentur exules Prouinciarum, ſanxit, *vt hi, quibus à Magiſtratibus Prouincia interdicta fuiſſet, Vrbe quoque, & Italia ſubmouerentur.* Ante iſtam conſtitutionem, vtraque & Roma, & Italia
copiam incolatus, ſi non expreſſim prohiberentur, exulibus præbebant. Ex XV.
quo mihi videor obſcuro Ciceronis loco lucem fœneraſſe, qui quidem tot annis Claudium præceſſit. *Qui Romam in exilium veniſſet, cui Romæ exulare ius eſſet, ſi ſe ad aliquem tanquam patronum applicuiſſet.* &c. ait ille in libello De Oratore. Hoc eſt, cui à prouinciæ ſuæ exilio venire Romam liceret, quæ ſcilicet nominatim interdicta non eſſet. A Claudij tamen Sanctione, non vltra quis potuit in exilio etiam libero, & Romæ eſſe. Ideo ait Vlpianus, conſtitutum fuiſſe de eo, cui patria interdictum eſt etiam vrbe abſtinere debere. Geminum eſt Calliſtrati teſtimonium in l. vltima. D. De Interdictis, ex Baſilicorum corpore ad caſtra iuris latialis recepta. *Relegatus* (inquit) *non poteſt Romæ morari, licet hoc ſententia comprehenſum non ſit.*

Nec tamen Claudianum ius laudat calliſtratus, quod planè in mente ha- XVI.
bere debuit, cum hæc ſcriberet: ſed noua vtitur ratione, quæ nata eſt poſt Claudium aliquot ſaltem annorum decadibus: hac ſcilicet: *quia omnium eſt patria.* Videlicet ab Antonini æuo propriè: cuius Imperatoris conſtitutio-
ne, omnes, in orbe Romano qui erant, ciues Romani effecti ſunt: quod Vl- XVII.

pianus teſtatur in l. In orbe Romano xvii. D. De ſtatu hominum. At no-
men Antonini (quod multos poſt Hadrianum Cæſares adſumpſiſſe con-
firmant, pluribus nominatis, Antonius Auguſtinus lib. ſingulari ad Mode-
ſtinum, & Iacobus Rebardus lib iii. Variarum cap. x.) in cauſa fuit, vt
multum, diuque dubitetur, quiſnam Antoninorum iſtius conſtitutionis au-
ctor ab Vlpiano laudetur. Ferè autem omnes, vel Titum Antoninum
Pium, alio nomine. Diuum Pium quibus adſtipulatur fides Iuſtiniani in No-
uella LXXVIII. cap. v. vel Marcum Antoninum Philoſophum Pij filium, non
tertium aliquem nominant. Video tamen duobus aliis ab his, quos proxi-
mè laudaui, conſtitutionem adtribui à non nemine. Hadriano ſcilicet, è
D. Ioanne Chryſoſtomo Homilia XLVIII. In Acta Apoſtolorum his verbis:
*Ab Hadriano enim aiunt omnes Romanos eſſe dictos*: qui ſortaſſe error fuit, ac
μνημονικὸν h ἁμάρτημα viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi, aliud præcipuè agentis.

h *Memoriæ lapſus.*

Huic equidem Vlpianus, qui rem callidè ſcire debuit, perpetuò refragabi-
tur. Antoninum item Caracallum nominant excerpta ex Dione in libro
XVIII. Conſtantini Porphyrogennetæ i περὶ ἀρετῆς, καὶ κακίας: Qui Liber (ne id toties,
hunc laudantes, prætereamus) hoc eſt ipſius Imperatoris Prototypus, pri-
mum ex Cypro allatus eſt ad Nicolaum Claudium, Fabricium, Aquenſem
in Prouincia Senatorem, V. C. ipſeque aliis oſtendit; vt alter natus erat æ-
tate hac noſtra litteratorum omnium Mæcenas, idemque litteratiſſimus;
quod liquido, atque eleganter Petrus Gaſendus Dinienſis Præpoſitus in eâ,
quam ſuperioribus annis publicauit, Fabricij huius Peireski Vita variis ad-
modum, & pulcherrimis rebus inſperſa docet: atqui eundem librum po-
ſtea Henricus Valeſius Græcè edidit; Latinè vertit, notiſque illuſtrauit;

i *De virtutibus & vitiis.*

Planè Ariſtides, qui ſub Philoſophio vixit, in *encomio Romæ*, non abſolutè
omnes, ſed generoſiores tantùm, & potentiores exterorum ciues Roma-
nos ait factos. Hæc habui illuſtrandæ huic legi accommodata: ad quam qui-
dem in Diſſertatiuncula extemporanea ad leg. ſi Vſusf. viii. De Vſuf. le-
gato, ſalmanticæ edita anno ſuperiore MDCXXIII. V. C. mihique nunquam
ſine honoris eximij laude nominandus, D. Franciſcus Ramos in ſupremo
Caſtellæ Senatu Regiæ Maieſtatis à Conſiliis, ſeſe quædam vtilia collegiſſe
mihi affirmauit, nec tamen, quòd minimè ad manum haberet, copiam li-
bri fecit.

XIX. Romam igitur *patriam* dixit *omnium* Calliſtratus: ſicuti & Modeſtinus
*communem patriam* in l. XXXIII. D. Ad Municipalem. Κοινὴν πατρίδα Regiam
vrbem eſſe, & haberi, monet idem lib. II. excuſationum, in l. VI. §. τὴν ἐν
Ῥώμῃ. D. De excuſationibus: cuius ſententia eadem eſt cum altera Pauli in
l. IX. De Vacat. & excuſat. Videſis Nouellam Iuſtiniani LXXVIII. cap. v. l.
XIV. l. XXI. C. Theodoſiano De Prætoribus & Quæſtoribus: ac de his Al-
ciatum lib. II. Diſpunctionum cap. XXI. Hieronymum Magium lib. IV. Miſ-
cellaneorum cap. v. & Amaiam noſtrum lib. I. obſeru. cap. I. num. LXXXV.
& in commentario ad l. VII. ex numero LXXVIII. Cod. De Incolis lib. X. qui
quamplures alios laudat. Idem priuilegium vrbi Conſtantinopolitanæ ac-
commodant Baldus *k*, Deciuſque *l*: quos refert, & ſequitur idem Amaia.
Et Curia cuiuſque Principis ſubditorum illius imperio patria communis
eſt: quod in noſtro ſeptem partito Iure ſcio ex l. IV. titulo II. Partita III.
l. X & XI. Tit. VII. lib. VI. Compilationis. Plures apud Laream deciſ. 62. Gra-
nat. n. 8. Sicuti Roma, vel nunc, omnium Romani Pontificis ſubditorum,
ſiue laicos ditioni illius temporali, ſiue eccleſiaſticos homines eccleſiaſticæ
ditioni ſubiectos aſſeras, patria communis eſt *m*. Qua in re à vero abiit Læ-
lius Biſciola lib. VI. Horarum ſubciſiuarum cap. vltimo in fine, id ipſum
conuenire florentiſſimæ cuique vrbi exiſtimans citra curiæ priuilegium.

k *In Rub. C. Qui accuſare poſſunt n. II.*

l *In cap. I. De Præbendis n. 12.*

m *Amaia vbi maximè Larrea deciſione LXII. n. 8.*

Deinde

Deinde ait Calliſtratus in eadem lege vltima; neque in ciuitate, in quâ XX.
Princeps ſeruatur, vel per quam tranſit, manere damnatum poſſe: iis enim dumtaxat intueri Principem licet, qui Romano ingredi poſſunt. Similiter eum militem, qui ignominia miſſus eſt, Macer cùm Roma, tum ſacro comitatu arcet in l. XIII. §. III. D. De Remilitari, & geminus Vlpianus in l. I. §. IV. De his qui notantur infamia. Cui maximè conuenit Pompeiani ſententia apud Herodianum lib. I. in Oratione ad Commodum Imperatorem habita, cùm ex Pannoniis; vbi belli cauſa verſabatur, Romam, delicias que Vrbis cogitaret; *ἐκεῖ ἡ Ῥώμη ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεύς. Roma ibi eſt, vbi Imperator eſt.* Lucani ſimile illud habes, quod magnam laudem continet Camilli, viri totius Romæ Principis, in V. Pharſal.

*Veios habitante Camillo*
*Illic Roma fuit*

Ergo (vt è diuerticulo in viam redeamus) etiam hodiernis moribus inualuit *n*, ne in curia habitare is poſſit qui aliunde eiectus fuit. Et curiam non Regis tantum, ſed & Proregis, hac regula venire intelligendam, vti vulgò notum, affirmant Vincentius de Franquis *o* & Scipio Rouitus *p*. Imò & de Cancellariis Hiſpaniæ, quia nomine Regio, & ſigillo in decretis vtuntur, idem ſenſiſſe cui videbitur Ioannes Parladorus in ſeſqui centuria, differentia X, priuilegia omnia Curiæ his Cancellariis conſignans: quem tamen iure refutat. D. Franciſcus de Amaia *q* proximè laudatus; qui hoc planè ad tributum, vt patria communis aliqua vrbs dicatur, ex præſentia tantum Regis ait metiendum: nec quid ex noſtris legibus pro ſuperiore Parladori ſententia afferri poſſe. At in Curiæ quidem ipſius, in quâ Princeps habitat, exi- XXI.
lio (ne id prætermittamus) hoc ſolenne eſt, vt non ædificiis, aut ædibus, ſeu pomœrio ipſius terminetur; ſed ſpatium V. leucarum, hoc eſt mille paſſ. XX. circa illam, exulibus interdicatur: ne accedere vel in conſpectum eiuſdem poſſint. Hic intellectus ex lege fit ſcripta ſcilicet l. II. Titulo XXV. lib. VIII. Compilationis. Præterea nouo Conſilij magni decreto, quod nouiſſimè ſubiectum extat titulo ſexto libri II. eiuſdem operis cauetur: *que los rufianes, omnes ladrones, que ſe condenaren en deſtierro de corte por los Alcaldes, ſe entienda eſtar tanbien deſterrados de las Villas de Alcala de illeſcas, Y ſus Iuriſdictiones.* Idem de Cancellariis cauet l. XXI. titulo V. lib. II.

*n Vt Farinacium in Praxi q. 103. n. 128. & l. parte fragm. crimin. lit. B. n. 73.*
*o decisione 129. n. 11.*
*p decisione 11. n. 17.*
*q Ind. l. 7. n. 90.*

De Italia quid eſt quod ſanctio illa Claudij Cæſaris conſtituerat? XXII.
Prohibitam nempe ei, nec ſolum Romam, qui pulſus ab alia Prouincia fuiſſet. Id ipſum videlicet, quod in exportandis ſeruis conſtituit Alexander Imperator in l. vltima C. ſi ſeruus exportandus veniat. *Qui exportandus* (ait) *à Domino de ciuitate ſua venit, nec in vrbe Roma morari debet: qui autem de Prouincia certa, nec in Italia.* Propter eandem regulam quæ interdictionibus, ſeu exiliis modum conſtituit; ne fruatur maioribus, qui commodis minoribus ſubmouetur: quam in exportatione hac ſeruorum admiſit Papinianus in l. V. De ſeruis exportandis. Aliquando tamen in prohibitione alicuius Prouinciæ, addita, expreſſaque vrbis, & Italiæ interdictio, quæ alias etiam interdictæ ſubintelligerentur. Nam Diuus Marcus *effractorem equitem Romanum quinquennio abſtinere iuſſit Prouincia Africa, vnde erat, & Vrbe, & Italia*: quod Vlpianus refert in l. I. §. vltimo. D. De Effractoribus: ac Diui Hadriani reſcriptum, quod extat in l. IV. §. Diuus D. Ad leg. Corn. de Sicariis, integrumque in Collatione legum Moſaicarum cum Romanis, titulo I. ita habet. *Ideoque Mario Euariſto Vrbe Italia Prouincia Betica in quinquennium interdixit.* Licet ſubtiliter coniectetur hîc Petrus Pithæus potiorem lectionem eſſe, *Vrbe Italia Prouincia Beticæ.* Fortè etiam hæc Vrbs audiit Italia; ſi monumentum quodam veteris æui non male tranſcriptum eſt è lapide in

chartam ab Ambroſio Morali noſtro, *En & diſcurſo general de las Antiquedades fol.* XXX.

IIIII C. M. IV. IIIII VRBE ITALIA DEFVNCTO. AN. IIIIIIIII SVLPICIA QVINTA ADSIDVA EIVS MERENTISSIMO. F. C.

De qua re tamen aliquando ſententiam dicet amicus noſter Martinus Vaſquius Siruela, qui ex Illiberitani ſacri montis canonico ſacerdote ſuperioribus annis ad curiam euocatus, vt Gaſparem Harium clariſſimi Herois Ludouici, Carpij Marchionis, atque Oliuarum Ducis, Philippi Regis Hiſpaniarum ſummi, atque intimi à conſiliis belli, & ſtatus adminiſtri filium primogenitum, eundemque Felichij Marchionem litteris inſtitueret, in ſacro nunc Hiſpalenſis almæ ſedis ordine, ſuſcepta inſuper Bibliothecæ cura conſpicitur. Hic vtique doctus apprimè vir, atque eruditus, ſtylique, iudiciique limatiſſimi, quas dotes non parum integritas morum, & pietas commendant, iam diu veteris Hiſpaniæ Beticæ geographicam deſcriptionem meditatur: quo quidem labore cùm fuerit defunctus, habebit, ſpero, hic noſter Hiſpaniæ tractus perfectiſſimam ſui imaginem viuis præteriti illius æui coloribus adumbratam.

XXIII. Quæ hactenùs dicta ſunt, eò pertinent vt exceptiones regulæ illius anteà propoſitæ, nemini iuriſdictionem eſſe extra Prouinciam ſuam, diſertis legibus confirmatas, ob oculos poneremus. Siquidem ait Vlpianus in d. l. VII. §. XIII. Præſidem loci illius, quo reus capitur, aut domicilium habet, eatenùs poſſe hac pœnam exilij irrogare, *vt relegatus tribus Prouinciis, præter Italiam abſtinere debeat, in qua deliquit, & quam incolit, & originis: & ſi ex diuerſis Prouinciis oriri videatur, propter conditionem vel ſuam, vel parentis, vel patronorum* (hoc rectiùs eſt, quàm quomodo tranſpoſita eſt Florentiæ *vel* particula) *pluribus prouinciis* interdictus videatur.

XXIV. At præter enumeratas, vt multis ſimul Prouinciis interdicere poſſint, quibuſdam Præſidibus indultum fuiſſe adnotat deinde Vlpianus §. XIV. Videlicet Præſidibus Syriarum, & Daciarum. Syria triplex fuit; prima Syria Cæles, ſiue Cæleſyria, prima, & per ἀντονομασίαν Syria Conſularis, ſecunda Commagena, poſteà Euphratenſis, ſiue Auguſta Euphratenſis, tertia Salutaris ſeu Syria ſecunda; vtraque harum Præſidialis, vt eſt in Notitia. Ideò Syriarum meminit pluratiuo numero Ammianus lib. XXII. Et omnes has ſub vnius Præfecti ditione, vniuerſæque Syriæ nomine comprehenſas apud Herodianum lib. ſecundo Hiſtoriæ legimus. Alia diuiſione duplex Syria eſt, mediterranea, & caua; quarum Appianus meminit in Syriacis, Συρίας τῆς μεσογαίας, καὶ κοίλης. & Philo Hebræus de legatione ad Caium, verbis epiſtolæ ad eum Agrippæ, quæ Latine ſic ſonant. *Ægyptum, Phœnicem, Syriam, tum cæteram, tum eam, quæ cæle cognominatur.* Daciæ duæ, mediterranea, & Ripenſis, hæc Præſidialis, illa conſularis. Igitur vnius Præſes, reliquis prohibere poterat, quæ eademmet appellatione vocabantur: idque non ſummo iure, ſed ex priuilegio Principali.

XXV. Hæc in Prouinciarum Rectoribus, quarum certi fines ſunt, extra quos non temerè imperium ſuum exercebunt, Romanum ius, & hodiernum ſequentes diſputamus: quod in quibuſque Iudicibus ordinariis cuiuſque gentis, quæ non improbet Romana iura, conſtituendum prorſus eſt. Planeque cum huiuſmodi tot exceptionibus regula illa in Praxim deducendar, quæ extra territorium ſuum Iudices vetat exilium, aut eius limites determinare. Gum hoc tamen ſtat, facultatem ineſſe ei, qui non intra aliquem tractum, ſed abſolutè imperium accepit, exules à reguo integro propulſandi; vti ſunt qui mandata iuriſdictione de crimine, aut re aliqua definita quidem, at indefinito loco iubentur cognoſcere f.

*1 Bart. & Baldus in l. Relegatorũ de interd. Baldus in l. exequutorẽ n.126.C. De exeq. rei iud. quos laudat Acevedus in l.3.n.29. tit.3. lib.4. Recep.*

*f Ang.conſ.217.Tiber.Decian.volum.1.crimin.lib.4.cap.25.n.14.Bobadilla in Politica lib.2.c.21.n.210.*

CAPVT

# CAPVT DECIMVMQVARTVM.

## De omnium locorum Interdictione præter certum aliquem.

I. *Locus certus exilio præfiniebatur veluti Vrbs aliqua.*
II. *Dertri Chronicon ſuppoſititium.*
III. *Plura exempla huius exilij.*
IV. *Adiiciebantur non ſemel carcer, & vincula.*
V. *Libera cuſtodia quæ?*
VI. *Præſidio addici alicuius loci, aut caſtelli aut aliis officiis reip. vtilibus.*
VII. *Prouincia aut parte Prouinciæ includi.*
VIII. *Eremo, ſeu deſolata regione.*
IX. *Locis ab hoſte, aut peſtilentia infeſtis.*
X. *Quo pacto Iudex mittere reum poſſit in alienæ Prouinciæ exilium.*
XI. *In Patriam relegari: patria includi.*
XII. *Exilium Romæ.*
XIII. *Exilium domus.*
XIV. *Iuſtiniani ſanctio, quæ eſt in fine Tituli Codicis de Pœnis, exponitur.*
XV. *Exilio in Gypſum & in Oaſim.*
XVI. *Oaſis quæ Vrbs.*
XVII. *Gypſus Ægypti inſula.*

ALtera eſt exilij ſpecies, ſeu conditio, quam non iam *latæ fugæ*, vti codices vulgati habent, Faberque, & Hotomanus magis probant, ſed *omnium locorum præter certum* aliquem, *interdictionis* appellatione, Marcianum credo ſignificare. Pœna hæc in eo imponi ſolita (vt præferamus facem exemplorum) ne vrbem aliquam reus excederet. l. VII. §. VIII. hoc ipſo titulo. De Interdictis. Quo pertinet illud Senecæ in conſolatione ad Heluiam matrem: *Ita quoſdam exilia, quoſdam ſacerdotia vno loco tenent.* Ciceroniſque Paradoxa IX. *Exilium terribile eſt his, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus.* Et exempla præſto ſunt. Iulia ob impudicitiam à patre Auguſto Rheginorum oppido clauſa: Cornelius Sylla Maſſilienſium mœnibus à Nerone coërcitus: Agrippa Surrentum ſepoſitus; aliaque in hiſtoriis Taciti, & Tranquilli. Herodem Galileæ Tetrarcham Caius Imperator, auctore Ioſepho lib. XVIII. antiquit. cap. IX. in Galliæ vrbem Lugdunum perpetui exilij futuram ſedem coniecit. Vnde in Hiſpaniam tranſlatum, I.
ibique mortuum Ioſephus alter Ben Gorion lib. I. Hiſt. cap. XLVI. teſtatur. Adiecit quidem nouitius Dexter, neſcio quid, de exilio eius Ilerdenſi; II.
ſed, vt Horatius inquit,

*Inopes rerum hæ ſunt, nugæque canoræ.*

quod aliquando teſtatiſſimum faciam vel noſtris Hiſpanis, euidentiſſimis, & ocularibus ad rem adhibitis rationibus, quas eludere nemo ſanus tentet. De Archelao filio Herodis idem teſtis eſt Ioſephus lib. XVII. Antiquit. c. III.
L. regno excidiſſe, atque vt habitaret Viennam Galliæ Vrbem damnatum. Abundantium Conſulem deſignatum Arcadius Imperator aula eiectum Phœniciæ Sidonem habitare iuſſit Zoſimo teſte in V. Id quod factum de Achæis apud Romanos ſcribit Pauſanias in Achaicis. Horum ſcilicet plures Romam vocatos, quos Callicrates proditionis accuſauerat, ἐς τι τυραννίας.

*καὶ ἐς τὰς ἐκεῖσε πίμουν πόλεις*, *in Hetruriam*, *ibique poſitas vrbes* deduxerunt. Adiungam illuſtre admodum de Auguſtulo Imperatore occidentis vltimo, ab Odoacre Turcilingorum Rege deiecto, & ad priuatum redire iuſſo, exemplum: *Oreſte interfecto* (ait Iornandes de rebus Beticis) *Auguſtulum filium eius de regno pulſum in lucullano Campaniæ Caſtello exilij pœna damnauit*. quæ ipſa verba ſunt Comitis Marcellini ad annum CCCCLXXVI. in Chronico. Helias item Hieroſolymit. Antiſtes apud Victorem Tunnunenſem in Chronico, *exilio Paraxenenſi Caſtello* traditus legitur. At eccleſiaſtica monumenta veteris Hiſtoriæ vt attexamus iam laudatis, D. Ioannes, Chryſoſtomus cognomento, Conſtantinopolitana ſede conniuente Arcadio Imperatore in vxoris Eudoxiæ gratiam deturbatus, in Cucuſſum oppidum Armeniæ ſecundæ ad fines Imperij exulatum iuit: quod referunt Nicephorus Calixtus lib. XIII. cap. XX. & Marcellinus Comes in Chronico; ſuæque ipſemet pœnæ melior teſtis in epiſtola quadam de exilio ſuo ad Innocentium vrbis Romæ Epiſcopum. Hinc Arabiſſum Armeniæ minoris tranſlatus, rurſuſque ex Arabiſſo, in Pityuntem ad Ponti oram grauis ſolitudinis, infeſtiſſimiſque barbaris conterminam deſtinatus, in itinere è viuis exceſſit. Nec ſine ſuo huius rei iniquo exemplo apud Arianos Reges fuit noſtra Hiſpania. Extat Synodus Toletana. ſub Athalarico æra. DLXV. celebrata; cui planè inter alios interfuit, qui ita ſubſcripſit, *Maracinus Epiſcopus ob cauſam fidei Catholicæ in Toletana vrbe exilio deputatus*. Similis Toloſæ vrbis exilij Turonenſis Gregorius meminit lib. X. c. XXXI. aliorumque alij paſſim.

*a ecloga rerum Perſicarum.*

IV. Iſtiuſmodi probauerunt etiam Perſæ exilium: nam vt habent Cteſiæ *ἐκλογαι α περσικῶν*. Megabizus quidam Artexerxis iuſſu ad vrbem quandam nomine Cyrtæ dictam circa Mare Rubrum relegari iubetur. At non raro detenti carcere, & vinculis exules hi: Cornelium namque Dolobellam *in Coloniam Aquinatem* ſepoſitum, *neque arcta cuſtodia, neque obſcura*. Tacitus refert libro Hiſtoriarum I. Cui poſteà obiectum tradit in II. *tanquàm rupta cuſtodia morte Othonis audita ducem ſe victis partibus præbuiſſet*. Liuius lib. XXXIX. *Cum Poſthumius* (ait) *Romam rediiſſet, cenſuerunt Minium Cerinnum Campanum Ardeam in vincula mittendum*. Conſtatque ex Saluſtio Cæſarem de iis, qui cum Catilina coniurauerant, in Senatu cenſuiſſe, publicandas eorum pecunias, ipſos in vinculis habendos per municipia; quod referunt etiam Cicero Verrina IV. Plutarchus, & Suetonius in Cæſare, & ille iterum in Catone: Dioque lib. XXXVII. Hiſtoriarum.

V. Neque huic vinculorum neceſſitati contraria fuit (vt exiſtimant duo Cælij, Rhodiginus, & Calcagninus) *libera cuſtodia*, qua nempe coërcitum apud Romanos nobiliſſimum quemque ac magnæ dignitatis virum, ſat bene indicare Romani ſcriptores: nam in hac & vinculorum nexus non ſemel vſurpatos obſeruat ſtrenua in re nauata opera Ianus Langlæus lib. VIII. Semeſtrium cap. V. Videndus & Franciſcus Hotomanus obſeruat lib. IX. cap. IV.

VI. Similis huic exilio ea pœna eſt, quæ reo habitationem indicit eius loci quod habitari, defendiúe ab incurſione hoſtium publicè intereſt. Exilij pœnam commutandi in habitationem ſeu cuſtodiam caſtelli alicuius ideo Iudici datur poteſtas in L. X. Titulo I. lib. I. Compilationis nouiſſimæ. Pariter atque in trirremium operas commutandi pœnam mortis, in l. IV. VI. VIII. & vltima Tit. XXIV. libro octauo de quo more Ioannes Gutierrez agit in volum. IV. quæſt. XLVI. n. 14. Capitalem pœnam Luſitani quoque frequenter in aliam publicè vtiliorem commutare ſuperioribus annis ſolebant: quod & nos Caſtellani nonnuſquam fecimus. Nempè in expeditionibus Indicis capitis damnatos plures hi ſecum ferebant ad ignota quæque loca per eos tentanda, moreſque hominum pernoſcendos. Quos quidem ſingulos binos moris fuit, quocumque naues appel-

 lerent,

lerent, in terram demittere, ibique relinquere incolarum arbitrio expoſi-
tos; vt ſi inhumaniorem barbarorum gentem, qui non ſtatim aduenas ma-
ctarent, fortè inciderent, regionis atque incolarum mores, & ingenium
obſeruarent, alios in hanc oram poſt aliquod tempus nauigantes, ſi deduci
huc expediret Hiſpanorum coloniam, quidquid obſeruauiſſent, perdoctu-
ri. Parem habet rationem exilij commutatio in habitationem loci quem
compleri nouis incolis rei expedit publicæ. Exemplum eſſe in l. I. Titulo
XXIV. lib. VIII. Compil. Hæc cauit. *Que loſque huuieren comitido delito, porque
mereſcan ſegun derecho i leies del reino ſer deſterrados para alguna iſla, o para labrar,
o ſeruir algunos metales, que ſean deſterradoſque vaian à ſeruir a la lila eſpanola en
las coſas que el Almirante de las Indias les mandare, por el miſmo tiempo, que auiam
de eſtar en la dicha Iſla, y labor de metales.* &c. Idemque circa eos licere hinc
ſubjungit lex, quibus exilium irrogatum fuiſſet ab vniuerſa Regis noſtri
ditione, & regnis.
Præterea indictum fuit ſub tali denunciatione hoc exilium, ne Prouin- VII.
ciam aliquam relegatus excederet, vel vt in certa parte Prouinciæ morare-
tur, dicta l. VII. §. VIII. Et quidem in eas quæ deſertiores eſſent, relegare
conſueuerant Præſides, ſiue exulare, (nam actiuè etiam hoc verbum ſigni-
ficat cùm aliis, tum D. Petro Chryſologo ſermone ſecundo) quod in proxi-
mè ſequenti §. vlpianus notat. Tale fuit S. Clementi Papæ exilium impo- VIII.
ſitum ſub Traiano. Verba laudo incerti, qui vitam illius ſcripſit. Traianus
reſcripſit, *debere Clementem Epiſcopum, aut ſacrificare, aut trans Pontum mare in
eremo, quod adiacet ciuitati Cherſonæ, exilium ſubire.* Nicephoro Calixto eſt ci-
uitas quædam deſerta, & deſolata χερσῶν vicina: lib. III. cap. XVIII. Cheron,
χερσον, Cherſoneſus forte Ptolemæi, maritima vrbs Ponti ad Meotidem pa-
ludem. Malè ergo Baptiſta Platina in vitis Pontificum, in inſulam relega-
tum ait Clementem. Hoc eodem loco in exilio multa paſſus eſt, ac tandem
mortuus Pontifex Martinus anno Chriſti DCLIV. in quem, vt ſacrorum,
Eccleſiæque Orthodoxæ apicem; Conſtantis, Conſtantini filij, Heraclij
nepotis, Græcorum Imperatoris; Paulique Conſtantinopolitani Patriar-
chæ, Monothelitæ hæretici odia impotenter deſæuierunt. Extant Martini
epiſtolæ duæ ab exilio Cherſoneſi ſcriptæ perpeſſarum ibi ærumnarum
idoneæ teſtes, quas tum Cardinalis Baronius ad annum DCLII. volumine
Annalium VIII. tum Iacobus Sirmondus vir bene de antiquitate ſacra me-
rendo natus ex Vaticano exemplari, vna cum aliis quę Anaſtaſius Biblio-
thecarius Romanæ ſedis de Græco verſa collectim dederat, typis promul-
gauerunt. Eiuſdem monetæ fuit plurium calamitas ſub Eutropio Tyranno,
quam deplorat libro aduerſus eum ſe eunuchum ſecundo animoſus Clau-
dianus,

*Procerum ſqualore repletus*
*Carcer, & exulibus Meroë, campique gemiſcunt Æthyopum.*

Germana ſunt Augg. Arcadis, Honorij, & Theoſij *deſolata loca*, in l. X. C.
Theodoſ. de Indulg. crimin. vt eleganter quidem ad hunc damnationis
morem reſpiciens D. Hieronymus epiſt. VII. ad Virginem ad exilium miſ-
ſam, *rem paſſum exilij* Noachum dixerit, cum in terram hominibus orbatam
infrequenti ſtipatus turba deſcendiſſet. Notâ autem dignum iudico, con- IX.
ſueuiſſe in odium reorum quæri peſte, aut hoſtibus infeſta loca; breui vt vi-
tam finirent, aut morbo conſumpti, aut incurſu Barbarorum trucidati. Te-
ſtimonio vtor Philoſtorgij Cappadocis ex epitome Photiana iam aliquot
annis edita à Iacobo Gotofredo. Is lib. v. ſegmento II. miſſum in *b* Ἀμβλά- b *Amblada.*
γα Ætium refert in exilium à Conſtantio Imperat. certæ deſtinatum morti
Διὰ τὸ βάρβαρον, καὶ μισάνθρωπον τῶν ἐνοικούντων, αἰχμῆς τε καὶ λοιμοῦ τὴν χώραν ἔχοντος
ἀνυποίστου:

*ἀλυποίστου: propter barbarum & inhumanum genus incolarum, infeſtæque bello, atque intolerabili peſte regioni mancipatum* Amblada ciuitas fuit Piſidiæ Tauromonti ſubiecta, Iſauriſque prædonibus obnoxia. Idem Philoſtorpus teſtis eſt lib. x. cap. ſeu ſegmento VI. Theodoſium Imperatorem in Halmiridis exilium, qui locus Myſiæ ad Iſtri ripam, Eunomium ex Chalcedone tranſtuliſſe; Halmiridemque ibi degentem exulem à Barbaris, qui congelatum fluuium tranſcenderant, captam. Deſignari etiam moris fuit, remotiſſima quæque à patria, & longe poſita exilia: fert quippe Reſcriptum Conſtantini in l. I. C. Theodoſ. de Falſa moneta, exterminatum *à natali ſolo in quamcumque in longinquo poſitam ciuitatem ſub perpetui exilij conditione* reum mittendum.

X. Sed poteſtate hac mittendi exulem in locum certum, aut Prouinciam is ſolum vtitur, qui Prouinciam eam, aut locum habet ſibi ſubiectum veluti Præſes in eam quæ ſuæ Iuriſdictionis eſt, Princeps autem, & hi, qui vice Principis in vniuerſo imperio iudicant ſummi Præfecti in qualeſcumque imperij. Suadet hoc exemplum legis. VII. §. In Inſulam. D. De Interdictis. Moris tamen eſſe in Italia, vt in Prouincias alienæ iuriſdictionis exilium decernatur, Bartolus, Baldus, & Alexander, aliique apud Farinacium c confirmant. Abuſum tamen in eo reprehendunt, quem ego libens excuſſauerim, ſi quando publicè vtile ſit reum pœnæ grauioris cauſa in aſperiorem, aut infeſtiorem eam Prouinciam, locumue includi, qui alienæ ſit iuriſdictionis, & qualem is qui damnat in ditione ſua non habet. Hoc enim non excedere eſt limites ſuæ iuriſdictionis, aut in rem alienam manus inijcere: cum verè is nequeat in loco illo damnatum detinere. Sed poteſt vtique, niſi exilij locum ſeruauerit adſignatum, ad ſua redeuntem non admittere. In id ergo exilij huiuſmodi condemnatio reſoluetur, vt quaſi conditio ſit reſtitutionis, ac reditus in patriam, habitatio temporaria eius loci, quem Iudex, Princeps ve, quantumuis alienum, nec imperij ſui ac ditionis præſcripſiſſet. Debebitque finito exilij tempore is qui redire vult, legitima inde petita atteſtatione, locum exilij ſe non exceſſiſſe, Iudici adprobare, aliàs non recipiendus.

c I. p. Fragment. ſcriminalium lit. B. n. 70. 71.

XI. At præter hos nouum prorſus includendi exulis morem didici: nempe vt in patriam relegaretur, inde non exceſſurus. Dio Caſſius, ſeu potius Ioannes Xiphilinus lib. LXXIII. auctor eſt Didium Iulianum relegatum Commodi iuſſu ab Vrbe in Mediolanum quę patria ſua erat: Meletiuſque Antiochiæ Epiſcopus à Conſtantio in Meliteniem patriam miſſus traditur, in his ipſis, quæ nuper produximus, Philoſtorgij excerptis: quod etiam confirmant S. Epiphanius hæreſi ſemiarianorum LXXIII. num. XXXIV. & Theodoretus lib. II. Hiſtoriæ. cap. XXXI. Similiter Irenæus Tyri Epiſcopus ſacerdotio exutus degere in ſua tantummodo patria iubetur ab Impp. Theodoſio, & Valentiniano in fine l. III. C. de ſumma Trinitate. Primum iſtius exilij exemplum tulit proſcriptio Triumuiralis: huic enim geſti vt Sittium ciuem ſuum Caleni eriperent, cuſtodiuerunt armati, donec per legatos impetrarent à Triumuiris, vt in patria manens Sittius exularet à reliqua Italia. Ita hic (ſubiungit Appianus, qui rei auctor eſt in IV. Bellorum ciuilium libro) πρῶτος ἢ μόνος ἀνδρῶν ὅδε τῆς ξένης ἐφυγαδεύετο ἐν τῇ πατρίδι. h. e. *primus & ſolus mortalium exulauit in patria.*

XII. Et quid ſi Roma ipſa communis vrbium patria exilium fuit? Planè incluſos vrbe tanquam in exilij loco vidit Claudij ætas. Suetonij Tranquilli verba legis ex Vita iſtius. cap. XXIII. *Nouo exemplo quoſdam relegauit, vt vltra lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe.* At nectum temporis alibi gentium nouo. Nos qui Hebræorum res geſtas in ſacris libris legimus, antiquioris factæ Semei à Salomone hoc genus interdictionis conſcij ſumus, III. Regum cap. II. *Miſit quoque Rex, & vocauit Semei, dixitque*

*que &, ædifica tibi domum in Hieruſalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc atque illuc: Quacumque autem die egreſſus fueris & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum.* Semei autem aliunde erat, non Hieroſolymitanus, quod apertius tradidit Ioſephus lib. viii. Antiquit. Iudaic. cap. i. In vicis deinde quibuſdam morari lege damnationis præceptum quandoque fuit, dicta l. viii. §. xix.

Tandem ſua cuique domus exilium præbuit: ſi nempè ei interdiceretur de domo ſua procedere, quod licuiſſe annotat Vlpianus in l. ix. D. De Interdictis & Attaliata Tit. lxxxi. Hanc notationem nominis, & exilium domeſticum non alio confirmare poſſum idoneo magis Latini ſermonis auctore, quam Tullius eſt Cicero. Inſignis eſt locus ex oratione in Vatinium is, quem laudo. *Idemque tu* (inquit ad eum) *cum his atque huiuſmodi conſiliis, ac facinoribus nomine C. Cæſaris clementiſſimi, atque optimi viri, ſcelere vero, atque audacia tua, M. Bibulum foro, curia, templis, locis publicis omnibus expuliſſes, incluſum domi contineres; cumque non maieſtate Imperij, non iure legum, ſed ianuæ præſidio, & parietum cuſtodiis Conſulis vita tegeretur, quæro, miſeriſne viatorem qui M. Bibulum domo vi extraheret? vt quod in priuatis ſemper eſt ſeruatum, id te Tribuno plebis, Conſuli domus exilium eſſe non poſſet.* Et Quintilianus tertio lib. Inſtitutionum cap. vi. inter controuerſa collocat, *an exulauerit, qui domi latuit.* Appianus ſanè huc videtur reſpexiſſe, dum loquitur de Marcio quodam proſcripto lib. iv. Hic à ſeruis domi ſuæ diu ſeruatus redditâ demum ſecuritate, domo *ὡς ἀπὸ φυγῆς, tanquam ab exilio* rediiſſe dicitur Græco Hiſtorico. Simile exilium eſt ſequioris temporis detruſio in Monaſterium; quam pœnam in clericos præcipuè, aut monachos vſurpaſſe antiquos Chriſtiani æui Iudices plenæ huiuſmodi monumentorum hiſtoriæ ambigi non ſinunt. XIII.

Sed quia ſatis mihi multa videor exempla collegiſſe, reſtat nunc exponamus Græcam conſtitutionem, quæ è Baſilicis deductore, ac Interprete Cuiacio migrauit iam in Codicem Latinum Iuſtiniani, proſtatque ad calcem tituli de Pœnis. Inde duo opportunè proferentur, de quibus Iuſtinianus cauit hoc ſcripto (nam huius eſt Conſtitutio, vt videtur Iacobo Cuiacio lib. xx. Obſeruat. cap. xxxi. Vix tamen deducit ita eſſe ex lege finali eiuſdem Imperatoris, quâ nititur, de cuſtodia reorum) Priori loco remoueri in poſterum iubet à relegatorum corporibus vincula, cuſtodiaque non amplius attineri; ſed in Prouinciam integram, (imò etiam in ciuitatem aliquam, aut alium locum, quod addit Græcus Scholiaſtes) quicumque dignus exilio ſit, ablegari cum poteſtate ſcilicet vniuerſam peruagandi; aliquot tamen prohibitis cùm ciuitatibus, tum Prouinciis; quas inferiùs excipere ſe, ne exulibus permitterentur ipſe ait conſtitutionis auctor. Verum deperdita huius pars in cauſa eſt, vt fruſtra de iis quæramus. Probibentur tamen diſertis verbis, quod alterum eſt nota dignum in ſanctione iſta præterquam à Magiſtratibus Alexandriæ, & Thebaidos exilia duo in Gypſum, & in Oaſim: neque item ab his irrogari permittit huiuſmodi relegationes vltra annum (quamuis alias perpetuam deportationem inducant Oaſenam Impp. Honor. & Theodoſius in L. Vnica. C. Theodoſ. De Nili aggeribus non rumpendis) propter ſterilitatem, puto, vtriuſque loci, deſertamque, atque infeſtam Libyci ſoli plagam. Græcus vtique Scholiaſtes ſaltem de Oaſi tradit culices ibi maiores apibus, muſcaſque Palæſtinis non minores relegatis poſſe mortem afferre: Zoſimuſque lib. v. neminem inde, qui deportaretur, euadendi, aut remeandi facultatem habuiſſe ſcribit, non vlla arbore, domicilioue, aut alio ſigno viæ quâ redeundum eſſet; veſtigiaque ipſa ſabulo impreſſa complente ſcilicet vento, ac turbante. XIV. XV.

XVI. Oaſis hæc Ægypti vrbs eadem fortaſſe fuit quæ ἀ'βάσις, hoc eſt *inacceſſa*: vnde factum ἄασις, vel ὄασις, quod exiſtimat Lælius Biſciola Horarum ſucciſiuarum parte ſecunda lib. III. cap. X. Hic namque auctor poſt antiquiorem operam Franciſci Duareni lib. II. Diſput. anniuerſar. cap. XXXIX. alteram ſibi deſignauit meſſem, collegitque ex hoc agro. Nec omnino inutiliter nos ad ſpicilegium veniemus. *Ouaſis* eſt Vlpiano in hac l. VII. §. V. *Eſt quoddam genus* (ait) *quaſi in inſulam relegationis in Prouincia in Aegypto in Maſin relegare*. Ita eſt Florentiæ: nam vulgati codices mirum quam ſpiſſo errore ferunt, *in nouas inſulas*. Profectò hi primum retractare cœperunt ſuperiore ætate libros iuris, quos decuiſſet magis quamplurima (vti Pheaces apud Homerum ſolent) cum ſilentio tranſire, admirarique, quàm tentare atque intelligere fruſtra velle: At eum cura ſublatum fuit à Triboniano in quadam Honorij & Theodoſij Conſtitutione, de Nili aggeribus non rumpendis, cùm in Codicem Imperatoris ſui eam referret, Oaſenæ deportationis nomen; quod quidem in eadem ſeruat Conſtitutione, vt ſupra dicimus, alter Theodoſij Codex lib. IX. Tit. XXXII. quod obſeruant Duarenus proximè laudatus, & Cuiacius lib. XX. obſeruat. cap. XXXI. ipſa edita Græca ſanctione, multiſque adductis inibi, & lib. VIII. cap. XXVII. Veteris æui teſtimoniis de Oaſis relegatione, quæ ex parte Ioannes Gryphiander tetigit in Tractatu de Inſulis cap. XVI. Ortelius in Theſauro, Guidoque Pancirola in Notitiam Orientalis Imperij cap. CXL. Verbum addam de Iuuenalis exilio, de quo Anonymus, qui vitam ſcripſit Poëtæ, à Pithæo editus, & correctus ita habet. *Hos autem libros in exilium miſſus ad ciuitatem vltimam Aegypti Oaſin ab ipſo Domitiano ſcripſit*. Sed quid eſt quod beatiſſimam hanc terram Olympiodorus appellat apud Photium codice LXXX.? Nec adeò ſterilem aut ſiccam, quandoquidem in defectum fluuiorum aut imbris, fontium ſcaturigines eam lætam reddunt, ſi credimus Diodoro Tarſenſi apud eundem Photium cod. CCXXIII.? Et tamen Timagius ab Eutropio eunucho, qui res ſub Arcadio adminiſtrabat, in perpetuum, Oaſis Ægypti exilium damnatus periiſſe ſiti eo in loco creditus fuit, auctoribus Zoromeno lib. VIII. c. VII. & Nicephoro lib. XIII. c. IV. Certiſſimum hoc eſt, ob ſolitudinem & diſtantiam exilio conuenientem locum habitum; nam ibi vt in deſerto monachi exercebantur, auctore Ioanne Moſcho in Prato, quem laudat idem doctiſſimus auro contra non caræ Bibliothecæ auctor codice CXC. Et hæc vrbs patria fuit Apionis Grammatici: quanquam ſe ille Alexandrinum, eo quod iure huius ciuitatis donatus eſſet, vocari volebat: quod lib. ſecundo aduerſus eum Ioſephus ſcribit. Item Oaſiſtes fuit Sotetichus quidam Poëta, qui res patrias ſcripſit. Stephano, ſeu Hermolao Bizantio teſte in lexico verbo Τάσις: quod moneo vt à Suida in mentione huiuſmet auctoris, reſtituam veram illius patriam: qui male ὁ ἀσίτης dicitur pro ὀασίτης. Quod vidit olim Giraldus Dial. IV. De Poëtis, & ex eo Voſſius de Hiſtor. Græcis lib. II. cap. XVI. in fine.

XVII. Gypſus verò inſula eſt Ægypti, γύψις Stephano, metallis diues, in quam, ſicut & in Proconneſum Propontidis detrudi ſolitos ad opus nocentes Iuſtinianus confirmat Nouella XXII. cap. VIII. & Nouella CXLII. cap. I. quarum poſteriorem in Photij Nomocanona Tit. I. cap. XIV. Theodorus pro ſe adducit Balſamon. Magiſtratus porrò, quorum lex meminit, Alexandriæ & Thebaidos, Præfectus eſt Auguſtalis, qui Alexandriæ degebat, & huic commiſſus, ſaltem ante Iuſtinianum, Thebaidis Præſes: ad quem de Oaſis exilio ſuo ſcriptam à Neſtorio illo nefario epiſtolam Euagrius Hiſtoriæ adtexuit lib. I. cap. VII. laudatque ab eodem Euagrio acceptam Nicephorus Callixtus lib. XIV. cap. XXXVI. Sed iam ad alia.

CAPVT

# CAPVT DECIMVMQVINTVM.

## De Inſulæ Vinculo.

I. *Inſulæ vinculum,* ἐξορία ἐν νήσῳ.

II. *Cadauera morientium in Inſula non licebat inconſulto Principe alio transferre.*

III. *Aliter Ouidij ætate.*

IV. *Defigi ſcopulo: ſcopulum de Inſula exilio deſtinata.*

V. *Plures ſimul exules in Inſulis.*

VI. *Et aliquando ſub cuſtodia.*

VII. *L.* XXIII. *C. De Pœnis explicata.*

VIII. *Carceris tempus exilio imputatur.*

IX. *Vinculis alligabantur non ſemel exules inferiori ſæculo.*

X. *Verberibuſque ſubigebantur, & tondebantur.*

XI. ἀλλαντὰ *ſiue* μανκλαβιὰ *flagellorum nomina.*

XII *Inſula dicta abſolutè de Inſulæ Vinculo.*

TErtio & vltimo loco ponit Marcianus *Inſulæ vinculum*: hoc eſt, incluſio I.
in Inſula: ἐξορισμὸς, ἐξορία ἐν νήσῳ, in Gloſſis: *Relegatio in inſulam*; quomodo relegationis nomine laxiore notione vſurpato idem auctor interpretatur: ſiue *inſularis ſolitudo, inſularis pœna,* quod Ammianus dixit *a* in περιφράσει *b*. Hic ferè ſæuiſſimus exilij modus olim exiſtimatus, vinculum quippe (quod *c* μεταφορικῶς dictum puta) inſulæ ibi detentos adeò ſtringebat, vt ne quidem ſoleret nodum diſſoluere ipſa mors. Cadauera quippe in reatu inſulæ morientium *non licebat inconſulto Principe alibi transferre, & ſepelire*: II.
vt ſæpiſſime reſcripſerunt Seuerus & Antoninus Auguſti; qui ipſi multis petentibus id indulſerunt: quod ſcribit hic ipſe Marcianus in l. II. D. De Cadaueribus punitorum, quam laudant Iuris interpretes Didacus Couarruuias lib. II. Var. I. num. XI. Tib. Decianus VI. Crimin. cap. finali nu. XVI. Peregrinus de Iure Fiſci lib. IIII. Tit. V. num. V. Diſtingunt autem quidam ex antiquis Pragmaticis, cadauera inconſulto Principe transferre non licere, oſſa licere; quæ diuerſa aiunt ex l. II. §. II. l. VIII. & IX. D. De Religioſis & ſumpt. funerum. Marſilium Ananiam, Florianum, Alexandrum allegat Petrus Caballus centuria III. Reſolut. crimin. caſu CCLXV. Alios Lara noſter de anniuerſariis & Cappellaniis lib. I. cap. XXV. nu. XXXVII. & XXXVIII. vt reprobet tamen; indiſtinctè hoc deferens Principali indulgentiæ, ſiue oſſa, aut cineres, ſiue recens ſit cadauer: Didacum Couarruuiam ſequutus, quem iam laudauimus. Theologi tamen arcendum non eſſe ab hoc ſepulchri iure cadauer exulis defendunt Antonino Diana teſte in VI. parte Tract. I. Reſolutione 21. Nec eſt, cur velit aliquis haud Grammaticum eſſe, *alibi transferre*; vt video iam iſtum locum tentari: temerè quidem, ſi non faciunt eadem opera, ne Vlpianus dixerit *mitti in municipio*, & quod magis ſimile eſt, *vbi re deſiderat*, in l. VIII. D. Qui ſatiſdare cogantur: cuius generis ſexcenta ſunt, ne de alio dicam, in Iure, & in hoc maximè ſcriptore. Obſeruandum tamen vigere cœpiſſe iſtud ius de cadaueribus exulum III.
ab inſula non deducendis poſt Ouidij ætatem; etiam ſi ſecus exiſtimet Salmantinus tituli De Interdictis enarrator. Naſonis verba clariora ſunt, quàm vt acumine Interpretis indigeant, lib. III. Triſt. eleg. III.

a Lib. XIV. & XV.
b Periphraſi.
c Metaphoricè.

*Oſſa tamen facito parua referantur in vrna:*
*Sic ego non etiam mortuus exul ero.*

*Non vetat hoc quiſquam.*

Subiungit, nec minùs fieri opus pietatis debuiſſe, quòd aliquis vetaret,

*Fratrem Thebana peremptum,*
*Suppoſuit tumulo Rege vetante ſoror.*

Et quidam tam relegatis, quòd fuit Ouidius, quàm deportatis hanc legem dictam Marcianus laudato loco admonet nos; de qua differentia inferius tractabimus. Non ergo id in cauſa fuit prohibitionis, quòd peregrinum ex ciue pœna factum, Romano more, ac ſolo ſepelire nefas eſſet; ſed quòd aſſignato loco tam corpus exulis manciparetur, vt nec ipſa mors exanimum eriperet. Ἀπόταφος ergo ne eſſet (quomodo appellari eum, qui non tumulatus fuit in patria, teſtis eſt Harpocration) impetrari opus fuit à Principe. Huc pertinet Tacitus libro IIII. *Etiam Lolliæ Paulinæ* (inquit) *cineres reportari ſepulchrumque extrui permiſit.* Sed propria etiam hæc fuit appendix Græci exilij: exemplum eſto in Themiſtoclis oſſibus; quæ quidem per propinquos in patriam reducta non ante fuerunt, quàm pœnitentibus ſuper exule Athenienſibus; cuius ſepulchrum ædificauerunt in Pireæo; auctore Pauſania lib. I. ſiue initio Ἀττικῶν.

IV. Inſulæ alligari quaſi *defigi* fuit *ſcopulo*, ſaltem iudicio, & vulgari ſermone iſtiuſmodi damnatorum. Sic enim Lucius Seneca toties citatus teſtis perpeſſæ calamitatis alloquitur Cordubam, ſi hoc auctore nata ſunt epigrammata illa de exilio ſuo

*Ille tuus quondam magnus, tua gloria, ciuis*
*Defigar ſcopulo.*

Sæpè enim breui inſula, præcipuè deportati, includebantur; quæ non impropriè ſaxi, ſeu ſcopuli veniret appellatione dignoſcenda. Tacitus IV. Annal. *Saxo Seriphio conſonuit*: quæ alias inſula apud Ouidium in VII. Metamorphoſeos *plana* vocatur. Valerius Maximus lib. V. cap. III. de Theſeo exule: *nempe Theſea paruo in ſcopulo ſpeliri.* Iterum Tacitus non alio reſpexit cum ad Hiſtoriarum libros præfatur aggredi ſe inter alia *plenum exiliis mare, infectos cædibus* (exilium) *ſcopulos.* Nec Corſica inſula ſatis ampla effugere potuit exulis ſui κατ' ὑπερβολὴν d. *Toties* (ait Seneca inde Conſolatione exilij ad matrem libello) *huius aridi, & ſpinoſi ſcopuli mutatus eſt populus.* Plinius huc reſpexit in aureo Panegyrico ſuo; de pœna delatorum loquens: *Quantum diuerſitas temporum poſſet, tum maximè cognitum eſt, cum iiſdem, quibus anteà cautibus innocentiſſimus quiſque, tunc nocentiſſimus affigeretur; cumque inſulas omnes quas modò Senatorum; iam delatorum turba compleret.* Elegantiſſimam quæ huius loci eſt, Tertulliani Metaphoram non te clàm habebo. Hic de comœdis, & aliis ſpectaculorum propudiis, grauiſſimè taxans ethnicorum variantia iudicia, libro de ſpectaculis cap. XXII. *Cùm* (ait) *humana recordatio, etiam obſtrepente gratia voluptatis, damnandos eos cenſeat ademptis bonis dignitatum in quendam ſcopulum famoſitatis; quanto magis diuina Iuſtitia in eiuſmodi artifices animaduertit.*

d Hyperbolen.

V. Nec ſinguli ſingulis inſulis, ſed plures addicebantur: erantque ex iis quædam veluti Coloniæ deportatorum. Tacitus de Gracho Sempronij quondam exulis filio, Annalium lib. IIII. *Hunc comitem exilij admodum* (inquit) *infantem pater Sempronius in inſulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres, & liberalium artium neſcios, mox per Africam* &c. Et lib. XVI. de Antiſtio Sociano exule: quo loco ignotum, deperditis tot huius iudicio etiam theſauro pretioſioribus libris, quorum aliquo id ſe expreſſiſſe memorat: de hoc igitur Antiſtio ait: *Inquies animo, & occaſionum haud ſegnis Pammenem*

*eiuſdem*

*eiuſdem loci exulem ſimilitudine fortunæ ſibi conciliat.* Addita inſuper miſeris exulibus eo loco incluſis non ſemel cuſtodia; factique ſunt opera vigilium, aut armatorum; quo ſeuerius eſſet pœnæ genus inſula. Hoc generaliter enuntio tam de relegatione quam de in inſulam deportatione: quòd ita loquantur veteres vt non minus vnam, quam alteram ſignificare videantur. Suetonius de Agrippa, in Augusti vita *Agrippam nihilo tractabiliorem, imò in dies amentiorem, in inſulam tranſportauit, ſepſitque inſuper cuſtodia militum.* Idem de Iulia Augusti filia, ibidem capite (nam in capita diuiſum eſt opus hoc tempore) LXV. *Relegatæ vſum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit: neque adiri à quoquam libero, ſeruoue, niſi ſe conſulto permiſit; & ita vt certior fieret, qua is ætate qua ſtatura, quo colore eſſet; etiam quibus corporis notis, vel cicatribus.* Ergo non tantùm inſula, ſed domo fere includi oportuit, cuius cuſtodiæ tot dictæ leges. Planè hoc vltimum quod ſuſpicamur, expreſſit idem ſcriptor in altera Iulia, eiuſdem Augusti nepte, Tiberij vxore. *Tantum* (inquit in Tiberij vita) *abfuit, vt relegatæ, quod minimum eſt officij, aut humanitatis aliquid impertiret, vt ex conſtitutione patris vno oppido clauſam* (hoc eſt inſula Timera, in qua viginti annorum tulit exilium auctore Tacito in IIII. Annalium) *domo quoque egredi, & commercio hominum frui vetaret.* At extraordinarium hoc, ſi quando ea pœnæ acceſſione ſibi, aut publicæ rei conſulerent Principes: neue damnatus loco excedens turbaret aliquid, quod Auguſtus timere potuit de Agrippa, & caui ſſe leguntur Honorius & Theodoſius de Eutropio in l. XVII. Cod. Theodoſiano de Pœnis; & Conſtantius de Gallo Cæſare, quem priuatum, ſpoliatumque Imperij inſignibus ſub cuſtodia in inſulam deportare ſtatuerat; quod refert Philoſtorgius lib. IIII. ſegmento, ſeu Tmemate I. Aliàs ad inſulares hos exules etiam pertinuit conſtitutio Græca ſuperioris capitis, remouendis à corpore iſtorum, quodcumque genus eſſent, vinculis nata. VI.

Sed videtur id vſurpatum vulgò, non extra ordinem, ex alia ſanctione Imperiali, quæ poſita eſt in l. XXIII. C. de Pœnis; vbi innuitur exules catenis grauari. Obſcurum ſermonem Conſtitutionis non aliter commodius vera ſenſus luce donare poſſum, quàm poſitis in medium verbis, & expoſitis. Qui tempus exilio dictum in carceribus, antequam exportarentur in inſulas, impleuiſſent, eos cuſtodia liberari, nec in poſterum relegari debere ſtatuunt Honorius & Theodoſius: *ſit ſatis* (addentes) *immenſorum cruciatuum ſemel luiſſe ſupplicia* (carceris nempe) *ne hi, qui diu priuati ſunt hauſtu communis auræ, & lucis adſpectu, intra breue ſpatium catenarum ponderibus prægrauati, etiam exilij pœnam ſuſtinere iterum compellantur.* In Codice Theodoſij eodem modo concepta legitur hæc ſanctio. Erunt qui catenarum pondera lubentes referant ad eos, qui in inſulas perducerentur: quos vtique, ſiue etiam vrbe aliqua, locoue includendos, veroſimile ſit eâ ſub catenis tranſportari ſolitos: vti conſueuit hæc ætas ſub triremibus addictos, etiam ſi pœnæ ſerui non ſint, in vinculis, ne aufugere poſſint, ex mediterraneis vrbibus ad mare deferre. At ego rectæ Latinitatis regulas quid permittere diuerſum ſcio. Cenſent nimirùm Imperatores, ſeueriſſimum, & inhumanum pœnæ genus futurum, ſi poſt impletum in vinculis, & carcere (qui ipſe iure audit apud Lucretium in III. libro *luela ſceleris*) damnationis tempus, intra breue ſpatium ex vinculis, & miſerrimo catenarum reatu, quem diu ſuſtinuiſſent, de nouo, velut inſtaurata ſententia & pœna ſuis exiliis olim dictis manciparentur. Vltimis verbis illis *catenas* cum *exilio* coniungunt, non quaſi acceſſio fuerint exilij catenæ, ſed improbantes ſuccedaneum his exilium, ad quod breui temporis ſpatio tranſitum fieri ex vinculis pœnæ cuiuſuis ſeueritatem exæquantibus non permittunt Auguſti. Sententia verò ipſa VII. VIII.

& dictatum legis confirmatur ſequenti lib. XXIIII. & ratione ſi diutina XXV. (quam exornant Tiraquellus de Pœnis temperandis cauſa XLI. & Eduardus Caldera noſter lib. III. Var. cap. II.) D. eodem titulo. De Pœnis: Quòd ſcilicet carceris tempus poſt ſententiam, relegationis imputetur tempori: in exilioque eſſe iam videatur, qui in carcere adhuc detinetur. Quæ in praxim hodiernam admiſſa regula eſt: Laudaturque ab Interpretum pluribus *e*, tam noſtratium, quàm exterorum: quam quidem Senatus Granatenſis ſuperiore anno MDCLIII. præſente me in vrbe Granata, calculo ſuo comprobauit. Adducunt enim opportunè ſimile quid obſeruandum in famulo ægrotante, quem ſeruire, & conditioni præſcriptæ obſequi, ex voluntate ſeruiendi quamuis impedita, docet Paulus in l. IIII. §. III. De ſtatu liberis, ſalariaque lucrari, vulgaris eſt perſuaſio Iuris interpretum *f*. Nempè hoc verum & obſeruandum in exule, ſi per Iudicem ſtetit, quominns in exilium mitteretur è carcere: non ſi alia de cauſa detentus, puta propter debita, aut ſi nondum ſatis pecunia fecit parti læſæ.

IX. Conſcius autem ſum variis ætatibus, & cauſis alias, & alias huic exilio acceſſiones attribui oportere nam fieri potuit, vinculis alligari exulem aliquando placuiſſe: quod in Fabulis legitur. Iulius Firmicus in libello de errore profanar. religionum ait; *Othi & Ephialtæ edicto, Mars bellipotens temporali exilio damnatus, ferrea catenarum vincula ſuſtinuit.* Deprehendique in Codice Theodoſi, quandam Arcadij & Honorij conſtitutionem, in qua (quod aliàs mirum videri debet, & abnorme) *grauiſſimis afflicti ſuppliciis* rei iubentur deportationis pœnam ſubire. Ea eſt lex XI. Ad leg. Iuliam de Ambitu. In libro illo Leonis & Conſtantini Græco, quem Leunclauius edidit, Tit. IX. §. XVI. debuit is, qui eccleſiæ miniſtris iniuriam intuliſſet, βασάνοις ὑποβληθῆναι, καὶ εἰς ἐξορίαν πεμφθῆναι: hoc eſt, *tormentis ſubiici, & in exilium mitti*: & mox, *tormentis, exilioque mulitari.* Et alibi alius delicti reus, δήμευσιν καὶ ἐξορίαν, καὶ τὴν εἰς τὸ σῶμα βάσανόν τε καὶ τιμωρίαν, *bonorum publicationem, exiliumque; in corpore cruciatum, & ignominiam ſubire.* Tit. VII. §. IV. Non ex fide Latinus interpres hic verſatus eſt, qui ita vertit, *confiſcationem bonorum & exilium*: cum re vera ſub Imperatoribus Græcis mentio fiat verberum in exilij pœna.

X. Lex vltima de Delatoribus in Codice de Græco fonte eſt: in qua cauetur debere delatorem calumniorum καὶ πληγὰς βαρυτάτας ὑπομένειν, καὶ διηνεκῶς ἐξορίζειν. Hoc eſt, *grauiſſimas ſuſtinere plagas*, & verbera, *prætereaque in exilium perpetuum remitti.* Simile eſt quòd Iudices inique, in adminiſtrationibus ſe gerentes debent (quomodo in Nouella VIII. cap. VIII. à Iuſtiniano fuit conſtitutum) *& confiſcationem, & exilium ſuſtinere, & in corpus verbera, atque ſupplicium.* Conſtitutione XI. Concilij Toletani is qui ſacram eucharistiam abſque ineuitabili infitmitate (vt aiunt) ex ore proieciſſet, ſubdi verberibus & perpetuo exilio relegari iubetur, ac verbera hæc nomine corporalium pœnarum intellexiſſe Iuſtinianus videtur in Nouella CXXXIX. quæ eſt de Indulgentia illicitè contractarum nuptiarum. *Atque inſuper corporalibus pœnis exceptis perpetuum incolet exilium.* Sic Interpres Latinus. Aliàs autem vilibus tantum perſonis verbera exilio ſuperſtruebantur: cuius rei exemplum eſt in Nouella XII. De Inceſtis & nefar. nuptiis: & in l. VIII. C. De Paganis & ſacrificiis, & templis. Item Verbera, & tonſuram deportatis indicit l. II. C. de Crimine ſacrilegij, quæ incerta conſtitutio eſt, ex Græco etiam deducta. *Qui confugientem ad ſanctam eccleſiam ſua auctoritate abſtraxerit*, τυπτόμενος, καὶ κειρόμενος ἐξορίζεσθαι, *verberatus, & tonſus deportator.* Hoc pœnæ genus, & tanquàm exilij præludium ſolenne fuit inferiore ætate: quod patet ex Conſtantini Harmenopuli Promptuario, cui ſæpè

τυπτι-

*e Tiraquellus proximè Ant. Gomez 3. Var. 8. n. 3. Villadiego in l. 9. n. 9. tit. 5. lib. 2. Fori. Peguera deciſ. crim. 41. n. 2. Cauallos cent. 1. crimin. caſu 142. Franquis deciſ. Neap. 27. Giurba cõſilio crim. 30. n. finali. Ioan. Bapt. Antonellus conſ. 91. n. 13. Barboſa in Remiſſion. ad l. v. Ordin. titulo 141. Marius Italia De Immunit. eccl. l. 1. c. 6. §. 3. n. 9.*

*f Flores de Mena li. 1. q. 8. §. 2. n. 17. Montalius in l. 18. tit. 4. lib. 4. Fori. Auiles in c. Prat. 1. Verbo Salario, n. fin. Pnz in Prazi d. tomo c. 6. §. 3. n. 17. Mendoz. de Caſtro ad l. Vn. C. de Annonis ciuil. notab. 4. n. 4.*

*g Franquis deciſ. 27. & ex eo Riccius deciſ. 45. n. 7. & 8. Parte 2. Valetque exemplum monetæ mutationis apud Theſaurum p. 1. De augmẽto monetæ n. finali.*

*τυπτόμενοι, καὶ κουρευμένοι, cæſi, ac raſi* nocentes in exilium exportari dicuntur. Videris lib. VI. Tit. VII. §. I. & X. Similiter Hiſpanis legibus verberationi, ſeu malis, fuſtigationi perpetuum exilium iniungitur l. III. Tit. XVIII. Partita VII. Sed maximè triremium pœnæ germana ferè appendix apud nos eſt fuſtigatio.

Verbera hæc forſitan his flagellis inflicta quæ hoc ipſum ſæculum *ἀλλακτὰ*, ſiue *μαγκλαβιτὰ* indigitauit. Horam, præterquam quòd liber Conſtantini & Leonis Tit. XVIII. §. XVII. & XVIII. ibique ſcholium quoddam meminit, ex Harmenopulo (in cuius tamen Tit. III. ad principium lib. VI. neſcio quid de Magiſtratus, ſiue Apparitoris appellatione interpres, ſeu alius, frigidè ſuſpicatur) Attaliate, Niceta, Balſamone, Codino, aliis, nomina producit, exornatque Ioannes Meurſius in Gloſſario. De *Mantlauio*, ſeu *Manuclauio* videndus inſuper Ioannes Gerardus Voſſius in opere De vitiis ſermonis, & gloſſematis Græco-barbaris lib. III. cap. III. XI.

Redeuntes iam ad meliora, id eſt antiquiora tempora, nota dignum eſt *Inſulam* abſolute dictam alicubi pro *inſula vinculo*. Senecæ difficilem, imò non ſat multis ſanum laudamus locum, è libro III. De Ira, in fine. *Nolo vtique occidere, ſed ignominia, ſed exilio, ſed damno afficere. Magis ignoſco ei qui vulnus inimici, quàm qui inſulam concupiſcit.* Fruſtrà laborant, nodum ſcilicet quærentes in ſcirpo, ingenioſiſſimi quique Senecæ interpretum; vulnus, inquam, in ſano corpore. Certi nos ſumus pro *inſulari pœna*, *inſulam* poſitam; ne reperta idonea verborum ſententia, notationeque moleſti ſimus ſcriptæ hactenùs lectioni. XII.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

### De Inſulis exiliis frequentioribus.

| | |
|---|---|
| I. *Inſulæ quædam recenſentur, exiliis commodiores, & notiores.* | VI. *Gyarus & Seriphus è Cycladibus.* |
| II. *Baleares: Corſica; Sardinia.* | VII. *Aliæ in Ægeo, Propontide, Ponto.* |
| III. *Taciti locus de exilio Caſſij Longini ex coniectura emendatur.* | VIII. *Britannia.* |
| IV. *Aliæ in Tyrrheno, in Siculo mari: Sicilia ipſa.* | IX. *φυγάδων νῆσος in Ægypto quæ?* |
| V. *Adriatico item, Africo, Ægeo.* | X. *Aſſignata interdum exilio, non certa Inſula, ſed intra certum tractum quæuis Inſula.* |

SEd libitum eſt hoc capite celebriores, frequenterque magis adſignatas exiliis inſulas ex monumentis veterum ſcriptorum curſim adnotare. Et ego quidem *μικρολογιώδης, inania ſcilicet, & minuta conſectari* noſtris Catonibus forſan videbor; quæque minimè ſunt aut cultui legiſſe, aut vſui meminiſſe. Res tamen agitur non prorſus iniucunda his ſaltem; quibus arridet vaga illa, & *apis natiua more, modoque* collecta vndique, promiſcuaque doctrina. *παίζω* (quod Hercules vſurpat in Euripide *a*) *μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ. Ludo, viciſſitudineque laboris ſemper delector.* I.

Baleares inſulas Hiſpaniæ vicinas deputant exilio Tacitus alicubi *b*, Euſebiuſque *c* de Montano ſcribens oratore, noto quoque Senecæ, & Ouidio; Suetonius in Gallæ Vita. Sequitur Corſica, deſtinatus ſcilicet exilij locus, II.

a *Apud Ælianum lib. 12. c. 15.*

b *Lib. 13. Ann.*

c *In chronico.*

cus, vt iam auditum, L. Senecæ: quo vel nunc damnatos ſuos pellunt quibus ſubiecta hodie inſula eſt, Genuenſes. Proxima eſt Sardinia, cuius meminit Tacitus *d*, & Martialis *e*: delecta exilij ſedes fortaſſe, quòd peſtilentis eſſet aëris: quare Sardum quendam *patria ſua peſtilentiorem*, Cicero dixit Gallo ſcribens; & Martialis ea fuit mens lib. IV. epig. LX.

d *Lib.* 14. *Ann.*
e *Lib.* 8. *epig.* 42.

*Nullo fata loco poſſis excludere; cùm mors*
*Venerit, in medio Tybure Sardinia eſt.*

Hic noſtri iuris lumen Caſſius Longinus Neronis exulauit iuſſu, quod alibi
III. Tacitus *f*, & Pomponius I. C *g* ſcriptum reliquerunt. At iſtius Cornelij locum de hac pœna, quem *praua, pauperaque* (vt cum Actio loquar) diu eſt quòd *ſcriptura* corrupit; quia in tanti nominis laudem cedit, tentare non verebor. Apponam vtique verba priùs Annalium, ſicuti hodie in editionibus hactenus viſis conſtanter leguntur. *Tunc Senatuſconſulto Caßio & Silano exilia decernuntur. De Lepida Cæſar ſtatueret.* Hucuſque decretum Senatus. Sequentia Tanti auctoris ſunt. *Deportatuſque in Inſulam Sardiniam Caßius, & Senatus ius expectabatur. Silanus tanquam Naxum deueheretur* &c. Refert deinceps Silanum è medio ſublatum Centurionis ad cædem miſſi opera, dum exulem ageret in Apuliæ quodam oppido. Planè hic locus ἀνελπισίαν *h* Lipſio immiſit: & audent alij tamen. Ludouicus Dorleans multum audaci coniectura reponendum exiſtimat, *& ſententia coniugis* (Lepidæ ſcilicet ab Auguſto damnandæ) *expectabatur*; mirum quam abſcedens à vulgata ſcriptura. Ioannes Bertrandus Præſes Toloſanus qui Vitas ſcripſit veterum Iuris auctorum, diſtinguit *i* iuſſum Senatus, & factum deinde Principis. Ille vtrique reorum exilia, hoc eſt relegationes, quæ lenior conditio eſt inſularis exilij (ſic placet Bertrando) priùs decreuerat: ſed Principis diuerſum fuit conſilium; nempè vt deportaretur alter, alteri mors irrogaretur. Quam ſententiam vt recipiet in Taciti verba putat ſe quomodocumque mederi ægro loco ſi ita legat; *nec Senatus ius expectabatur*, hoc eſt probabatur. Pace illius dixerim, necdum videre me cur interpoſita ſit hæc nota inter vtrumque ſupplicium Caſſij, & Silani; quin potius priori loco poſita, quæ ſcilicet ad ſequentia duo referretur. Et præterea ſcio frequentiſſimè vſurpari ab ſcriptore iſto exilium de altera deportationis ſpecie. Pichenæ magis placuit, *& exitus eius expectabatur.* Refert autem Franciſco Medices probari, *& Senectus eius expectabatur.* Gratulor quòd ſenectutem eò reduxit, cui quidem ego huius loci poſſeſſionem reſtituo libens. Scriptum enim fuiſſe ſuſpicor, *Deportatuſque in inſulam Sardiniam Caſſius vt ſenex tutiùs aſpectabatur*, ſeu *deſpectabatur*; quod vltimum magis Cornelianum. Sed præfero id quod minuis adſcripto diſtat. Vides *&* in *vt* mutaſſe prono, & facili in errorem lapſu: porrò nec vllam litteram reiectam foriſue aſſumptam, ſed alias alio, vt rectæ deſeruiant, elegantique ſententiæ, deductas, inductaſque. Ambo nimirùm, & Caſſius & Silanus exoſi potentiæ nomine, atque opum Neroni. *Caßius opibus vetuſtis, & grauitate morum; Silanus claritudine generis, & modeſta iuuenta præcellebant*: ait Tacitus. Atque ipſe Nero in Senatu obiectauerat Caſſio, quòd L. Silanum iuuenem genere nobilem, animo præruptum aſſumpſiſſet, quem nouis rebus oſtentaret. Verebatur igitur Caſſium Nero, tanquam ſtudentem & cupidum noui Imperij, qui tamen non ſibi ætate Senecta, ſed iuueni Silano, ac nobili Rempublicam delaturus credebatur: quod ipſum, & qui cum Piſone aduerſus Principem coniurauerant factum iri præuidiſſe auctor eſt idem Tacitus *k*. Caſſius igitur *vt ſenex tutius aſpectabatur*, hoc eſt viuus, & non longe ab vrbe referebatur: de Silano cum timeretur magis, exilij ſpecie deductus primo ab vrbe, non multo poſt temporis interfectus eſt. De ætate autem Caſſij digladientur alij: an is

f *Lib.* 16. *Ann.*
g *In l.* 2. *De orig. iuris.*
h *Deſperationem.*
i *Lib.* 2. *de Iuriſp. in Caſſio.*
k *Lib.* 15.

ſcilicet L. Caſſius ſit, qui cum Quantino conſulatum geſſit ſub Caio, an
qui cum Vinitio poſt paſſionem Saluatoris noſtri apud Caſſiodorum in Fa-
ſtis nominatur. Quod ad nos attinet, abunde erit ad argumentum proue-
ctæ iam ætatis, fuiſſe (quod apertè docet Pomponius) Conſulem ſub Ti-
berio a quo ad exilium Caſſij triginta minimum anni interceſſerunt; qui ad
ætatem conſularem accedentes grandem natu ipſum euincunt. Et ne Caſ-
ſianæ Calamitatis reputatio longiùs tulit. Iam pergo. Sardinia relicta, lu- IV.
ſtrare alias inſulas. Planaſiam, & Pandatariam nominant, quæ Thyrreni
maris ſunt, Tacitus *l*, & Dion *m*. Capreas Xiphilinus in Commodo, Tibe- l *Lib. 1. Ann.*
rij ſeceſſu nobiles. Ex Æoliis in Siculo mari. Vulcaniam Caſſiodorus *n*, m *Lib. 55.*
Liparam, Arcadiique in ea exilium Philoſtorgius *o*. Et Sicilia ipſa pulcher- *Hiſt.*
rima, & amœniſſima inſularum, cuius excellentiæ nomine manſio in ea n *Lib. 3.*
olim Ciceroni Romæ pulſi abnegata *p*, deſtinata fuit nonnuſquam exilij *Var. c. 47.* o *Lib. 12.*
ſedes, de quo adiri poteſt Iuuenalis Scholiaſtes in illo Satyræ VI. *dedit hunc* *cap. 5.*
*Agrippa ſorori* in quam & Antoninus Caracalla vxorem ſuam Plautiani fi- p *De quo ſuprà ex*
liam relegauit, Herodiano auctore *q*. *Dione.*

In Hadriatico mari nota ſunt mihi exilia, Trimerus Iuliæ Auguſti ne- V.
ptis, ex Tacito lib. IIII. Boas Dalmatiæ inſula ex Ammiano Marcellino *r*. In q *Lib. 4.*
Africo Cercina, & Coſura, ſiue Coſſyra ex eodem Tacito *ſ*, & Seneca *t*. r *Lib. 28.* ſ *L. 1. Ann.*
Miſſi etiam in Ægeum mare, ibique poſitas inſulas; & quidem ſæpius, da- t *In de con-*
mnati. De Creta habeo auctorem Tacitum in IIII. Cyclades tanquam exi- *ſolatione ad matrem.*
liis frequentes Plutarchus laudat *u*: in eis Naxim, ſicuti Amorgum Taci- u *In lib.*
tus: eam tamen tribus frequentem vrbibus Nicolaus retulit Damaſcenus, περὶ φυ-
cuius fragmentum in Conſtantini excerptis de virtutibus & vitiis legere γῆς.
eſt. Aliæ duæ è Cycladum numero, veluti nata ſunt exulum receptacula: VI.
Gyarus, & Seriphus: quas quia breuiſſimæ ſunt coniunxit Iuuenalis ſat. X.

*Vt Gyaræ clauſus ſcopulis, paruaque Seripho.*

Gyari exilia referunt Tacitus non ſemel, addens Tiberij verbis immitem,
& ſine cultu hominum eſſe, aquæque egenam; Lucanuſque *x*, & nuper lau- x *In lib. de*
datus Satyricus, ſatyra prima *amicitia.*

*Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum.*

Et ſi placet, Martialis etiam lib. de ſpectaculis epig. IIII. Vbi pro *Getulis* ſub-
ſtituit *Gyaris* Ioannes Brodæus lib. X. Miſcellan. cap. XXII. Seriphi exilium
non minus aduocant Plutarchus, Tacitus, Seneca; in qua vt molliret exilij
triſte nomen, fundis ficus deiici, ex quodam comico expreſſit Chæronen-
ſis ille Philoſophus deindeque omnia neceſſaria ſuppetere. At magna laus
inſulæ, quod ſit ficuum productrix, audi, qui Iuliani Imperatoris epi-
ſtolam quandam legeris Iuliano alteri Sarapioni ſcriptam. Lepidum Stra-
tonici dictum inibi refert Plutarchus, quo Seripho ignobilitas ſua, & aſpe-
ritas probro obiicitur: alterumque Seriphij cuiuſdam fortes, & magnani-
mum Stobæus ſermone XXXIX. περὶ πατρίδος. Præter has Cytheræ iuxta Pelo- VII.
poneſum meminit Tacitus in III. ibidemque Lesbi: & in I. Cynari, ſeu Ci-
naræ; vti ſcribendum in Plinio pro eo quòd Cynara eſt, in prolixis at eru-
ditiſſimis Solini commentariis contendit Salmaſius. Sciathi Lucius Sene-
ca: Donuſæ (ſiue Donyſæ Virgilij, & Melæ) Tacitus in III. Pathmos in hoc
mari celeberrima eſt magni illius Ioannis Apoſtoli, atque Euangelicæ Hi-
ſtoriæ ſcriptoris exilio ſeptenni; cuius rei teſtes ſunt præter ipſa ſacra ipſius
monumenta Oroſius, Euſebius Eutropius, Zonaras, alij quamplures. In
Proconneſum Propontidis inſulam deportationis meminit Georgius Epi-
ſcopus Alexandrinus de rebus S. Ioannis Chryſoſtomi ſcribens apud Pho-
tium *y* Tomis ad ſiniſtrum Euxini latus poſitis iuxta Geticum littus exulauit y *In Biblio.*
Ouidius; de cuius aſperiore cælo, intutoque, atque horrido ſolo impleuit *cod. 96. pag. 262.*

ille omnes paginas librorum De Ponto, & Triſtium. Idcirco forſan Ouidij Getæ Medeam Tragœdiano Tertullianus laudat in libro de Præſcript. aduerſus Hæreticos; qui ipſe ſit in ſolo Getico exul Naſo. Saltem auctor Dialogi de Claris Oratoribus ſatis habuit Ouidij Medæam dicere; parum aptè, niſi eximium Poëtam κατ' ἐξοχὴν ꝗ deſignaturus.

VIII. Britanniam noſtri Inſularum maximam. Hæc quoque non impropria exilij ſedes. Ammianus Marcellinus lib...... de Valentino quodam. *Ob graue crimen actus in Britanniam exul* &c. *exules ſollicitabat, & milites.* Annuit Egeſippus eleganti illo de Claudio Cæſare, & Britannica expeditione excurſu. *In Romanorum nomen* (ait) *elementa ipſa tranſierunt; in quos etiam tranſiuit orbis terrarum, qui Romano imperio clauditur, & diffinitur: denique à plerisque orbis Romanus appellatur. Nam ſi verum quæramus terra ipſa infra Romanorum imperium eſt; ſuper quam progreſſa Romana virtus vltra oceanum alterum ſibi orbem quæſiuit; & in Britannia remota à confinio terrarum nouam ſibi inuenit poſſeſſionem. Denique quibus ius non ſolum ciuitatis Romanæ, ſed etiam ipſius prope humanæ conuerſationis negatur, illò diriguntur, vt illic habitent, quaſi mundi exules.* Hæc Hegeſippus.

IX. Exulum Inſula (ſicubi audiſti) in Ægypto, hoc eſt Αἰγυπτίων τῶν φυγάδων νῆσος, haut pœnæ fuit nomen, & locus, ſed perfugij. Hanc exules incolunt Ægyptij, qui à Pſammichico deſciuerunt, & Σεβρίται, ſiue Σεμβρίται, hoc eſt *aduenæ*, nominantur, Reginæ parentes, quæ & ipſa Regi Meroës paret; de quibus videri poteſt Strabo lib. I. & XVII.

X. Antequam diſcedam, breuiter admoneo, irrogatum aliquando ſub optione iſtud exilium inſulæ, vt non certa quædam, ſed intra certum tractum quælibet adſignaretur. At quemnam iſtius moris auctorem priuſquam Cornelium laudem, qui perpetuus enarrator eſt harum calamitatum calamitoſiſſimi æui? Ait ille XV. Annal. *Exulibus, velut in agmen & numerum Ægei maris inſulæ permittuntur.* Ægeum hoc pelagus inſulis refertum exiſtimatum fuit accommodatiſſimum, ac veluti regio, ſedeſque exiliorum. Ideò Iuuenalis quarundam pœnarum memor in ſatyra III. paſſurum, inquit, reum, aut

*Nigri carceris vncum.*
*Aut Maris Ægei rupem, ſcopuloſque frequentes*
*Exulibus magnis.*

Et quidem vlterius coniectura ſua doctiſſimum tulit Taciti enarratorem Ludouicum Aurelianum, vt exiſtimaret quoſdam hac inſulari pœna damnati ſolitos, quin certus aliquis exilij locus eis adſignaretur: hiſque arbitrium videri datum inſulæ eligendæ. Vix audeo inficiari, potuiſſe id aliquando accidere, vt libera electio inſulæ damnatis tribueretur. Sed tamen auctoris ſui, Dioniſque, ac Theodoreti eccleſiaſticæ Hiſtoricæ Scriptoris teſtimonia, quæ adducit is pro hac coniectura, non valde nos premere debent, vt & ſenſum præſtemus. Nam duo quidem priora Taciti, ac Dionis de ſimplici relegatione à loco, ſcilicet interdictione, non de Inſulæ vinculo concipiuntur de qua nos capite XI. tractauimus. Tertio item eccleſiaſtici auctoris de permiſſa per Conſtantium Imperatorem ſedis exilij electione Liberio Pontifici, nihil dum præter aliud exilij genus quod interdictionem omnium locorum præter certum continere diximus, non autem Inſulæ relegatio ſignificatur.

# DE EXILIO SIVE DE POENA EXILII EXVLVMQVE CONDITIONE, ET IVRIBVS.

## LIBER SECVNDVS

### CAPVT PRIMVM.

De exilij diuiſione in deportationem & Relegationem.

I. *Inſulæ Vinculum, vel Deportatio fuit in Inſulam, vel relegatio.*
II. *Relegatio duplex vel in Inſulam, vel ſine inſula.*
III. *Deportatio ſemper in Inſulam.*
IV. *Græca nomina* ἐξορία, ἐξορισμὸς, & περιορισμὸς.
V. *Et Græco-barbara* Δεπορτᾶτος, ῥελεγᾶτος.
VI. *Baſilicorum verba de his pœnis.*
VII. *Baſilicorum opus verè Baſilicum Caroli Annibalis Fabroti cura nuper editum.*
VIII. *Exilium propriè dictum de Deportatione.*
IX. *Quandoque ad relegationem extenditur.*
X. *Deportationis, & relegationis nomina promiſcuè vſurpata.*

IAm Inſulæ vinculum, de quo ſuperiore libro generalia quædam pertractauimus, nobilis illa, & πολυθρύλλητος *a* diuiſio magis explicat, quæ in duas ſpecies, ſeu membra fit. *Relegatio in inſulam*, & *Deportatio in inſulam*, æqualiter inſulæ mancipant (quamuis inter ſe alias multum differant) noxas ſuas. Et Relegatio quidem dupliciter dicitur; aut ſine inſula; quomodo abſolutum, & generale nomen eſt, tranſcenditque in omnia genera exiliorum: aut cum inſula: & tunc partitè, & oppoſitè cum deportationē ſignificat. *Relegatorum* (ait Vlpianus l. VII. D. De Interdictis) *duo genera ſunt; quidam, qui in inſulam relegantur: ſunt qui ſimpliciter, vt Prouinciis eis interdicatur; non etiam inſula adſignetur.* Ea ratio eſt, quare inſula exprimi debuerit in relegationis pœna, ne de interdictione tantùm acciperetur. Relegationis in inſulam fit diſerta mentio in l. IV. l. VII. §. I. II. & ſequentibus. De Interdictis l. XXVIII. §. XIII. De Pœnis. L. pen. D. Ad leg. Corn. de

I. (margin, beside "IAm Inſulæ vinculum")
a *Decantatiſſima.*
II. (margin, beside "ſuas. Et Relegatio quidem")

 falſis:

falſis: quamuis ſine addito hæc etiam relegationis appellatio deſignet ſin-
gulare iſtud ſupplicium Paulo noſtro lib. v. Sententiarum Tit. XXVIII.
III. quod rarò ſolet. Deportatio autem ſui natura inſulam deſiderat; quæ etiam
omiſſa ſubauditur. Ideo gloſſæ abſolute vertunt: Ἐξορία ἐν νήσῳ. *Deportatio.*
At non ſemel, per pleonaſmum. ſcriptores inſulam adiicere ſolent. *Depor-*
*tatio in inſulam* reperire eſt in l. VI. in principio, & §. I. & II. De Interdictis.
&c. l. LXXVII. §. IV. De legatis, ſecundo. l. VIII. §. II. D. Qui teſtam. facere
poſſunt l. I. D. De extraord. crimin. l. IX. §. II. D. De Quæſtion. l. IV. §. II.
De Re militari l. VII. §. fin. De lege Iul. repetundarum. l. VIII. Codice de
Pœnis. Tacitus VI. Annalium; *Graßidius* (inquit) *vt in inſulam deportetur.* Et
vtrumque coniungit Paulus in l. XL. De Pœnis. *Metrodorum* (ait) *cùm hoſtem*
*fugientem ſciens ſuſceperit, in inſulam deportari: Philoćterem, quòd occultari eum*
*non ignorans diu diſsimulauerit, in inſulam relegari placet.*

IV. Græci relegationem, ſiue exilium in genere, Ἐξορίαν appellant: quod vti-
que nomen dumtaxat explicat eiectionem, ſeu exterminationem ab ali-
quo loco, hoc eſt interdictionem: Cùm verò deportationem ſignificare
volunt, aut inſulæ vinculum, περιορισμὸς dicunt; hoc eſt circumſcriptionem,
definitionemque terminis quibuſdam, ſeu finibus factam. Nec ſatis diſtin-
gunt propriis vocabulis, Latinorum Relegationem in inſulam ſpecialiter
ſumptam, & deportationem. Quod enim Latiis liberum exilium eſt, ἐξορία:
quod vero determinatum, & ſuis finibus circumſcriptum, περιορισμὸς Græ-
cis eſt. Apertè Michaël Attaliata in Synopſi, Tit. LXXVIII. De Pœnis; ὁ περιο-
ρισμὸς (inquit) τόπῳ καθείργει ἡ δὲ ἐξορία τόπου εἴργει. *Deportatio coërcet loco: Re-*
*legatio verò loco arcet.* Rectum ergo eſt, quod vertunt gloſſæ: Ἐξορισμὸς
Ἐξορία; *exilium, relegatio.* Ἐξόριστος, *exul, extorris*: deinde περιορίζω, *limito;*
περιορισμὸς, *terminatio, diffinatio.* Secus tamen, quod in Philoxeno eſt; Ἐξο-
ρισμὸς, Ἐξορίζει, *Deportatio, deportat.* Melius, *exportat*: nam *exportare* eſt, *de*
*loco tollere; deportare* autem *deponere*, Agrætio Grammatico. Ideo proprieta-
tem verbi ſequentes non malè interpretamur de relegatione locum illum
Senecæ in ſecundo cap. De Tranquillitate animi. *Quæ dignitas,* (ait) *cuius*
*non prætextam, Augurale, & lora Patritia, & ſordes & comitentur, & exportatio,*
*& notæ, & mille maculæ, & extrema contentio?* Nec rurſus aptum eſt, quod
habent Cyrillo quæ tribuuntur: ἐξορισμὸς, ἐξορία ἐν νήσῳ: *exilium, deporta-*
*tio*: nam non ſtatim atque inſulæ exilium eſt, deportatio eſt, quæ proprio
notatur vocabulo: ſed relegatio quandoque ἐν νήσῳ, *in inſula* fit, vt iam di-
ximus. Niſi *deportationem* de quocumque accipiamus exilio: nam ex Gloſſis
quoque eſt; *Deportatio* Ἀποικισμός: ſcilicet *à domo miſſio*, ſeu *eiectio*, quod non
minùs eſt relegatio, quam deportatio. At ſi περιορισμὸς *Inſulæ vinculum* eſt,
falſo ponit Attaliata duo genera περιορισμοῦ; alterum, cum εἰς νῆσον τὶς περιορί-
ζεται, *in inſulam quis deportatur*: alterum, cum ἐπαρχίας εἴργεται, *Prouincia inter-*
*dicitur.* Quare inſtauremus ſic oportet Græci illius verba, quæ ſunt Tit.
V. LXXXI. §. II. Δύο τῶν ἐνσὶ ἐξορισμοῦ, pro περιορισμοῦ. Theophylus Græcus in-
terpres Δεπορτάτον & ῥελεγάτον: ne Latij pœnas obſcurius enunciaret, vbi-
que amat dicere: ſicut & Gloſſæ Baſilicorum librorum, Δεπορτατευθήζεται:
VI. vt notat Ioannes Meurſius in Gloſſario Græco-barbaro. Græci autem ipſi
libri Βασιλικῶν magna cum pro pietate, & diſtinctione his vocabulis vtun-
tur, vt ἐξορία ἐξοριζόμενος, ἐξόριστος, *Relegatio, Relegatus ſit*: ἐξορία, ἐξοριζόμενος
ἐν νήσῳ ſiue εἰς νῆσον; *Relegatio, Relegatus in inſulam*: περιορισμὸς, περιορίζειν, ſiue
περιορίζειν εἰς νῆσον *Deportatio, deportare, deportare in inſulam*: Exilium vero vt
VII. generale nomen eſt, ἐξορίαν dicant. Præſto etenim, & ad manus iam nobis
eſt hoc tempore Græca magni operis Βασιλικῶν editio, cura & opera Caroli
Annibalis Fabroti verſi magna ex parte, quidquid Cuiacius non attigerat,

in

in Latinum ſermonem; nuperque in vrbe Pariſiorum typis mandati: quo nomine, cùm Interpreti diligentiſſimo, eximia adeò, deſiderataque ad hoc tempus Iuris Græco-Romani monumenta publica luce donanti, ſummam ab omnibus his, qui vera veterique ciuilis prudentiæ doctrina capiuntur, merito ſuo gratiam haberi cupio: tum Pariſienſem Typographum Regium, qui quidem reliqua ſua in rem litterariam merita nouo iſto, & grandi beneficio cumulans, par, aut maius cæteris ſuis vſque ad hoc factis planè fecit, pergere hoc animo, & concilio, tenoreque iuuandi, ac promouendi ſtudioſorum labores, calidis votis exopto, moneoque.

Exilium audiſti generale nomen eſſe: at nunc ſcias, triſtiſſimam huius, & ſeueriſſimam ſpeciem (deportationem ſcilicet) *κατ' ἐξοχὴν b*, ita audiuiſſe non ſemel aut rarò: cetera quippe non exilia, ſed relegationes propriè dici notauit Paulus in l. II. D. de publicis iudiciis. Exempla huius notationis ſunto, l. IV. D. ſi quis cautionibus. &c. l. XXXVIII. in principio. De Pœnis: l. I. C. de Fideiuſſoribus: & Florus lib. I. cap. XXII. qui hoc ſenſu dixit, *exulatione mulctare*. Planiſſimè Ouidius, qui ex concepta edicti forma ſecurus deportationis Principem ſuum ſic alloquitur lib. II. Triſtium. VIII.

b *Per excellentiam.*

*Adde quòd edictum, quamuis immite, minaxque:*
*Attamen in pœna nomine lene fuit.*
*Quippe relegatus, non exul dicor in illo.*

Et alibi iiſdem penè verbis,

*Quippe relegatus, non exul dicor in vrbe:*
*Parcaque fortunæ ſunt tibi verba meæ.*

Caſſiodorus c tamen maluit, *exilio deportare* quàm vt ambiguum proderet de pœna: & Vrbani Pontificis eſt, *exilium perpetuæ deportationis* apud Gratianum cap. XIII. XVII. quæſt. IV. Quod verbum non temerè ſubodoramur in Iuuenalis Scholiaſte ad finem Satyræ XIII. quamuis non minùs elegans ſit hodierna ſcriptura: *in inſulam exilio deportabitur*: vti eſt in Concilio Toletano habito æra DLXV. ſub Amalarico; cui ſubſcribit, *Maracinus in Chriſti nomine Epiſcopus ob cauſam fidei Catholicæ in Toletana vrbe exilio deputatus*. Similiter legitur *deportationis exilium* in l. I. C. Theodoſiano Ad leg. Iuliam de ambitu. Nec fruſtrà: etenim non perpetuò determinamus *exilium* hac ſignificatione, cùm etiam relegatio eodem generis vocabulo veniat non minùs intelligenda in l. XX. in principio. D. De Minoribus: quod ſcire haud parum intereſt: Confirmaturque ibi *exulem* de relegato dici, ex l. XXVI. §. I. D. Ex quibus cauſis maiores &c. Sunt & alij loci; l. XXX. De excuſationibus l. VII. §. fin. De lege Iulia repetundarum: Et Paulus de partitione pœnarum loquens in l. VI. in fine. De Pœnis, hinc accipit lucem. Similiter Africanus relegatum *exulis* nomine; deportatum *aqua & igni interdicti* (de quo nos infra pluribus) decepit in l. XXXVIII. in principio de ſolutionibus. *Siue in adoptionem, ſiue in exilium ierit, vel aqua & igni interdictum, vel ſeruus factus ſit*: quæ eius verba. Papinianuſque libro ſingulari de Adulteriis apud eum qui contulit Moſaicas leges cum Romanis, Titulo quarto, de marito, qui occidit adulteram; *non quaſi homicida puniatur* (inquit) *capite, vel deportatione, ſed vſque ad exilium* (mendum erat anteà, quod ſuſtulit Pithæus, haud ferendum, *exilium* ſcilicet) *pœna eius ſtatuitur*. Idem eſt *ad modum exitij* poſſe ferre ſententiam eum, qui de ingenuitate cognoſcit aduerſus calumniatorem, in l. XXXIX. quæ Pauli eſt, D. De liberali cauſa. Ita in l. III. C. ſi pendente appellatione mors interuenerit, l. vltima C. Si reus, vel accuſator &c. & paſſim in conſolatione ad matrem relegati Senecæ. Deinde obſeruant docti viri, duo hæc vocabula relegationis, & deportationis promiſcuè accipi, & ſignificare. Deportationis pro relegatione vſum exemplis confir-

c *In Chronico.*

IX. X.

mat inferioris ſæculi ſcriptorum Petrus Crinitus libro xxii. De honeſta diſciplina cap. v. Relegatione etiam καταχρηστικῶς vtuntur, vt ſignificent deportationem Tacitus vi. Annalium, Pliniuſque lib. iv. epiſtolarum: quibus laudatis rem notat Cuiacius in Commentario. Ad Titulum de excuſationibus: licet in relegationis propria ſignificatione ſenſum ſuum vtrique iſtorum conſtare Marcus cenſeat Lyklama lib. ii. Membranarum ecloga. x.

# CAPVT SECVNDVM.

## Differentia prima Relegationis, & Deportationis, à tempore.

I. *Differunt* I. *Deportatio & Relegatio: quòd hæc vel temporalis, vel perpetua; illa verò perpetua ſemper eſt.*

II. *In omni exilio conditio hæc temporis conſideratur.*

III. *Quid temporale exilium?*

IV. *Varia exiliorum mora, & modus.*

V. L. IV. C. *Quibus ex cauſſis infantia & emendatur, & exponitur.*

VI. *Duriori ſententia tranſigitur cū condemnato de exiſtimatione.*

VII. *Decennale exiliorum temporalium longiſſimum.*

VIII. *Exilium abſolutè de perpetuo intelligitur.*

IX. *Ex crimine, atque etiam ætate damnati exilium breuius, aut longius.*

X. *Hebræorum exilia vſque ad mortem Pontificis.*

XI. *De exilio ad voluntatem Iudicis.*

XII. *Morte aut remotione Iudicis an finiatur?*

XIII. *Non finitur; ſed tranſit arbitrium ad ſucceſſorem.*

XIV. *Liuij locus huic rei appoſitiſſimus.*

XV. *Reuocatione indiget hoc exilium vt ſoluatur.*

XVI. *Relegationis perpetuæ exempla.*

I. VTriuſque nunc partis conditionem, vnde iura exulum pleniſſimè dignoſcenda ſunt, ſequentibus explanabimus. Primo loco ſecundum temporis rationem altera diuerſaque Relegatio eſt à deportatione. Hæc namque ſui naturâ perpetua eſt nec in tempus, ſed ſimpliciter, hoc eſt ſine fine irrogatur. Relegatio autem nulla temporis lege definitur: poteſt enim ea in tempus, nec minus poteſt in perpetuum dici; vt iam videmus.

II. Temporalis relegatio inuitat nos ſuperioris etiam temporis exiliorum meminiſſe: & quia commodus locus eſt, nomenque relegationis ad omnem exilij cauſam pertinet, exilium hîc, cùm temporale, tum perpetuum paucis exornare. Quæ ergo deinde obſeruamus, tam referenda ſunt ad exilium, quo interdicitur locus, quàm ad id, quo aſſignatur certus pœnæ locus: quæ duo appellare ſoleo exilium à loco, & in loco.

III. Temporale eſt, (ſeu temporarium, vt vocat l. xiii. §. i. D. Ad legem Corn. de Falſis, & Nouella quædam Maioriani Cæſaris Conſtitutio titulo vltimo) quod ad certum tempus imponitur, completo eo finiendum. *Moris eſt* (ait Vlpianus)

Vlpianus) *aduocationibus* ( idem eſt loco aliquo ) *Præſides interdicere. Et non-
nunquàm in perpetuum interdicunt ; nonnunquàm ad tempus : vel annis metiun-
tur, vel etiam tempore quo Prouinciam regunt.* Ab vno ad decem exilij annos
exempla Iuris, atque hiſtoriarum deſignant. Imo Semeſtris exilij mentio
eſt vna cum quinquaginta verberum pœna in l. III. Tit. V. lib I. Compila-
tionis Hiſpanæ. Et proferemus nos quædam, non tam quod ſecundum IV.
temporis modum, & annorum deſignationem pœnæ mutet conditio;quàm
vt auctorum noſtrorum aliqua commendemus teſtimonia de exilio his li-
bris ſparſa. Annum expreſſit l. IIII. C. Quibus ex cauſis infam. In qua ( vt
etiam præſenſit Accurſius) ita legendnm ſententia ipſa docet. *Si Poſido-* V.
*nium in tempus anni relegandum ſententiam non exceſſiſſe Proconſulis probaueris,
quinque annis exilio temporali damnatum, inter infames haberi non oportet.* Et
formulam his verbis conceptam reſcripti fuiſſe ratio, quâ vtitur, perſpi-
cuum reddit : *quoniam ſententia* (ſequitur) *ſeueritas cum cæteris damnis tranſi-
gere videtur.* Sic coniectabar ex ingenio mederi reſcripto debere ; cum in
ſponſores incidi meæ coniecturæ, Cuiacium in commentario l. I. C. de iis
qui in exilium &c. lib. X. & lib. XV. D. Ad Municipalem;Donellumque lib.
XVIII. Comm. capite VIII. Aliter tamen placuit Franciſco Duareno ad hunc
Tit. Codicis cap. IV. & quod magis eſt, idem Cuiacius non contemnit
vulgarem ſcripturam in enarratione eius loci. Græci quidem lectioni edita
Latinæ adſtipulantur, libro XX. Baſilicon Tit. III. Vbi Thalalæus cuiuſdam
herois Patricij operam laudat in exponendo iſtius legis themate, vtique
amplectendam, ſi non reſcripti verba fortiter Græci Magiſtri acumen,
cui adeo fidit Thalalæus, refellerent. Quod attinet ad reſcripti regulam, VI.
quæ non vulgaris, & pulcherrima eſt, ne iſtud aliquis non ſciat, iiſdem fe-
rè verbis eam docuit caſtigatiſſimus iuris, & ſermonis Romani auctor Vl-
pianus in l. XIII. §. VII. De His qui notantur infamia. *Duriori ſententia cum
condemnato tranſigi de exiſtimatione.* Et Papinianus *durioribus pœnis affectos
quàm meruiſſent, ignominia velut tranſacto negotio, liberari* l. XV. in principio. D.
Ad Municipalem ; l. V. D. De curion. l. X. §. fin. De Pœnis.

Triennij exilium à Papiniano indicitur in l. VIII. De Diuortiis; & no-
ſtris legibus XXI. & XXV. Tit. XI. lib. V. Recompilationis : exiliique annorum
trium mentio eſt Leucippes & Clytophontis Nuptiis Achillis Statij. Quin-
quennalis meminit laudata lex IV. l. I. §. II. De effractoribus : l. II. De his
qui ſunt ſui vel alieni iuris, in fine : l. IV. §. Diuus. Ad legem Corn. De Si-
cariis l. XV. C. de Epiſc. audientia. §. 2. Inſtit. De Publius iudiciis. l. vltima
tit. XIX. Partitæ. VII. Lex. XXV. Tit. XII. l. VII. Tit. XIIII. lib. V. Compilatio-
nis. l. XXXV. Tit. XXV. libro IV. In quinquennium Iudex relegatur, qui hæ-
reticum aduocati fungi munere permiſit : quod laudatis conſtitutionibus,
octaua, Tit. VI. lib. II. Codicis ( quæ Leonis, & Anthemij eſt in l. vltima
de Poſtulando) & capitis VIII. Tit. VI. libri L. Bapilicon, Euſtathius Ante-
ceſſor ſcribit in libello de Temporum interuallis Græco, quem Leuncla-
uius edidit in corpore Iuris Græco-Romani. Nouennali exilio quid vetat
mulctatos quoſdam ? Certè exemplum tale in Diis ſuis ferri Heſiodus fecit
in Θεογονίᾳ. Nam relegationis quadam ſpecie, ſiue interdictione, abſentia-
que ab epulis, & concilio Deorum per nouennij tempus, nec aliter expia-
tum ſcribit, ſi quis ſuperum Θεῶν illud *μέγαν ὅρκον, Deorum magnum iuſiuran-
dum* Stygem, periurio violaſſet. Decennale irrogatum ſcio ex Tacito. *Mar-
cus Piſo* (ait. III. Annalium) *exuta dignitate, & accepto quinquagies ſeſtercio in
decem annos relegatur.* Et lib. VI. *Papinij mater in decem annos vrbe prohibita eſt.*
Hactenuſque puniri ambitum Iulia lege teſtatur Dio Caſſius lib. XXXVII.
Exemplumque præbet decennalis exilij lex XIIII. Tit. XVIII. lib. V. Compi-

lat,

lat. Planè hoc eſſe maximum exilij temporarij ſpatium ex eo ſuadetur, quòd in tempus exulare iuſſus ſine præfinitione tamen illius, vti Iudicis imperitiâ contingere poteſt, decennio tantum debet exulare: quo pertinet argumentum ex l. XXIII. De Pœnis, cuius ſententiam laudat Euſtathius in Decennio, producti nuper opuſculi: conſentiuntque libenter antiqui Docto-

VIII. res, *a* ac *b* Neoterici. Quamquàm exilium abſolutè irrogatum, de perpetuo accipiendum ſit: quod eorumdem teſtimoniis *c* compertiſſimum eſt, idex l. ſeruus X. C. de pœnis, deducentium: ex qua ſeruus ſub pœna vinculorum Domino tradi iuſſus ſine temporis præfinitione, perpetuo vinctus eſſe debet: quomodo Catula reſcriptum ibi fuit ab Imperatore Alexandro. Exilium tamen XII. annorum irrogat Pontifex ſummus in cap. IX. XXX. q. I. Vigintique annorum exoptat irrogari Apuleius in Apologia. *O mendacium* (ait) *viginti annorum exilio puniendum.*

*a Bartol. in l. XXIII. Baldus in c. Ex litteris de conſt. & ibi Felinus n. 9. Idem Baldus in l. I. C. De Poſtulando.*

IX. Modum ſanè temporalis exilij, cùm leuior culpa, tum prouectior ætas nocentis temperabat. Nam in eiuſdem criminis reatu prolixius exilium iunioribus, quam ſenioribus imponendum memini me in Digeſtis legiſſe; in reſcripto nempè Hadriani apud Calliſtratum l. II. De Termino moto. Vnde Harmenopulus ſumpſit lib. VI. Promptuarij, tit. VII. De Terminorum motoribus. Vlpianuſque apud Collatorem Iuris Romani, & Moſaici: *Poſſunt* (ait) *ad tempus, vt cuiuſque patitur ætas relegari.* An quia ſenes in exilio detinere nollent? Suſpicor, motus M. Coriolani dicto, quod ex Fabio antiquiſſimo Reipub. Romanæ ſcriptore accepit Liuius, poſuitque in ſecundo libro; *multo* ſcilicet *miſerius ſeni exilium eſſe*. Imò & quia ſenes clementius puniuntur *d*.

*b Gomez B Var. 8. Additiones Clari 5. ſet. q. 71. nu 10. Paz in Praxi 1. tomo 5. parte c. 3. §. 12. nu. 111. Farin. 1. p. frag. crim. lit. B. n. 79. 80.*

X. Hebræorum exilia incerti temporis fuerunt; at quidem temporalia: nempè ad mortem vſque Pontificis, vt dicitur Numerorum XXXV. Circa quod non iniucunda lectu res accidebat, ab Hebræis relata in Miſna codice Maccoth cap. II. vt ſcilicet ſacerdotum ſummorum matres victum atque amictum exulibus ſufficere non grauarentur, ne filiorum ſuorum mortem precibus accelerarent. Similiter Athenarum Oſtraciſmus, de quo proprium caput paramus, decennale fuit.

*c Quos citat Gomez vbi proximè: & Farinacius eadẽ 1. par. frag. crim. lit. B. n. 81. quãuis refragetur in notis ad Gomezium Emmanuel Suarez.*

*d Greg. in l. 8. tit. 81. Part. 7. Tiraq. De Pœnis tempe-randus cauſa.*

*e In Quæſtionum appẽdice ad Seſquicenturiã q. 17. §. 2. n. 1.*

XI. Ad temporalem hanc pœnam ſpectat ea cauſa; ſi nempè Iudex in tempus ſuæ voluntatis exulatum aliquem mittat. Circa quam inprimis veterum quorundam inſcitia abſterret nos, ne inconſultis legum auctoribus fidem Interpretum non ſemper idoneam ſequamur. Nempe de hoc exilio ad arbitrium Iudicis I.C.tum explicant in l. Aut facta. §. euentus. D. de Pœnis, quos reprehendit merito poſt alios noſter Parladorus *e*. Nos hodierna, & forenſi appellatione, qui antiquo iure, & moribus ferè iam non vtimur, *voluntarium exilium* id quidem, cuius tempus ad arbitrium voluntatis ſuæ Iudex reſeruauit: vti ab hoc diuerſum, ſiue contrarium, quod ſcilicet præfinitum ex ſententia ipſa tempus habet, *præciſum exilium*, vocamus. Planè hoc vltimum vetuſtiſſima illa pœna eſt; quam nullibi abſque hac neceſſitate irrogatam lego. Poſterior ætas Iuris, arbitrariam inuenit alteram, quæ irrogantis voluntate ſtat, ſemper, aut cadit. Non mala ratione, vt reputo; expedit namque non ſtatim à re abiudicare omnem indulgentiæ poteſtatem Iudices; ſed habere damnatos obnoxios ſibi, & morigeros, abſtergendique hodierna continentia, & modeſtia veterem culpæ maculam, demerendique ipſorum Iudicum de ſe iudicium æquius, ſollicitos. Quę inſpectio adeundi alias Principis, Maximarum rerum pondus verſantis, oculos ad minutiora hæc caligantes præterire ſolet. Sed idcirco, quia ciuilis eſt prior illa ſignificatio, & famoſior, vtpote ab extrema veniens antiquitate; quotiens impoſitum fuerit exilium abſque vlla determinatione voluntarij,

aut

aut neceſſarij, ſiue, vt vocare præciſi, hoc vltimum irrogare Iudicem prudentes credimus *f*.

XII. Sed vt quidquid de huiuſmodi exilio ſcitu dignum eſt adnotemus; planè vtiliter pulchreque dubitari ſolet, exiliumne ad voluntatem, ſeu pro tempore voluntatis, & quandiu Iudex velit impoſitum, eo moriente, aut munere defuncto qui iuſſit, ita finiatur, vt liberè tanquam pœna exolutus poſſit exul ad propria redire. Obtinuitque apud veterum *g* plures, irrogantis morte videri exilium, quod ad arbitrium, & quandiu velit, irrogauerat, ſolutum: quaſi iam non velit, qui vnde vellet, amiſit: ſiue (vt adferamus huc Iuris regulam ex l. III. De Regulis Iuris) quaſi iam non nolle reditum exulis poſſe videatur, qui velle non poteſt. Ad exemplum mortis, id ipſum operari remotiorem Iudicis affirmatur: neque enim expectandam eſſe priuati, ſiue iam non Iudicis auctoritatem, vt pœna ſoluatur; abnormeque, & monſtroſum ferme eſſe, vt Iudicis partes, ſeu reuocandi exules hic retineat, qui Iudicem gerere deſiit, & poteſtate omni iam exutus eſt. Cenſent hi quidem voluntatem de Iudicis voluntate intelligendam; finirique exilium, quia finita eſt Iudicis voluntas: neque enim ampliùs velle voluntate illa, quam deſideramus, publici hominis poteſt is, qui munere publico deceſſit.

XIII. Attamen videtur potius perplacetque neotericorum de hac re iudicium, vtpote Reipublicæ rationibus conſentaneum magis, arbitrium iſtud ad ſucceſſorem ſiue defuncti, ſiue remoti Iudicis illibatum venire. Quod ex illa ratione ipſa nouiſſimè conſiderata, voluntatis, de publici hominis voluntate intelligendæ, confirmabimus: nonnihil tamen, cuius defectu ea ratio laborat, adiungentes. Adeo ſcilicet publicam videri voluntatem ſubintellectam, vt priuatum nihil admiſceatur: Iudiciſque, qui eo in loco iudicat, quiſquis ille ſit, arbitrium quærendum; non illius tantummodo, qui primò ſubiecit arbitrio ſuo exilium. Planè is, qui rempublicam gerit, ea omnia, quæ circa muneris ſibi commiſſi expediendas agit rationes, publico iure, hoc eſt iure Magiſtratus, agere videtur: nec priuata arbitria in rebus, quæ tam à priuatis diſtant, admittenda, aut toleranda ſunt. Pariter atque in aliis rebus verba veniunt *h* ſecundum officia eorum, de quibus proferuntur, intelligenda. Secus eſt in priuatorum pactionibus dicendum: nam in conceſſis ſub eâ clauſula, *quoad velim* ſeu, *per tempus voluntatis*, mors concedentis negotium tollit: quod ait Pomponius in l. IV. D. Locati: conuenitque l. vltima. D. Qui ſine manumiſſione &c. Commodum aduenit quòd magiſtratus, ſeu munus Iudicis, idem ac perpetuum eſt; nec à diuerſis, qui alius poſt alium muneri præſunt, diuerſum geritur. Proconſulatus idem in eo, qui functus eſt, & in eo, qui ſubditur, audit ab Vlpiano in l. Meminiſſe. X. D. de offenſio. Proconſulis. Quare & Principi relicta, ſeu ſacerdoti, & conſequenter omnibus, qui publicam, ſiue ſacram, ſiue profanam rem adminiſtrant, non ad priuatum aliquem directa, ſed ad eum, qui talem quocumque tempore dignitatem, ſeu munus geſſerit, interpretatus eſt olim Antoninus Imperator, quem laudat Caius in l. LVI. De legatis ſecundo quo & referendus Scæuola in l. Annua. XX. §. 1. De annuis legatis. Auguſtæ vero relictum, quia non publica perſona eſt Auguſta, moriente eâ in irritum cadit; de quo monemur in l. LVII. De legatis ſecundo. XIV. Apponam veteris Romæ exemplum Liuij fide; quo nil accommodatius ad præſentem aio quæſtionem. Populus Romanus adacti ſacramento ſequuti ſunt Publium Valerium conſulem ad expugnationem Capitolij, arciſque ab ſeruis, & exulibus occupatæ. Conſule occiſo, recuperataque arce, ſuffectus ei L. Quinctius Cincinnatus legiones in Volſcos, atque Æquos educere volebat. Tunc Tribuni ſolitam illam Agrariæ legis cauſam repetentes, obſiſtebant conſu-

*f* *Notat Parladorius d. §. 2. n. 4. Farin. l. p. fragm. criminaliū lit. B. n. 81.*

*g* *Bald. in l. fin. C. de cōt. empt. n. 13. & in Proœmio DD. §. Hæc autem latè. Hippolytum de Marſiliis in Repet. Rub. de Probat. n. 251. cum ſeqq. Felinum in cap. & litteris de cōſtit. 69. columna 12.*

*h* *l. 12. §. 4. vbi DD. Digeſtis de vſu & habitatione.*

li, *quærendo* (verba iam ſunt Liuij lib. III.) *quonam modo exercitum educturi Conſules eſſent, quos delectum habere nemo paſſurus eſſet? Nobis verò* (*inquit Quinctius*) *nihil delectu opus eſt; cum quo tempore Publius Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba iurauerint conuenturos ſe iuſſu Conſulis, nec iniuſſu abituros. Edicimus itaque omnes, qui in verba iuraſtis craſtina die armati ad lacum Regillum adſitis. Cauillari tunc Tribuni, & populum abſoluere religione velle, priuatum eo tempore Quintium fuiſſe, cum Sacramento adacti ſunt.* Vides vt altiſſimo ad rem exemplo, verba illa ſe non abituros iniuſſu Conſulis, vim ſuam non amiſiſſe, Valerio, cui dicta ſunt, extincto, Quinctius contenderit; ſed referri ad eum, qui munus Conſulis quoquo tempore geſſerit, debere. Iureque optimo, vt cenſet Liuius: *nondum enim hac, quæ nunc tenet ſæculum* (ait) *negligentia Deum venerat; nec interpretando ſibi quiſque iuſiurandum, & leges aptas faciebat; ſed ſuos potiùs mores ad ea accommodabat.*

XV. Prætereà hoc arbitrium voluntatis, quod ſibi reſeruat Iudex, hunc ſenſum habet, & intellectum, vt reus exulet, quouſque non reuocetur ab eo exilium. Neque enim aliter quàm per reuocationem in ſcriptis, decretoque comprehenſam Iudex tollere hanc pœnam ſolet. Hæc autem reuocatio Iudicis obitu facta non eſt: quæ expreſſam reuocandi voluntatem decreto publico intimatam requirit. In eo autem caſu prohibitæ, aut conceſſæ alicuius rei ſub eâ clauſula, *donec reuocetur*, expreſſam deſiderari reuocationem, quæ morte non fit communis eſt Doctorum *i* ſententia. Nam & precarium ita conceſſum, quandiu is, qui conceſſit patitur, (quæ forma contractus, eſt ex l. I. De Precario) non quia mortuus eſt is, qui precario dedit, ſoluitur; ſed & ab hærede eius haberi precario dicitur. l. VIII. §. I. l. XII. D. eod. Tit. quia reuocatione eget illius ſolutio l. I. §. II. l. II. §. II. D. eodem. Argumenta alia, & inductiones videre eſt apud Auctores noſtros *k*, Gomezium, Auileſium, Bobadillam, & alios exteros.

XVI. Perpetuam irrogari ſæpè hanc pœnam, qui aliunde non nouerit, Ouidium audiat ex I. lib. Triſt. eleg. IV.

*At mihi perpetuo patria tellure carendum eſt.*

Et libro III. elegia XII. pulcherrima tranſlatione.

*Di facite vt Cæſar, non hoc penetrale, domumque*
*Hoſpitium pœna ſed velit eſſe mea.*

Perpetuum exilium Græcis eſt φυγὴ ἀΐδιος. Verone Ioſephum lib. XVIII. Antiq. cap. IX. Vbi de Herodis exilio. Ἀειφυγίαν Demoſthenes, & alij veteres nominant. Harmenopuloque ἀειφυγία etiam διηνεκῶς ἐξορισμὸς audit. *Æternum exilium* dixit Horatius *l*, quo è viuis abeundum eſt omnibus: *& nos in æternum exilium impoſitura cymbæ. Sempiternum* (quod verbum etiam Ciceronis eſt, de Vinculis, in Catilinam) & *ſempiternam pœnam*. l. IV. C. De commerciis & mercator: & *perenne exilium*. l. vltima eodem titulo. Hiſpanis legibus Alphonſi Regis noſtri, diciturisqui in perpetuum exilium mittitur, *perder la tierra dellano*. l. II. Tit. XXIX. Partita VII. Et eſt nota quædam perpetuæ relegationis apud Paulum lib. V. ſentent. quem affert Collator Moſaicarum, & Romanarum legum, iuxta fidem veteris Codicis, qua breuitati conſulens exſcriptor rem iſtam ſignificare voluit: Titulo XIV. De Pœna Plagiarij: *Honeſtiores adempta parte bonorum in pp. relegantur*: quod Pithæus ſcire *in perpetuum* interpretatur. Et tamen ſunt qui adhiberi ſibi cupiunt fidem docentibus, relegationis nomine, nuſquam non venire temporale exilium; ſicut & perpetuum, deportationis. Eſto quidem, ſi hodiernum ius, & ſermo Iuris laudatur: quod facit morem referens Regni Neapolitano allato inſuper ad rem Cælio Rhodigino, Camillus Borellus libro de Magiſtratibus lib. II. cap. VIII. n. 362.

*i* Baldus in d. l. 4. D. Locati: vbi Gotofredus Medicis in Tra. Mors omnia ſoluit par. 2. n. l. 93. nempe ex c. Septimo. De off. deleg. in 6. Decius cõſ. 108. n. 3. fe. & n. 5. Gabriel lib. 2. comm. tit. de Prab. concluſione 1. n. 20.

*k* Gomez 3. var. 8. Bobadilla 2. Politica c. 21. n. 211. Auiles in Proœmio ad c. Prat. verbo ordenãca inf. Diana 6. p. Tr. 6. reſolutione 48. qui tamen falsò laudat in re Molinam I.C. tum

*l* Lib. 2. ode 3.

CAPVT

# CAPVT TERTIVM.

## De exilio tutorum temporali, aut perpetuo, & eius effectibus.

I. *Perpetua relegatio, non temporalis, præſtat tutori excuſationem.*

II. L. IV. *C. in quibus cauſis tutorem habenti &c. expenditur.*

III. *Vera lectio l.* V. D. *De Capite minutis.*

IV. *Relegatum ab excuſato cur diſtinxerunt Impp. in dicta l.* IV.

V. *Tutor datur in eius locum, qui perpetuo abſuturus eſt; vti in eius, qui ad tempus, curator.*

VI. *In contrarium adducuntur lib.* XIV. §. III. *De ſolutionibus; l.* IX. §. VI. *De Tutelæ & ratione &c.*

VII. *Prior intellectus huius l.* XIV.

VIII. *Explicatio alia eiuſdem legis.*

IX. *Tertia alia explicatio: Tutor & curator promiſcuè accipiuntur.*

X. *Quarta explicatio. Iuriſconſultorum ratio quædam parum animaduerſa ſoluendi propoſitas quæſtiones.*

ACcommodatus hic locus eſt, quærendi, qui nam ſint effectus perpetui, ac temporarij exilij in cauſa Tutorum. Pendet nāq; ex hac cura non vnius obicis remotio. In primis auctores Iuris conſtanter docent, perpetuam I.
relegationem, non temporalem præſtare tutori excuſationem l. XXVIII. in fine. l. XXIX. De Excuſation. Vnde palàm fit Modeſtinum de temporali exilio loquutum in l. XXXII. §. vltimo. De Adminiſt. tutorum: è contrario de perpetua relegatione explicari debet Reſcriptum Valeriani, & Gratiani in l. IV. C. In quibus cauſis tutor habenti &c. a Turbat tamen, ſcriptum ibidem II.
ita eſſe: poſſe *alium*, tutorem, *dari in locum excuſati, vel defuncti, vel relegati.* Quare enim accuſati, & relegati aliam, & aliam ſpeciem, ſiue cauſam conſtituit Reſcriptum? Cum potiùs excuſationis generale nomen habeat ſub ſe iſtam ſpecialem excuſationem relegationis: & in genere quælibet eat, & ſignificetur ſpecies. Difficile adeò viſum hoc fuit Cuiacio ad Tit. De excuſationibus, vt relegatum ibi pro deportato acceperit; ſi non mutare aliquis vellet *deportari*, vbi *relegari* eſt. Quod quidem deportationis exilium magis veniret intelligendum ſub appellatione mortis, quam ſub excuſationis, in eo reſcripto: ſi non intellectu ipſius naturæ hæc mors ciuilis, vt vocant, deportati, à vera & naturali morte multum diſtaret. Franciſcus deinde Hotomānus ſibi ab hac Scylla timens, (pace illius dixerim) impegit Charybdi; temerè credulus vulgatæ lectioni lib. v. De cap. minutis: quod verè III.
monſtrum receptæ ſcripturæ ſuſtulit, tanquam Theſeus, aut Hercules aliquis, vti alia plura, codex ille ſanctus, & ferè irrefragabilis fidei, qui aſſeruatur Florentiæ. Sederat in vulgatis lectio hæc: *ſed & ſi quos Senatus hoſtes iudicauit, vel relegati vtique vſque eò, vt ciuitatem amittant.* Vnde ſibi finxit Hotomanus perpetuæ relegationis, quæ ciuitatem eriperet, exemplum, & morem: quæque nil minùs quàm ſub excuſationis appellatione ab his Auguſtis, quorum reſcriptum eſt, intelligeretur. Dudum tamen eſt, quòd ex Pandectis Florentinis, quomodo & Haloander habet, nouimus ſcriptum

a *Videndi in hac lege Giphanius & Cuiacius: itẽque Lyklama li.7. Membran.35.* §.1.

fuiſſe; *vel lege lata, vtique* &c. quorum verborum ſenſum, ne hîc moremur pete à Marco Lycklama lib. VII. Membran. ecloga XXXV. §.2. Aliunde ergo immittenda lux his tenebris.

IV. Vt reſpondeam, quod magis aptum videtur; inprimis fateor, pœnam relegationis inter has cauſas olim fuiſſe receptam quæ excuſationem tutelæ præſtabant. Id, præterquàm quòd ſuperioribus teſtimoniis,& inſuper l. III. C. Qui petant tutores, comprobatur; excuſationis etiam vocabulum in cauſa exilij, ſeu relegationis, vſurpat, probatque Tullius Cicero, Latinitatis, Iuriſque verborum proprietatis auctor optimus. De his agit qui propter exilium Iudices eſſe non poterant: Philippica V, *Sunt* (inquit) *lecti Iudices, qui fortaſſe excuſabuntur; habent enim legitimam excuſationem exilij cauſa ſolum vertiſſe, nec eſſe poſteà reſtitutos.* At non hanc pœnam ita propriè ad numerabo his titulis, ſiue cauſis, quibus conceſſum & ius excuſationis; quorum de numero ſunt, munus profeſſorium, liberorum numerus, trium tutelarum geſtio, & aliæ quæ fauorem tutoris deſignati continent, & ſi quæ pupillorum gratia receptæ ſimiliter ſunt. Relegatus neceſſitate quadam abſentiæ pœnæque remouetur, non priuilegio, aut fauore aliquo: relegatio pœna eſt, non immunitas; licet reapſe immunis onerum integri ciuis euadat relegatus. Ideo nec in titulis Digeſtorum, Codicis, Inſtitutionum, qui ſunt huius tractationis, in excuſationum recipitur numerum relegatio: quia nimirum ſolenne ſit eam ſolum cauſam comprehendi ſub excuſationis nomine, quæ fauore tutoris ſolita ſit admitti: non ſi quam pœna impoſita, neceſſitaſue abſentiæ damnato peperit. Propterea is, qui relegatur, opus non habet excuſare ſe apud Prætorem, quod in cæteris fit cauſis, ex l. XI. C. De excuſat. §. XVI. Inſtit. eodem titulo. Quî iam miremur laudatos Imperatores relegatum ab excuſato diſtinxiſſe? Statuimus ergo de relegato in perpetuum ibi agi: ſi quidem tutorem aiunt in locum relegati tutoris dandum. Tutor enim tantum in locum eius datur, qui perpetuo abfuturus eſt:

V. quemadmodum in locum eius, qui ab exilio rediturus eſt aliquando, Curator datur: vti docet Iuſtinianus in §. Interdum Inſtit. De Curator & §. ſecundo. De Excuſationibus, Modeſtinuſque in l. X. §. VII. D. eodem titulo.

VI. Manendum tamen paulisper hîc, quâ non temerè tranſiri poteſt, aut declinari Vlpiani teſtimonium ex L. Quod ſi fortè. XIV. §. III. D. De ſolutionibus. Verbo conſideremus: *Ei ſoluit, in cuius locum Curator erat conſtituendus, vt puta relegato in perpetuum, vel ad tempus.* Atqui tam diſtant inter ſe duo hi relegati ad tempus, & in perpetuum, vt loco huius tutorem alium, illius autem loco, non niſi curatorem dandum, quæ proximè adducta ſunt teſtimonia Iuſtiniani, ac Modeſtini planum reddant. Quibus addi poteſt Antoninus Imperator in l. IV. C. Qui petant tutores, iuncto Paulo in l. XVI. D. De Tutoribus datis &c. Quid quod & confiſcato tutori, (quo verbo etiam Suetonius vtitur in Auguſto, & Domitiano) quantumuis pœna confiſcationis non temporalem, ſed perpetuum præbet remiſſionem tutelæ, curatorem, non verò tutorem dandum, ait Vlpianus in l. IX. §. VI. De Tutelæ & rationibus diſtrahendis? En quid agis lector?

Duplici in diuerſum ſcinderis hamo

*Perſius Sat. 5.* Hunccinè an hunc ſequeris?

VII. Poteſt non malè Vlpianus in vtroque loco de eo caſu explicari; ſi quando pluribus datis ſimul tutoribus eorum aliquis propter pœnam relegationis, aut confiſcationis tutela cecidit. Qui ſanè caſus ſaltem expreſſus eſt in altera iſtarum legum; ſcilicet IX. De Tut. & rationibus diſtrahendis, ibi, *vel contutoribus eius.* Vnde ad alteram non temerariâ coniecturâ extendi poteſt idem caſus. Et iure quidem videtur obtinuiſſe non tutorem in locum deficientis,

de ficientis, aut excuſati tutoris, qui tamen non ſolus erat, ſed curatorem dari. l. II. C. In quibus cauſis tutorem habenti &c. Quod ipſum admittit in Iuriſprudentia ſua *b* Antonius Faber, de curatore explicans quæcumque iura in contrarium adduci poſſunt ex l. I. & laudatâ l. IV. C. eodem tit. lib. XII. De Tutelis: in qua Vltima tutores de Curatoribus impropria admodùm dictos tam ipſe Faber, quam Donellus cap. XV. libri III. Commentariorum, cenſent. Et quibuſdam ex antiquiſſimis Pragmaticis ſic placuiſſe tradit Angelus in d. l. IV. At quia cæteros quamplures *c* aliter video ſentire quod nempè propter vtilitatem pupillorum ſenatuſconſultis derogatum ſit plumbus in cauſis regulæ generali, quæ tutorem habenti tutorem dari alium non permittebat: etiamque ex pluribus tutoribus, ei, qui tutor eſſe non poſſit, alium ſubſtitui debere, ſit perſpicuum ex l. XLVI. §. VI. De Adminiſtratione tutorum; vnde ſupplendum eſt, quòd *alius* de tutore dicitur, non de curatore in l. XI. §. finali D. de Teſtam. tutela: quærenda eſt alia via tutior difficultatem euadendi, & confragoſa verba Vlpiani.

*b Tit. 11. Principio 1. illatione 7.*

*c V. Alex. in d. l. IV. Cuiacium in explanatione Tit. C. In quibus cauſis. &c. Hilligerum l. 3. com. Don. c. 15. lit. A.*

VIII. Alterum eſt quod ſuſpicor, curatoris nomen in d. l. XIV. generaliter, latè, ſiue ἁπλῶς de quocumque poſitum, qui pupilli curam gerit; quod etiam tutor facit: & breuitatis cauſa, ne vtramque ſpeciem, curæ ſcilicet, tutelæque partitè acceptam propriis appellationibus exprimeret, alteram pro vtraque placuiſſe, quæ commodiùs generis totam rem explicare poſſet. Nec diſerta magis, aut diſtincta verba deſiderabantur in cauſa ſolutionis illa, de qua Vlpianus in d. l. XIV. quod ſignatè de hoc loco cenſet Reinhardus Bachouius Germanus ad Inſtitutiones Iuſtiniani in §. Interdum III. De Curatoribus. Et quid ſi auctores Iuris ponunt non vno loco tutorem pro curatore? Vt non temerè ſit quòd vice verſa quandoque exiſtimemus vſurpatum, aut curam in genere de omni genere curæ, qualis & tutela eſt. Tutor vtique de curatore dicitur in l. III. §. X. De ſuſpectis tutor: (etiam ſi propriam ſignificationem tueatur Cuiacius *d*) & in lib. XII. De Tutelis; & fortè in l. XV. eodem (de qua tamen diuerſa ſententia eſt aliorum. Videſis Lycklamam lib. VII. Membran. ecloga XXXV. § I. & Ioſephum de Retes in explamatione Tituli Digeſtorum. De Interd. laudata) & in lib. penult. eodem titulo. Ita ſimiliter tutorum nomine, tutelæque nihil prius quàm curatorum munus ſignificatur in l. XXXIV. §. I. D. de Minoribus (adiuncta lib. CI. §. II. D. De Condit. & demonſtrationibus) in l. III. C. Arbitrium tutelæ, & in Horatij Satyra III. libri II. IX.

*d Ad l. 8. & ſeqq. De excuſationibus.*

*interdicto huic omne adimat ius*
*Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.*

Hæc omnia exempla notata ante me ſunt à Donello, huiuſque doctiſſimo enucleatore l. III. Comment. cap. XV.

X. Quod reſpondere deinceps habeo, coniectura noſtra eſt; ab ingenio quidem, ſed non ſine multa obſeruatione ſermonis auctorum Iuris. Duobus nempè adſumptis conſueuerunt alteri eorum tantum, verba, quæ ſequuntur, rationeſque accommodare, alterius rei quaſi obliti. Sic Paulus in lib. XXVIII. De inofficioſo teſtamento *libertates, & legata præſtari* ſcribit; cùm potius debuiſſet *libertates*, quæ vtique directè relictæ ſunt, *competere, legata præſtari*. Idem Paulus culei veterem pœnam non ſolum videtur interfectoribus parentum adſignare, ſed etiam fratrum, & patronorum in libro V. ſent. tit. XXIV. quod falſi conuincitur ex l. IX. D. De lege Pompeia de parricidiis, notantque D. Ioannes de Solorcano lib. I. De Crimine Parricidij cap. IX. & D. Ioannes Suarez de Mendoça. Ad leg. Aquiliam lib. I. cap. V. nu. II. Quod non aliunde excuſari poteſt, quam quòd ſpernere ſolent hi, qui magis Latine loquuntur, grammaticam ſtructuram. Sic in lib. LXIII.

§. VII. Ad Trebellianum, quod ibi dicitur *apertè iniquum eſſe cogi quam explere conditionem alterius gratia*, pertinere exiſtimamus ad difficilem, non ad turpem, quæ ſimul nominatæ prius fuerunt. Et illuſtre quidem aliud huiuſce rei exemplum eſt in lib. IV. De Conditione furtiua & aliud non minus aptum in lib. IV. D. locati. Virgilium ita explicant aliqui; non Agellius, aut Macrobius, in eo verſu

*Ecce Quirinali lituo, paruaque ſedebat*
*Succinctus trabea.*

Figuratum eſt ergo quod Vlpianus curatoris tantum meminerit propter eum, qui ad tempus relegatur, licet curator vtique non detur, ſed tutor in locum illius, qui perpetuò abeſſe debet.

## CAPVT QVARTVM.

### De Oſtraciſmo decennali Græcorum exilio.

I. *Græcorum* φυγή *nomen generale exilij.*

II. *Oſtraciſmus ſpeciale fuit Athenis exilium decem annorum.*

III. *Non in pœnam; ſed ad mitigandam nimiæ potentiæ alicuius ciuis inuidiam.*

IV. ὀστρακισμὸς *ſiue* ἐξοστρακισμός, *propter* ὄστρακον, *ſiue teſtulam in ferendis ſuffragiis vſurpatam.*

V. *Ratio eundi in ſuffragia.*

VI. *An locus deſignaretur oſtraciſmo pulſis in quo manerent.*

VII. βοηλάτης, *Bouem ſerualis. Prouerbium de exulibus Athenienſibus: atque illius ratio.*

VIII. *Optimus quiſque Athenienſium oſtraciſmo pulſus.*

IX. *Cimonis exilium.*

X. *Quiſnam Oſtraciſmi auctor?*

XI. *Quis abrogator?*

XII. *Aliæ etiam Græciæ vrbes oſtraciſmo vſæ.*

XIII. *Simile quid factum Romæ in P. Scipione.*

XIV. *Syracuſanorum* πεταλισμός, *quinquennale exilium.*

XV. *Vtiliſne hoc tempore Oſtraciſmus.*

XVI. *Oſtraciſmo Athenienſi raro punita fuit vera virtus, ſed ſimulata, & fallax.*

OStendimus relegationem Romanam vel ad tempus, vel perpetuam
fuiſſe. Quod reliquum eſt, eandem differentiam in exiliis aliarum gen-
I. tium, & maximè Græcorum conſtituimus hoc capite. Athenarum duplex
fuit exilium alterum generalis appellationis & vſus, quod aduerſus nocen-
tes, ſiue temporarium ſiue perpetuum decernebatur, vt vero magis ſimile
eſt: niſi perpetua fuit ſemper φυγή; quod Suidas [a] innuere videtur. Conſtat
ſaltem Oſtraciſmum, quod alterum fuit exilij genus, ad tempus irrogatum
II. fuiſſe. ὀστρακισμὸς inuentum fuit Athenienſium, & Politicæ rei, æqualitatiſ-
que ſeruandæ inter ciues veluti ſumma. *Solent eæ ciuitates* (ait Ariſtoteles
III. libro Polit. cap. XIII) *in queis rerum populus potitur, vt æqualitatem inter ciues ſuos ſeruent, eos qui potentia videntur excellere, & ſupra alios multum eminere* διὰ πλοῦτον, ἢ πολυφιλίαν, ἤ τινα ἄλλην πολιτικὴν ἰσχύν, *propter diuitias, aut amicorum multitudinem aut aliam quandam virtutem ciuilem, è patria in exilium pro-*

[a] In ὀστρακισμός.

*pellere per decennij ſpatium* : *quod dicebant* ὀστρακίζειν. Hunc morem non abſolutè probat ſummus Philoſophus, ſed in iis Reipublicæ adminiſtranda formis, quæ à recto deflexerunt, priuatim expedire ait, & iuſtum eſſe. Meminit etiam lib. v. cap. III. Culpat tamen Andocides Orator oratione XIV. priuatis delictis ſeueriorem, publicis autem mitiorem exiſtimans Oſtraciſmum; de quo legem tantum eſſe apud Athenienſes, alibi nuſquàm, iudicium eſſe iniquitatis illius contendit. Sine ignominia igitur abibat, qui huiuſmodi III.
damnabatur; nec odij aut quòd plebis animi auerſi ab illo eſſent, indicium fuit Oſtraciſmus: ſine crimine, & ira iudicium tranſigebatur. Non enim pœna, ſed παραμυθία φθόνου, καὶ κουφισμὸς *alleuatio inuidiæ, ac mitigatio* (vt inquit Plutarchus in Themiſtocle) curaque potius reputata publici ſtatus, quam vt vllius delicti reum coërceret. οὐκ ἀσχήμονα τὴν συμφοράν, vocat rectè Ariſtides, *b calamitatem, nec tamen inhoneſtam*: in quam populus Athenienſis infenſus præſtantioribus, ne in tyrannidem incideret, ſtomachum propter inſignem aliquam ciuis potentiam grauiter motum effundebat. Eapropter forma iudicij inſuper habita οὔτι κατηγορίας γενομένης, οὔτι ἀπολογίας ἀποδοθείσης, οὔτι διαψηφιζομένων κρύβδην, id eſt, *neque accuſatione præcedente, neque permiſſa defenſione, neque item clandeſtina damnatione in ſuffragia ibat populus*: quod totidem verbis ait Andocides in memorata iam oratione. Ac per certa interualla temporis vſurpari id conſueuiſſe auctor eſt Plutarch. in Nicia. De cuius legis fine & concilio Ariſtides agit. *In communi defenſione* IV. *virorum* apud Photium in Bibliotheca.

b *In Platonica* 2.

Ἐξοστρακισμὸν etiam appellant: vtrumque propter ὄστρακον, ſiue *teſtulam*, IV.
qua vtebantur in ſuffragiis: & quòd teſtulæ figulinæ eſſent, κεραμικὴ μάστιξ *teſtaceum flagellum* in prouerbio acceptum Oſtraciſmi, Suidæ, & Heſychio. Rem totam iudicij narrat Plutarchus in Ariſtidis vita; cuius verba, quia V.
perſpicua ſunt de hoc more, appingenda hîc, vti Xilander latinè reddidit, ne Græcis te onerem. *Teſtulam capiebat vnuſquiſque; hanc cùm ei inſcripſiſſet, quem vellet exigere, inquendam locum fori cancellis vndique ſeptum ferebat. Archontes inde primo numerum inibant acumulatarum omnium teſtarum: ſi infra ſex millia eſſent qui ſcripſerant, inanis erat exoſtraciſmus. Poſt ſingula nomina ponebant ſeorſum, & qui eſſet à plurimis ſcriptus, huic permiſſis facultatibus ſuis conſtituebant exilium decennale.* Hinc plures hauſerunt: Iulius Pollux Onomaſticon lib. VIII. cap. v. Scholiaſtes Ariſtophanis in ἱππεῦσ, Scena IV. Acta II. Auctor magni etymologici in Ἐξοστρακισμός. Quanquam & locum quo conueniebat populus, & ſuffragionum numerum ab iſto diuerſum Plutarchi, conſtituat falſo Ioannes Tzetzes hiſtoria CCCCLXXXIX. Narrat quoque rem Diodorus lib. XI. niſi quòd magno cubat in errore hic auctor, quinquennium pro decennio tribuens oſtraciſmo. Sed iam monuit Ioannes Meurſius *c*, legendum δεκαετῆ χρόνον, *decennale tempus*, vbi eſt πενταετῆ χρόνον.

c *Li. 5. Atticarum lectionũ c.* 18.

Videmus tamen quatenus fidendum Suidæ ſit, qui oſtraciſmo pulſis locum adſignat, definitque, vbi morandum his neceſſariò eſſe; τοῖς μὲν χρόνος VI.
(ait *d*) ἐνδείκνυται, καὶ τόπος: *& his quidem* (oſtraciſmo pulſis) *tempus præſcribitur, & locus*. Quæ prorſus eadem habet Scholiaſtes Ariſtophanis *e*. Scio VII.
Prouerbiale hoc fuiſſe in exulibus Βουκολήσεις, *Bubulcus eris*, ſeu *Bouem ſeruabis*: cuius auctores ſunt doctiſſimo Adagiographo *f* Plutarchus, & Heſychius: ex eo dictum nempè, quod Athenarum exules Argiuam regionem petere conſueuerint, in qua bos æneus inſigni magnitudine viſebatur: Themiſtocleſque pulſus eò conceſſit. Vt conſtat ex Plutarcho & Thucydide lib. I. & ipſo Themiſtocle in epiſtolis. Sed non iis verbis memorant Plutarchus *g* ac Diodorus *h* magni huius viri Argis moram, quæ neceſſitatem ſignificent alio haut abeundi. Nec ſilerent, qui de oſtraciſmo ſcribunt, ſi certo alicui

d *In* ἐξοστρακισμός.

e *In equitibus & in Veſpis.*

f *Eraſmo in* Βουκολήσεις.

g *In Themiſtocle.*

h *Lib.* 2.

loco manciparet hæc pœna. Vrbem Argiuorum petendi aliis frequentius,
in cauſa fuit, cùm vicinitas Athenienſis ciuitatis, tum vtriuſque harum fœ-
VIII. deris inter ſe, & amicitiæ nexus. Planè iſtiuſmodi damnationem quæ opti-
mo cuique Athenis accidere ſolita eſt, (vt inquit Cicero in Oratore) The-
miſtocli nempè, Ariſtidi, Cimoni, Alcibiadi, Xantippo, aliis, intellexit
Boëthius, in ſua Philoſophia hæc verba faciens inducitur lib. 1. De Conſo-
latione: *Si enim cuius oriundus ſis patria reminiſcaris, non vti Athenienſium quon-
dam multitudinis imperio regitur,* ἀλλὰ εἷς βασιλεύς ἐστιν, εἷς κοίρανος, *ſed vnus Rex,
vnus Dominus, qui frequentia ciuium, non depulſione lætatur.* Poëtaque Celtiber,
altera genti, nec inferior poſt Valerium Martialem, carminis gloria, ſed
vulgari ſermone.

*Si de Grecia ſacaua el Oſtraciſmo*
*Los buenos por inſignemente buenos,*
*Contigo portan perfida alomenos,*
*No hizieran ſus Republicas lo miſmo.*

IX. De exilio autem Cimonis (ne id omittam) Suidas, Athenæus. Tzetzes po-
tiorque his Andocides oratione III. propter inceſtum cum ſorore Elpinice
Oſtraciſmo eiectum ſcribunt: quod non iis probatur ſatis, qui Athenienſi-
bus licuiſſe ſciunt eodem patre natas vxores ducere, vt ex Philone, Corne-
lio Nepote, Seneca monet in re tota veri neſcius Ioannes Rutgerſius I. Va-
riarum lect. cap. IX. Rem acu tetigit Petitus in legibus Atticis vbi de his nu-
ptiis cum ſorore: de quo priùs quæſierant Muretus obſeruat. VII. cap. I.
Heralduſque I. Aduerſariorum cap. XII. At in Cimone hoc rarum accidit,
quòd Oſtraciſmo eiectus ante decem annos fuit reuocatus. Virtuti huius
ſummi viri attribuit id Ariſtides in Platonica pro quatuor viris: quem &
Photius retulit in Bibliothecam *i* Suam.

X. At nedum inter veteres conſtat de Oſtraciſmi origine, & auctore. Sui-
das *k* Theophraſtum laudans, Euſebius, *l*, & Ariſtophanis ſcholiaſtes *m* ad
Theſeum vſque reiiciunt. Lycumque nominant quendam, qui per calum-
niam effecit, vt ille Oſtraciſmo primus pelleretur. Vellem tamen Plutar-
chus, qui Theſei res geſtas ex optimis ſcriptoribus, vt ſolet vir diligentiſſi-
mus, collegit, huiuſce rei meminiſſet: Non ille quidem, ſed vinculorum
priùs, mox ſeceſſus in Scyron inſulam voluntarij, in qua Theſeus obiit, nec
vllo verbo mentionem habet Oſtraciſmi; planè habitum, ſi pulſum eo The-
ſeum alicubi legiſſet; vt amat Plutarchus nil diſſimulare in hiſtoria, retice-
reue, quod ab idoneo ſit auctore. Scioque Solonis leges hoc non tuliſſe.
Himerius Sophiſta in Declamatione pro reuocando Æſchine apud Pho-
tium in Bibliotheca *n*, *Populus* (inquit) *Athenienſis negligit reuocare Ariſtidem,
ſed non propter delictum ſed virtutis nomine exulauit*; in fit que ſtatim, ἵνα γὰρ πει-
θῶσι τῷ Σόλωνι οὐδ' ἀντὶν ἔφυγον ἀδικεῖν δόξαι τὸ δίκαιον, hoc eſt. *Si enim Solonis le-
gibus parerent, iuſtum certè non proſcriberent.* Cliſtheni Oſtraciſmi repertum
tribuit Ælianus *o*: qui quidem progenie eiecta Piſiſtrati rempublicam con-
ſtituit Athenienſem: idemque cenſet Diodorus inuentum ſcribens Oſtra-
ciſmum poſt eiectionem τῶν τυράννων τῶν περὶ Πεισίστρατον, *tyrannorum qui à Pi-
ſiſtrato orti ſunt.* Sed an Cliſthenes idem cum eo eſt, de cuius exilio ſcribit
Phalaris Agrigentinorum tyrannus cuidam Egeſippo? Rem quippe Oſtra-
ciſmi perpeſſum oportet eum, cui calamitatis cauſa fuiſſe dicitur in ea epi-
ſtola ἡ τῆς εὐνοίας δόκησις, *beneuolentia* popularis in ipſum *opinio*. Non credo: Pha-
laridis etenim tyrannis apud Agrigentinos (qui quidem inſcribitur his epi-
ſtolis vulgò, etiam ſi latere ſub hoc nomine. Lucianus videatur Angelo
Politiano *p*) duodecim ferè Olympiadum, hoc eſt ſemi ſæculi interuallo
præceſſit Hippiæ exactionem a Cliſthene factam. Atqui ſi Cliſthenem faci-
mus

i Codice 248.
k In Θοπ- σκον & in Ἀρχὴ ἐκυ- είᾳ
l In Chronico.
m In Pluto.
n Codice 243. columna 1079.
o Lib. 13. c. 24.
p Lib. 1. epiſt. 1.

mus auctorem Oſtraciſmi, de alio Hipparcho, quam Piſiſtrati filio, qui eandem parentis gerens tyrannidem interfectus fuit ab Harmodio, & Ariſtogitone, ſuperſtite adhuc Hippia fratre; intelligendus eſt Plutarchus in Nicia: quod magis claret ex Harpocrationis Lexico *q*. Heraclides autem in Politiis Hippiam ipſum: Photius *r* Achillem quendam Lyſonis filium auctorem nominauit. Ego de Cliſthene aſſentior doctis viris, qui ante me iſtum morem diligenter expoſuerunt: & fateri per quos profecimus laude dignum eſt. Hi ſunt in primis Philippus Beroaldus in Annotationibus; Cælius lectionum antiquarum lib. XXI. cap. XLIV. Alexander Neapolitanus lib. III. cap. XX. Carolus Sigonius de Repub. Athenienſium lib. II. cap. IV. Hadrianus Iunius lib. V. Animadis cap. XVIII. Græcarumque antiquitatum Promus condus Ioannes Meurſius omnium nouiſſimus lib. V. Atticarum lectionum cap. XVIII. Reſpia occupauit nos, vt iſta retractaremus, ne libidinem excribendi aliorum obſeruationes multum alioqui vituperatam nobis, admittere his ſchedis, nec excuſare videamur. Verè enim non ij ſumus, quos deceat Donati iſthoc vſurpare: *pereant, qui ante nos noſtra dixerunt*: quod ex Magiſtri ore explicantis illud Comici. *Nihil eſt dictum quod non ſit dictum prius*, teſtatur *ſ* Diuus Hieronymus ſe excepiſſe.

*q In* ἐν ταῖς ... *r In excerptis ex Ptolemæo Ephæſtione.* *ſ Super Eccleſiaſten cap. 1.*

XI. Deſiit tandem (quod ſine controuerſia eſt) vſurpari Athenis Oſtraciſmus; poſtquam huius pœnæ (vt ita cum Plutarcho *t* loquar) dignitatem & exiſtimationem Hyperbolus quidam Perithædes teſtularum ſuffragiis pulſus deformauit. Hic duabus factionibus Niciæ, & Alcibiades (non Niſiæ & Pheaci, quod apud Theophraſtum eſt) diſtracta vrbe fecit ſibi per audaciam, & opes ad rempublicam locum: γενόμενος δὲ ἣν εἶχεν ἐν τῇ πόλει δόξαν (vt ait Cheronenſis Philoſophus) ἀδοξία τῆς πόλεως, *factus quem habebat in ciuitate honorem, ignominia ciuitatis*. Cumque ſuperbe ſe gerens, etiam alterum ex duobus clariſſimis viris vrbe expellere per Oſtraciſmum cuperet, quo manenti alteri parem ſe oſtentaret, coniunctione vtriuſque inter ſe factionis tempeſtiuè factum fuit, declinata ſic, & aduerſus hominem conuerſa illius improbitate, vt quem maximè oportuit ignobiliorem aliquam, & ſe dignam notiſque ſuis pœnam pati, hoc verè dedecus pœnæ, dehoneſtamentumque, per Oſtraciſmum Tribus expellerent: cuius cauſa non vtique repertum fuit oſtracum, quod carmine habetur Platonis Comici in Plutarchi Nicia, & Alcibiade, itemque Ariſtide. Hoc haud animaduertens Baptiſta Pius in Annotationibus poſterioribus cap. XCI. Oſtraciſmo peſſimumquemque falſo ait eiectum. At videns id populus, illuſumque tali iudicio ſibi, & Oſtraciſmi ſummæ rationi, legem ſuam de hoc abrogauit: quod præter memoratum Plutarchum Thucydides etiam meminit lib. VIII.

*t In Nicia.*

XII. Feruntur & aliæ ciuitates vſæ Oſtraciſmo. Argiuos ſanè Ariſtoteles *u*; Mileſios quoque, & Megarenſes nominat Ariſtophanis Scholiaſtes *x*. Non ergo Athenienſes tantùm (quod aiebat Andocides ſuperiùs laudatus) ſi non & aliud, & aliud tempus diuerſa tulerint. Nec diſplicuiſſe hunc morem Epheſiis Hermodori exemplum oſtendit; de quo Heracliti Phyſici dictum his verbis, quinto libro Tuſculanarum refert M. Tullius: *Epheſios omnes eſſe morte mulctandos, quòd cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita loquuti ſunt: Nemo de nobis vnus excellat; ſed ſi quis extiterit, alio in loco, apudque alios ſit.* Quod ſimillimè narrat Strabo XIV. libro Geographiæ. Rei politicæ minùs ſciens Heraclytus ſeriò damnabat, quod Ariſtoteles ipſe, & Cicero hoc loco, ſiue conſeruandæ reipublicæ ſtudio, ſiue aliarum gentium moribus excuſant. Hic eſt Hermodorus auctor Romanos ferendarum ex Græcia legum, quem Pomponius laudat hoc nomine in lib. II. De Origine Iuris, Pliniuſque lib. XXXIV. cap. V. Imò & Romanis idem concilium tempore reipublicæ fuiſſe,

*u Lib. 5. Polit. 3.* *x In equiti-*

ne ciuium aliquis cæteros longè anteiret potentia, id quod in Scipione placuit populo eius vrbis, imputatque ei Lucius noſter Seneca, oſtendit. Qui Scipioni hæc tribuit Romam alloquenti, ep. LXXXVI. *Ex eo ſi pluſquam tibi expedit, creui.* & proſequitur ſuo nomine. *Quidni ergo admirer hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium receſſit, & ciuitatem exonerauit. Eo perducta res erat, vt aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret iniuriam. Neutrum fas erat. itaque dedit locum legibus, & ſe Liternum recepit; tam ſuum exilium Reipub. imputaturus quam Hannibalis.* Hæc Seneca.

XIV. Notior eſt his Syracuſanorum πεταλισμὸς, hoc eſt, Oſtraciſmus *διαφύλλον. per folium.* vti Heſichius interpretatur: idem quod ἐκφυλλοφόρησις *per folia exactio* (apud Tzetzem Hiſtoria CCCCLXXXIX) ἐν τόποις οἷς οὐχὶ παρῆν ἐφεύρεσις ὀστράκων, *in locis vbi non erat inuentio teſtarum*: quæ nota etiam & in vſu Athenis in Senatus iudiciis: de quo Pollux videndus lib. VIII. cap. V. & Harpocration in ἐκφυλλοφορῆσαι. Saltem Petaliſmus ab eo nomen habuit, quòd πετάλῳ ἐλαίας *folio oleagino* (vt monet Diodorus) non laminis (vti Henricus Stephanus perperam exiſtimauit, merito reprehenſus à Gerardo Voſſio in Grammaticis y) damnandus ſcriberetur, vt per quinquennium exularet is, cuius in foliis ſæpiſſimè nomen legeretur. Rem narrat Diodorus lib. XI. Fuit cum exiſtimarem foliorum in iudiciis munus Claudianum Poëtam expreſſiſſe in Gildonico bello, quem codex quidam meus ſic repræſentat.

> *Si mæſtis ſquallore comis, lachrimiſque Senatum*
> *In Numidas pulſus folio commouit Adherbal.*

y Lib. I. de Arte Gramm. c. 15.

Sed doctiſſimus Barthius ſine controuerſia excudi curauit, præferuntque editiones aliæ omnes; *pulſus ſolio.* Nos ſine ope manuſcriptorum interim nec verbum obloquemur vulgari, probæque lectioni.

XV. Vt finiam, vtiliſne, ac proponenda imitationi huius temporis pœna hæc Græcorum ſit, Italico diſputat ſermone Paulus Paruta Venetus diſcurſu XV. latineque Paulus Buſius Diſputatione Politica XIV. Theſi XXVI. & XXVIII. Chriſtophorus Beſoldus in Diſcurſu de Democratia generatim cap. II. nu. III. Eſſeque huius pœnæ quoddam ſimulachrum vel nunc in Valleſia refert Ioſias Simlerus in Tract. de Valleſia. Munſterus in Coſmographia lib. III. cap. XXXIII.

XVII. Oſtraciſmum Politicum hucuſque tractauimus ſcilicet qui non criminis alicuius pœna eſſet. Nec tamen ea huius perpetua fuit conditio: quippe delicti etiam punitio fuit, decennale hoc, perque teſtam, ſeu populi ſuffragia, exilium. Andocidis teſtimonio in paucis libenter vtor, qui rerum ſui temporis idoneior aliis auctor eſt. Is oratione IIII. Cimonem ait Oſtraciſmo eiectum propter legum tranſgreſſiones, quòd cum ſorore propria conſueſceret: variaque ipſe crimina ibidem obiicit Alcibiadi contendens debere eum Oſtraciſmo expelli. Quare non omnino temerè Chriſtophorus Beſoldus proximè adductus Oſtraciſmum raro puniſſe ait veram virtutem, & ſolidam, ſimplicemque; ſed laruam & ſimulachrum virtutis, virtutem ſcilicet impotentem, & à qua timeri poſſet rerum conuerſio aliqua, & mutatio ſtatus: quare non planè impugnandus, aut opprobandus hic mos veteribus.

CAPVT

# CAPVT QVINTVM.

## De origine deportationis: & quòd ciuitatis ius damnatis aufferret.

I. *Deportatio perpetua ſemper: vtpote eadem met pœna cum interdictione aquæ & ignis.*

II. *Octauianus Aug. inuexit primus deportationem.*

III. *Contra quod Hadriano Turnebo placuit.*

IV. *Dionis Caſſij locus inſignis de huius initio.*

V. *Sub antiquo tamen interdictionis nomine.*

VI. *Et I C. Et non raro vtraque ſimul appellatione vtuntur, vt rem magis explicent.*

VII. *Fortè & aliquod manſit interdictionis veſtigium.*

VIII. *Quinam dicantur interdicti in Tit. Digeſt. De Interdictis, relegatis, & deportatis.*

IX. *Interdictio, ac deportatio, de ciuitate caput adimit.*

X. *Deportati, ἀπόλιδες, ſeu exciues, & quaſi alij.*

XI. *Eandem impoſuit damnatis conditionem φυγὴ Græcorum.*

XII. *Solonis lege in ciues Athenarum recepti aliarum vrbium exules.*

XIII. *Quemadmodum, & interdicti Romana vrbe, in alias ciuitates.*

XIV. *Adeò vt togam exuerent.*

XV. *Exlex, Vtlagus, Gothicæ Latinitatis.*

DEportatio non vti Relegatio, per vices perpetua vel temporalis erat: I.
ſed cum prioris ſtatus mutatio, & ciuitatis ademptio reputaretur, non potuit non perpetuum intellectum habere. Deinde in locum ſucceſſit aquæ & igni interdictionis antiquæ, vt mirum non ſit eandem vtriuſque naturam eſſe quantum ad peregrinitatem perpetui temporis. Quâ autem lege, aut ætate vrbs receperit interdictionis loco nouum nomen, & pœnam deportationis, diu eſt quod quæritur. Et niſi vnicus Dionis Caſſij locus diſpuliſſet has tenebras, Auguſtum laudans auctorem, promiſcua interdictionis pro deportatione ipſa appellatio etiam inferiori ſæculo vſurpata eluderet etiam nunc noſtros conatus expiſcandi huius originem. Et tamen natum hoc nomen deportationis in Inſulam ex eo alioqui credit Hadrianus Turnebus lib. xx. Aduerſ. cap. xvi. quòd Senatus olim cenſuerit eos milites qui ex Cannenſi prælio fugerant, ex Italia in Siciliam deportandos; nec anteà reportandos inde in Italiam quàm Pœnus Italia depulſus eſſet. Adiri poteſt de re ipſa Liuius lib. xxiii. qui poſteà lib. xxv. pulcherrima cuiuſdam militis ex his, qui tam ignominioſè dimiſſi fuerant in exilium, oratione cæterorum nomine habita ad M. Marcellum Conſulem, huius pœnæ conditionem deportationis nomine; vti & relegationis, & exilij determinat. Vt vix appareat ſolida ratio Turnebi coniecturæ, cum nec deportandi verbum, quod coæuum vrbi ſpero fuiſſe: (Græcorum ἀποβαστάζειν quod in Gloſſis eſt: *Deportat*, ἀποβαστάζει) nec inſula deſignata exilio vltra valeant, quam quòd placuit Senatui deſidem exercitum in relegatione extra Italiam proximæ Inſulæ

(Right margin, beside the lines above: II. beside "portationis, diu eſt quod quæritur…"; III. beside "etiam nunc noſtros conatus…"; IV. beside "deportationis nomine; vti & relegationis…")

ſulæ detineri. Nec exemplis, ſed lege lata opus fuit, vt receptiſſima interdictio ſub illa veteri aquæ & ignis prohibitione irrogata in aliud nomen &
IV. pœnam mutaret, Dionis Caſſij locum qui deportationis naturam examuſſim repræſentat, vt in prolixo Græcis nunc abſtineam, fidem ſequutus interpretis, iam ſubiicio. *Quippe quod multi* (ait) *extra loca, in qua expoſiti fuerant, verſabantur,* (eos accipio qui vrbibus, Prouinciiſue non excedere iuberentur, quibus interdictio facta eſſet omnium locorum præter certum aliquem, ſiue exules in mediterraneo, aut continenti loco) *alij in iis ipſis delicatiùs viuebant, edixit Auguſtus ne quis eorum quibus aqua & igni interdictum eſſet, in continenti aut in Inſula vlla, niſi quæ quinquaginta millia paſſuum à continente diſtaret, excepta Co, Rhodo, Sardinia & Lesbo* (*quas mihi non liquet cur eximias habuerit*) *degeret, neue quo aliquo traiiceret.* Hæc ille. Quem locum primus ad rem, credo, indicauit Cuiacius lib. VI. obſeruat. cap. XXXIX. Cos vtique, Rhodus, & Lesbos haud procul continenti ſunt: ſed Sardinia CCC. non minus paſſuum millibus diſtat ab Africa. Quæ ergo mens Auguſti? In has quatuor Inſulas, vt non irent deportati, an vt irent? Si hoc poſterius; ad quid Sardinia excipitur, quæ extra illam diſtantiam edicto comprehenſam poſita eſt? ſi autem exilia in his non eſſe; importuna exceptio eſt Coi, Rhodi, Lesbi, quæ cum prope continentem ſint, regula ipſa edicti veniunt comprehenſa, deportatiſque interdicta. Mendum fortè latet in Sardiniæ mentione: quærendaque alia huic choro inſula intra quinquageſimum milliare poſita, vt Auguſtus quatuor has, etiam ſi continenti proximas, deportandis permiſerit. Huius tamen exceptionis cauſam, nec Dio ſciuit, nec nos quærere aliquod operæ prætium eſt.

V. Loco iam Octauiani Sanctione interdictis definito, ſenſim introductum ſuſpicor, accommodatumque deportationis nomen huic inſulari exilio; cum neceſſe eſſet deportari iam cura, & ſumptu publico, huius temporis interdictos. Neque tamen obliterata eſt ab eo tempore antiqua interdictionis irrogandæ formula. Quare Tacitus in referendis Iudicum, Senatuſue de reis ſententiis ferè ſemper, aquæ & ignis interdictionis appellatione vtitur: & Plinius in epiſtola XI. libri IV. *Carent* (ait) *togæ iure, quibus aqua & igni interdictum eſt.* In que libris noſtri Iuris ſæpiſſimè loco deportationis ſumitur interdictio iſta: l. fin. Ad leg. Corn. de Falſis, l. XVIII. De ſtatu hominum l. II. De publicis Iudiciis l. v. De Capite minutis, l. x. in fine D. Ad legem Iuliam de vi publica. Sed quid attinet plura colligere ex prudentibus, quorum fragmenta in libris Digeſtorum ſunt? Alexandri etiam Imperatoris Conſtitutio, & quæ multo deinde tempore emiſſa eſt, Conſtantini altera, interdictionem aquæ, & ignis adhuc nominant. Eæ ſunt l. XXII. I. C. De donationibus inter vir & vxorem l. I C. De Repudiis. Quare non eſt cur Franciſcum Broërium Imperialium Inſtitutionum enarratorem, eruditum alioqui, audiamus exiſtimantem, propter conceſſum ius ciuitatis omnibus, qui in orbe Romano degerent, ab Antonino Imperatore deportationis vſum, nomenque maximè obtinuiſſe, vt quidem inſulis manciparentur aſperioribus, eoque publicis impenſis curaque deportarentur, quos pelli ab omnibus ciuitatibus Iure donatis iam Romanæ vrbis æquum, & ciuile erat. Planè vſus deportationis ab Auguſto ipſo obtinuit, licet promiſcuo deportationis, & interdictionis nomine vtantur ſcriptores.

VI. Videbuntur imò alterum, & alterum pœnæ genus eſſe deportatio, & interdictio, propter hæc Iuriſconſultorum teſtimonia, quæ vtrumque coniungere ſolent, nec ſine nota diſtinctionis. Vlpianus, *Hi quibus aqua & igni interdictum eſt, item deportati,* ait in l. I. §. II. De legatis tertio: Africanus. *In exilium ierit, vel aqua & igni ei interdictum ſit;* in l. XXXVIII. De ſolutionibus:

Alexander Imperator, *Matrimonium deportatione vel aqua & igni interdictione non ſoluitur*; d. l. I. C. De Repudiis: Demum Conſtantinus in d. l. XXIIII. & Iuſtinianus in §. Minor Inſtit. De capite minut. *Ei cui aqua & igni interdictum fuerit, vel ei qui in inſulam deportatus eſt.* Hæc vtique ſubdubitare me alias facerent, ſi non expreſſum eſſet ſucceſſiſſe deportationem in locum aquæ & ignis interdictionis, in l. II. D. De Pœnis, l. III. D. Ad legem Iuliam peculatus, Nouella Iuſtiniani Conſtitutione XXII. cap. XIII. Qui diſtingunt, potiùs nominum diuerſitatem quàm rei ſequuntur; omneſque eo deducendi ſunt, vt nomen vtrumque vetus, & nouum pœnæ conſignare ſcriptis ſuis curauerint, idemque exilium ſui temporis alia & alia appellatione demonſtrare. Planè verba illa l. I. Vlpiani commodius ita legi cenſent docti homines: *Quibus & aqua & igne interdictum eſt, id eſt deportati.* At ego nil teme- VII.
rè muto. Et fortaſſe aliquis non temerè ſuſpicetur interdictionis pœnam propter Auguſti edictum non omnino transformatam in deportationem: cum verè exilium perpetuum interdictæ vrbis, & Iuris Romani, etiam ſub Tiberio apud Maſſilienſes, non in aliqua Inſula legamus tranſactum. Hiſtoriam refert Cornelius Tacitus in IV. Annal. *Tunc tractatæ Maſſilienſium preces; probatumque Publij Rutilij exemplum; namque eum legibus pulſum ciuem ſibi Smyrnæi addiderant; quo iure Vulcatius Moſchus exul in Maſſilienſes receptus bona ſua reipublicæ eorum, vt patriæ reliquerat.* Si non ante Auguſti edictum Vulcatius iuit in exilium Maſſiliæ, Tiberiique ætate mortuus bona ſua ciuibus reliquit eius vrbis, quæ fuit precum occaſio.

Sed quibus moueri ſolet omnis lapis, veſtigium deprehendent ſibi hu- VIII.
ius differentiæ inter deportationem & interdictionem in Titulo ipſo, quem Iuſtinianus affixit huic parti digeſtorum: namque talis eſt: *De Interdictis, & relegatis, & deportatis*: nec videbunt quinam ſint *interdicti* diuerſi à *Relegatis*, niſi *veteres aqua & igni interdicti*. Lemma hoc explicare horum cauſa oportet. Duplex ſummâ diuiſione exilium conſtituo; alterum, quo locus aliquis interdicitur, reliqui conceduntur: alterum, quo vno conceſſo, cæteri interdicuntur. Prius illud pro priore appellatione audiebat interdictio. Sunt enim re aliqua, ſiue honore, aut munere prohibiti, quos omnes primum hoc nomen inſcriptionis comprehendit. Poſteriora duo poſterius exilium quo vno adſignato loco prohibentur cæteri, poſita ſunt ſignificare: & hoc cum bifariam ſubdiuidatur, altero, & altero nomine vtramque partem explicat titulus. Relegati hîc ſunt, qui vrbe, Prouinciaue diffiniuntur; deinde hi, qui mittuntur in relegationem Inſulæ: Deportati, qui ſæuiori pœnæ deputati mittuntur in Inſulam, peregrini facti ex ciuibus.

Hinc ergo nata (quia interdictio ignis, & aquæ in deportationem muta- IX.
tur) præcipua, & vnde aliæ omnes fermè profluunt, huius à relegatione differentia. Deportatio ciuitatem adimit, & caput de ciuitate: relegato ciuitas manet. Deportationis hæc natura redigendi Romanum ciuem in peregrinum toto Iure traditur: ſed maximè in l. ſunt quidam XVII. §. I. De Pœnis l. IV. in principio. De Interdictis &c. *Inter pœnas* (ait Vlpianus) *eſt etiam Inſulæ deportatio, quæ pœna adimit ciuitatem Romanam.* Et Iuſtinianus in §. Minor Inſtit. De capite minutis. Hoc ſenſu dicitur *capite minui* deportatus his ipſis, & quampluribus aliis locis. Fortè etiam *minui* abſolutè, ſi in vetere quodam Gloſſario recta eſt lectio iſto. *Deportare* Ἀποτειχίσαι, μειῶσαι, pro μιῶσαι, quod excuſſum eſt, & ita corrigendum monet Deſiderius Heraldus lib. I. Aduerſar. cap. IIII. mediâ ſcilicet capitis diminutione, qua vrbs de-
perditur. Proinde ἀπόλιδες græco verbo, quaſi ſine vrbe, aut (ſi licet ita lo- X.
qui) *inurbes*, ſeu *ex ciues*, audiebant deportati. Teſtantur id Marcianus in l. XVII. §. I. nuper laudata, Vlpianuſque in l. I. §. II. De legatis tertio. Similiter



eſt

eſt in veteri Onomaſtico Latino-græco: *Extorris*, Ἄπολις. Genethlij Sophi-
ſtæ inter alias declamationem Suidas laudat, cui titulus fuit, Ἄπολος ἑαυτὸν
ἀποκηρύττων μετὰ τὴν Θηβῶν κατασκαφήν; quæ licet interpretari, *Exulſe poſt The-
barum euerſionem vendens*. Pertinet Pollucis locus, qui inter Grammaticos
cæteris Græcis palmam arripuit, lib. III. cap. IV. τούτοις δ' ἂν προσήκει καὶ ὁ ἄπο-
λις. Πλάτων δὲ πόλιν ἄπολιν τὴν μηκέτ' οὖσαν πόλιν. παμπόνηροι δὲ οἱ Θεοπόμπου τοῦ
συγγραφέως ἀπολῖται, καὶ ἀφέταιροι, καὶ ἀπαθλιωμένοι. Hoc eſt. *Huc etiam pertinet
Apolis. Plato vrbem non vrbem dixit, quæ amplius non eſt. Peſſimi autem ſunt Theo-
pompi ſcriptoris* ἀπολῖται, *exules, excommunicati, ab Athenienſibus deſciſcentes*.
Ἀπόπολιδες etiam Suidæ dicuntur. Ἀπόπολις, ἔρημος ἄπολις: quomodo in So-
phocle hoc verbum explicat Scholiaſtes. Diuo Baſilio ἀνέστιος & ἄπολις, *do-
mo* ſcilicet & *ciuitate profugus* coniunguntur in quadam Homilia: ſicut & Iu-
lianus Imperator in epiſtola, ſiue oratione ad Themiſtium, ἄπολιν, ἄοικον,
πατρίδος ἐστερημένον, laudato Diogenis verſu, de quodam homine ſimul dixit.
Idem exlex quia ad leges non pertinet, nec his vtitur. Lucilius Satyrar. II.
apud Nonium in *illex*. *Non dico, vincat licet, & vagus exulet erret exlex*. No-
tat verò ex Lexicographis Spiegelius, & ante eum non vno loco Cælius
Rhodiginus, ἀπόλιδας dici ſeruos viles à Iuriſconſultis: quod vnde ſciunt
ipſi, nos neſcimus, ſed nec probamus ipſorum dumtaxat fide. Hi rurſus ἀπό-
λιδες, ſeu extorres eleganti fictione iuris *quaſi alij*, hoc eſt iam non hi, qui
fuerant anteà, dicuntur, videntur. Vlpianus in l. XVII. § V. D. Ad S.C. Tre-
bellianum: cuius fideicommiſſum fuerat, vt ſi ſine liberis deceſſiſſet, hæ-
reditatem reſtitueret, huic eos reſpondit non prodeſſe, quos in deporta-
tione genuiſſet, *quaſi ab alio ſuſceptos*. In deportatione item ſuſceptus filius,
quia exter eſt, non videtur Maieſtatis reus, ſi quid molitus fuerit aduerſus
Principem à cuius dominio pater exulabat, cum eum procreauit.

XI. Similis fuit Græcorum φυγή: ſi non & temporarium, cuiuſque, exilium
aliquod erat Athænis. Demoſthenes legem explicans de homicidis in Ari-
*Vide ſis Clarum l. 5. ſentent. §. leſæ Maieſtatis n. 6.*
ſtocratea τὸν φυγάδα τὸ τῆς πόλεως οὐ προσεῖπεν ὄνομα ἧς οὐκ ἔστι μετουσία αὐτῷ: *exuli no-
men non dedit ab vrbe, cuius expers eſt*, inquit. Vulgari appellatione pœna hæc
apud Græcos, ea propter audit εἴργεσθαι τῶν νομίμων: quæ Alphonſus Minia-
tus Bononienſis in Antiphontis oratione XVI. ſic vertit ex ſimilitudine po-
tiùs, quàm ex vero *aqua & igni interdicere* cum proprior ſit interpretatio *à le-
gitimis arcere*: quomodo alicubi & ipſe interpretatus eſt. Monumentiſque
etiam perennaturis antiquum veteris patriæ nomen exules ſubducebant.
Quare ergo Thales quidam in Olympiis victor, Himeræi, ab Himera vrbe,
inquam receptus, non Cretenſis, vnde pulſus fuerat, nomine in ſtatua di-
XII. gnoſci voluit: quod in Eliacis poſterioribus refert Pauſanias. Legem ſan-
xit Athenis Solon, quæ de exulibus recipiendis erat; ſcilicet de ciuitate A-
thenienſi his concedenda, quibus ſua cuiuſque patria erepta fuiſſet, exula-
tumque Athenas veniſſent: at non omnibus, nec aliis, quàm τοῖς φεύγουσιν
ἀειφυγίᾳ, *qui in perpetuum iacet exilium fuiſſent*: fides tantùm futuros hos exi-
ſtimans, qui coacti, & ſine ſpe reditus vrbes ſuas reliquiſſent: quod eſt in
Plutarchi Solone. At Cliſtenes hanc abrogauit legem pulſis tyrannis, com-
municata quibuſcumque aduenis ciuitate; Ariſtotele auctore libro III. Po-
liticorum.

XIII. Igitur exules, quia ſine ciuitate erant, frequenter in eas recipiebantur,
vbi domicilium fixiſſent: quod de Romano exilio ante deportationem ſcri-
bit Cicero ad Sulpicium lib. III. Famil. epiſt. XIX. *In his adoleſcentem filium
eius* (Lyſonis, cuius familiam commendat Sulpitio) *quem C. Memmius Gem-
mellus cliens meus, cum in calamitate exilij ſui Patrenſis ciuis factus eſſet, Patren-
ſium legibus adoptauit*. Leges enim Romanæ fruſtra obſeruarentur ab eo. qui

ciuis

ciuis non erat Romanus. *Ad exules, ad ſeruos, ad peregrinos, nullam legem pertinere* ait Declamator ille Latinus, ſeu quiuis alius, quàm Quintilianus Inſtitutionum Oratoriarum auctor. Adeoque, ſiue interdictis, ſiue deportatis XIV.
Iura vrbis peribant, vt nec habitu his permitteretur ciuem induere aut præ ſe ferre. *Carent* (ait Plinius lib. IV. epiſtolarum) *togæ vſu, quibus aqua & igne interdictum eſt.* Proprium enim fuit Romanorum veſtimentum ac geſtamen toga; ita vt de Romano homine loquutus videretur qui togatum diceret. Apud Ciceronem *Togati*; & *Siculi* opponuntur: & *gens togata* Romani ſunt in illo verſu, quem, cum videret plebem pro concione palliatam, vſurpauit olim Auguſtus, extatque in Suetonio. Beneficiumque erat Senatus, ſi cui peregrino vſus togæ concederetur; quod factum in obſidibus, qui Romæ erant ſcribit Marcianus I. C. in l. XXXII. D. De Iure fiſci. Exlex non inelegans verbum eſt, de his, ad quos leges non pertinerent. Vt iam monuimus ex Lucilio: quod Septemtrionales populi nota ſua cuderunt. *Vtlagus* nempe ab *Vt*, ſiue *uyt*, quod *ex* & Saxonico *laga*, lex, ad verbum ſignificat exlegem, hoc eſt proſcriptum: & *Vt lagare*, exulare. Plura ex Mathæo Pariſienſi teſtimonia huius verbi præſto ſunt in Gerardi Ioannis Voſſij de Vitiis latini ſermonis lib. II. cap. XIX. Quali eruditione, quali modeſtia viri! & tamen periit ante paucos annos extra caſtra eccleſiæ, humanus omnibus, ſibi ſæuus.

## CAPVT SEXTVM.

### De Iure teſtamenti Deportatorum.

I. *Deportati mortuorum loco.*
II. *Et reſtituti pro denuo natis.*
III. *Imo & relegati pœnæ ſuæ mortem imputabant.*
IV. *Quamuis relegatio reuera pœna fuit leuiſſima.*
V. *Atque vna deportatio Inſulæ morti proxima pœna.*
VI. *Deportati amittebant ciuilia Iura, non gentium.*
VII. *Nempè Ius teſtandi Romanis legibus.*
VIII. *Non alterius loci, in quem reciperentur.*
IX. *Aut Iure gentium, quod iis non aufertur.*
X. *Dilemma Vlpiani in fragmentis expenditur.*
XI. *De hereditate Latinorum, & Deditiorum.*
XII. *Et agnoſcunt hoc teſtamentum iuris gentium Romanæ leges.*
XIII. *Si quidem teſtamentum à iure gentium deſcendit.*
XIV. *His, quibus relicta eſt pars bonorum in deportationis ſententia, permiſſum ius videtur legibus Romanis teſtandi.*
XV. *Exheredatio, & ſui heredes in deportatis.*
XVI. *Qui Iure Statutorum alicuius vrbis non teſtatur, Iure tamen ciuili teſtatur.*
XVII. *Etiam irritabatur teſtamentum, quod ante damnationem deportatus fecerat.*
XVIII. *Tiberius interdixit deportatis ius teſtandi.*
XIX. *Capere ex teſtamento eis quoque prohibitum.*
XX. *Præter alimenta, & ſi quid relictum iis eſſet à milite: Hodie etiam à Clerico.*

AT quomodo in ciuibus cenſerentur, qui nedum videbantur in viuis I.
eſſe? Planè hic erat intellectus Iuris Romani, vt tanquam mortuos haberet-

haberet exules, qui deportarentur. Rem docuit Vlpianus proprio verbo
mortis. *Intereunt homines* (inquit) *aut maxima, aut media capitis diminutione,*
*aut morte.* l. LXIII. §. vltimo. D. Pro ſocio. Media capitis diminutio fit de-
portatione, ſicuti maxima ſeruitute; quod notum eſt. Plautini Captiui
a Act. 3. Sc. 4. *a* huc pertinent

*Capti aut exules patria perierunt.*

Deportatoſque mortuorum loco habendos tritum Iuris axioma eſt, ex lib. I.
§. penultimo. D. De bonos poſeſſ. contra tabulas. l. IV. §. 2. De bonis liber-
torum. Et coniungitur mortuus, comparaturque ei, qui ciuitatem amiſit.
l. V. D. Qui ſatis dare cogantur, lib. I. §. IV. D. Quando de peculio actio an-
nalis ſit. Idem planè exiſtimandum eſt de antiqua interdictione, & Græco-
rum exilio: Quare Demoſthenes dedi iuſſus Philippo apud Libanium de-
clamatione XVI. τέθνηκα (ait) τῷ ψηφίσματι· ἀφῄρηκα τὴν πολιτικὴν ψυχήν. *Decre-*
II. *to mortuus ſum: amiſi ciuilem animam*: Propterea Tullius lege Clodia olim ex-
ul, iam reſtitutus natalem redditus ſui commendat Attico lib. III. epiſtola
XX. quaſi eo die natus, ſaltem renatus eſſet, quo ab exilio rediiſſet. Home-
rum vtique Plato, ex ea vrbe, quam ſibi ipſe fingit, delibutum vnguentis,
b Lib. 4. de Republica apud Nonium in fingere. coronisque redimitum expellit: quod idem Tullius refert *b*, & ex parte et-
iam Octauius Minutij Fælicis: qui totus cum ſit apparatus funeris, ſcitè
monet Andreas Scotus in Nobis Ciceronianis *c*, ſub ſpecie hominis demor-
tui Poëtam efferri in exilium. Idque exemplo confirmat Segeſtanæ Dianæ
c Lib. 3. cap. II. cuiuſdam exportatione ab oppido, ex Verrina V. Memoraturque dictum
illud Themiſtoclis de exilio ſuo; in quo locupletior quàm olim Athenis, à
Rege Perſarum fuerat factus. Ὦ παῖδες ἀπωλόμεθα ἂν εἰ μὴ ἀπωλόμεθα: *periera-*
*mus* (ait) *niſi periiſſemus*: quod Plutarchus refert in Ἀποφθεγμ. & in περὶ τῆς Ἀλε-
ξάνδρου τύχης, *De fortuna Alexandri*, oratione I. Ariſtideſque in παλινῳδίᾳ. *De*
*Smyrna inſtaurata.*

III. Sic eius Romanum perpetuò tulit: & conſentiebat ſenſus, iudicium-
que damnatorum de exilio ſuo. Imò quia vrbis abſentia, ignominioſæque
peregrinationis incommoda maximè vrebant profugos; relegatis etiam ſua
calamitas, quòd nempè ciuibus in ciuitate ſua eſſe non liceret mortis loco,
& nomine compellata, & habita. Voces hæ ſunt Senecæ in Corſica rele-
gati ex epigrammate, quod magni viri nomine, vno cùm aliis Pœnatiis cir-
cum fertur,

*Parce relegatis, hoc eſt, iam parce ſepultis.*

Et vt conſoletur matrem, *è rogo ipſo ſeſe caput attollere* ait in libello huic rei
conſicto. Similiter Ouidius lib. III. Triſtium elegia III. relegatus & ipſe
tantum.

*tunc me periiſſe putato:*
*Et prior, & grauior mors fuit illa mihi.*

acuteque lib. I. elegia III.

*Vos animam ſæuæ feſſam ſubducite morti:*
*Si modo qui periit, non periiſſe poteſt.*

Huc reſpexit animo plena Taciti deſcriptio Iudaicæ obſtinationis, lib. V.
Hiſtoriarum. *Obſtinatio viris fæminiſque par: ac ſi transferre ſedes cogerentur,*
*maior vitæ metus, quàm mortis.* Plane an hic ſenſus ſit verborum Poëti Thra-
d Lib. I. enarrat. Epicteti cap. I. ſeæ apud Arrianum *d*, ignoro: at ſic videtur. Dicebat is malle ſe σήμερον
ἀναιρεθῆναι, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι, *hodie interfici, quàm cras pelli in exilium.* At-
tamen hoc iam refero ad maius malum deportationis: ſi quidem ex vero ait
IV. Plinius de relegatione, propriorem eſſe abſolutionis quàm mortis iudicio.
*Quid enim* (ait ad Ariſtonem lib. VIII. epiſtolarum) *commune habet occidere, &*
*relegare? non hercule magis quàm relegare, & abſoluere: quanquam proprior ali-*
*quanto*

*quanto eſt ſententiæ relegationis, quæ abſoluerit, quàm quæ occiderit: vtraque enim ex illis vitam relinquit, hæc adimit.* Certè ſi de aliqua iſtarum pœnarum mi- V.
ſeris damnatis credendum eſt, hæc erit vna deportatio Inſulæ, eo ſenſu quem habuit Thraſeæ nuper laudati ſententia de Antiſtio quodam Maieſtatis reo dicta in Senatu: *In inſula cum publicatis bonis, quo longiùs ſontem vitam traxiſſet, eo priuatim miſeriorem, & publicæ clementiæ maximum exemplum futurum*: quæ verba ſunt Taciti lib. XIV. Annalium. Eadem fuit exiſtimatio Philonis Hebræi de ſtatu exulum. *Teſtes ſunt legiſlatores* (ait in libello de Abrahamo) *qui ſecundam ab extrema capitali pœna atrociſſimorum criminum conuictis ſtatuerunt exilium: profectò non ſecundam, quantum equidem verè iudicare poſſum, ſed aliquanto grauiorem:* εἰ γὰρ πέρας μὲν κακοπραγιῶν ὁ θάνατος, ἀρχὴ δ᾽ οὐ πέρας ἡ φυγὴ καινοτέρων συμφορῶν; *ſi quidem calamitatum finis eſt mors: principium autem, non finis, exilium eſt nouorum malorum, dum euitata morte vnà ſenſu carente, innumeræ mortes ſentiuntur.* Dictum ſatiè putes de exilio elegans hoc à Claudiano lib. I. In Rufinum.

*Pro ſæuior enſe*
*Parcendi rabies, conceſſaque vita dolori!*

Cui quidem par eſt illud Ammiani Marcellini è libro XXVIII. exiſtimantis, *nullam eſſe crudeliorem ſententiam eâ, quæ eſt, dum parcere videtur, aſperior.* & apud Tertullianum lib. de anima in idem valet, *curata mora finis ad plenitudinem pœnæ.*

Sed videamus iam effectus totamque conditionem huius peregrinitatis, VI.
quæ pro morte eſt. Planè vrbis, & legum commercio eximebat hominem deportatio: quidquid enim Iuris tanquam ciui alioqui deferendum eſſet, id omne deportatum, tanquam in viuis eſſe deſiiſſet, præteribat, tranſgrediebaturque. Hæc ſunt ciuilia omnia, & ſpecialia Iuris Romani. At ea dumtaxat deportato manebant, quæ facti, (vt vocant) quæque Iuris omnium gentium eſſent. Hucuſque regula eſt inconcuſſæ fidei: ſed immutanda eſt, ſingulis his quæ abſumpſimus, ſua lux, & nitor ab exemplis. Quæ Iuris Romani, hoc eſt Romanorum tantum ciuium eſſent, amittere deportatos, expreſſum eſt à Marciano in lib. XVII. §. I. De Pœnis, & lib. XV. De Interdictis. Nempè ea, quæ Latinis Colonariis (hi ſunt ciues, qui in Latinas colonias deducebantur, quorum æquè ac deportatorum, media capitis fuit minutio) Boëthius denegat: *neque connubij, neque teſtamenti, neque mancipij, aut nexus, aut patriæ poteſtatis ius, quod erat proprium Romanorum ciuium*, habuiſſe. Similia ſunt quæ omiſit, ius patronatus in libertos, tutelæ, & alia munera, honoreſque, qui à ciuibus gerebantur: de quibus ciuium propriis Iuribus agit præter alios Briſonius lib. I. Selectarum cap. XIII. VII.

De teſtamento, quod tam magna pars iuris, & præcipuæ curæ ipſius erat, in primis quærendum. Ecce deportatus, nec teſtamentum facere, nec ex eo quid capere poterat. In teſtamento deportati regulam audis Caij: *nec illud teſtamentum eius valere, quod ante fecit, nec id quod poſt pœnam fecit* lib. VIII. §. I. Qui teſtam. facere poſſunt, vbi Doctores c. Hæc tamen duo alio, & alio contingunt modo. His, qui in reatu deportationis eſſent ea propter teſtamentum condere maximè non licuit; quia teſtamenti factio ſub his legibus quæ vulgò obſeruantur, publici, & ſpecialis iuris fuit ciuitatis Romanæ, non priuatorum, ſeu naturalis aut gentium omnium: qui ſenſus eſt Papiniani in l. III. D. Qui teſtam. facere poſſunt: Ideo *ſecundum exulum tabulas* poſſeſſionem non dari, quemadmodum, *ſecundum ſeruorum, aut puerulorum non datur*, ait in Topicis M. Cicero. Sed quoniam iure ciuitatis non licebat, permiſſum nonne fuerit illius iure, in quam reciperetur, gentis teſtari? Permiſſum prorſus; ſi vllius vrbis ciuis deportatus eſt. Quod quidem accidebat olim

c *Bartolus & antiqui hoc loco: & alij quos adducit Clarus l. 3. q. 22. §. teſtamentum ibique additiones, qui idem de hodiernis bannitis cēſent. Vide Gilqueniū in l. 1. C. De hered. inſt. Peraltā in Rubrica eodētit. n. 152.*

N interdictis VIII.

interdictis igne, atque aqua; vt Memmij Gemelli eo exemplo, quod ex Ciceronis quadam epiſtola jam altero capite produximus, atque aliis pluribus liquet. Vnde notum eſt hodiernis iuris Magiſtris *f*, vnius vrbis aut gentis exulem poſſe alius quo fugit, legibus teſtari: & in Vlpiani Tit. xx. §. xiv. apertè opponuntur *teſtari quaſi ciuem Romanum, & quaſi peregrinum, certaque alicuius præter Romam ciuitatis.* Ante Auguſti edictum, deportationiſque inuentum damnati neceſſariis rebus prohibebantur, vt quouis gentium vellent, eo fugerent. Iis dictum puta. Nonni Panopolitæ iſtud Dionyſiac. lib. XLV.

*f Bart. Gofred. Imola in d. l. 8. Bartolus inq. Lucana ciuitatis Alex. lib. 1. conſ. 13. n. 10. Menochius conſ. 492. nu. 3. Farinacius in Praxi Tit. De variis & diuerſ. qq. q. 102. inſpect. 1. n. 11. 83. 95. Turcus lit. B. concluſ. 12. Thadæus Piſo lib. 1. Var. cap. 4. n. 5.*

Ἔξεῤῥε γαίης τῆσδ' ὅσον τάχος φυγάς

*Diſcede ex hac terra quam celerrimè exul.*

Nec vetabantur iure aliquo fœderis, à ſociis populi Romani etiam in ciues eorum recipi: quod ex Polybio alibi notamus. Deportatos autem in aliquam inſulæ ciuitatem, aut populum, cui deſtinati fuiſſent adſcribi conſueuiſſe, planè mihi non lectum: niſi Antonini reſcriptum tale quid ſignificare videatur his verbis l. 1. C. De hered. inſtit. *Sic deportatis, quia in peregrinitatem redacti ſunt, ſuæ ciuitatis iuribus & priuilegiis carendum eſt: cætera omnia illis permiſſa ſunt, ſeu communi gentium iure velint, ſeu cuiuſuis alterius iure frui, in qua domicilium ſuum conſtituerit.*

IX. Manet nunc videamus, gentiumne Iure, ſi Deportatus aliqua bona habeat, quæ moriens relinquat, cuius non omnem ſubſtantiam ſententia abſtulit, teſtari poſſit. Et quidem teſtandi verbum ita accipio, vt decet eum, qui non de Romano Iure, & ſolennibus teſtamentorum ſollicitus eſt, ſed qualemcumque morientis voluntatem, ſiue in ſcripto, ſiue nuncupatione ſignificatam intelligit. Placetque, ne iſtud ius vniuerſale, & mundanum, cuius in pleriſq; compos eſt, à deportato auferamus; quomodocumque hic bona ſua præſtanda, ſiue Romano homini, ſiue peregrino, reliquerit, intellectu iſtius Iuris adiuuari. Vt res fiat exemplo clarior, ponamus, antequam codicillorum ius, & fideicommiſſorum ab Auguſto reciperetur, ciuem Romanum ita ſcripſiſſe in teſtamento; ταύτην τὴν διαθήκην βούλομαι εἶναι κυρίαν ὑπὸ πάσης ἐξουσίας: *hoc teſtamentum quacumque ratione poterit volo eſſe ratum*: quam formulam legere eſt in Pauli l. XXIX. §. 1. D. Qui teſtam. facere. & in D. Gregorij Nazianzeni teſtamento, ſi non apocryphum eſt quod circumfertur, affertque inter alios Caldera noſter Luſitanus lib. IV. Variarum cap. IV. Vel etiam ſcripſiſſe, vt in eodem Paulo legitur l. LXXXVIII. §. 1. De legatis ſecundo, mereturque ob elegantiam oculis aduerti: *Lucius Titius hoc meum teſtamentum ſcripſi ſine vllo Iuriſperito, rationem animi mei potiùs ſequutus, quàm nimiam, & miſeram diligentiam: & ſi minus aliquid legitimè, minuſue peritè fecero, pro iure legitimo haberi debet hominis ſani voluntas.* De hoc videlicet teſtamento quid putas Mucium aliquem, aut Sulpicium reſponſuros? Profectò æquum eſſe, id quod Domino de rebus ſuis placuiſſet, hoc ipſum omnino vt fieret, ſiue iure, ſiue non Iure facto teſtamento: quod quidem ius vniuerſale, & vagum ne vafrities hominum euerteret, imò vis legum adiuuaret, receptum poſteà fuit, vt ſi non iure teſtamenti ſuſtinerentur relicta huiuſmodi; at codicillorum, fideicommiſſorumue noua inductione, & fauore conſiſterent: vt refert Iuſtinianus principio Inſtit. De Codicillis. Eodem prorſus modo neceſſarium fuit contractus Omnes iuris iſtius, quod ſcriptum non eſſet, pudore tamen, & ſenſu communi multarum gentium cenſeretur, ne irriti eſſent, ciuilibus fulcire actionibus. Quæ enim Iuris gentium ſunt, talia ſunt, vt niſi admoueatur ciuilis obligatio, iniuſtè quidem ſed impunè fecerit quiſquis aduerſetur, & iugum excuſſerit.

X. Hinc fit, adæquatum (vt vocant) non videri dilemma illud Vlpiani, quo

vtitur

vtitur in teſtamenti factione cùm Latinis ex lege Iunia Norbana, tum his, qui erant ex numero dedititiorum deneganda. *Latinus* (ait) *teſtamentum facere non poteſt; quoniam nominatim lege Iunia prohibitus eſt: is autem, qui de dedititiorum numero eſt, quoniam, nec quaſi ciuis Romanus teſtari poteſt, cum ſit peregrinus; nec quaſi peregrinus, quoniam nullius certè ciuitatis ſciens, vt aduerſus* g *leges ciuitatis ſuæ teſtetur.* Quid autem ſi iure ſuo, hoc eſt nullius certæ ciuitatis, ſed omnium gentium velit vti; qui licet neque Romanus, neque Græcus, aut alicuius certæ gentis eſt, attamen (vt de ſe olim Socrates vſurpabat exul) *mundanus* eſt? Fateor non vllis legibus ſcriptis accommodaturum dictata poſtremæ voluntatis ſuæ eum, qui cùm nullius ſit certæ ciuitatis, ad nullas leges pertinebit, quæ ſcriptæ ſint: ſed iure illo, quod ſine ſcripto conſtat, quid vetat eum teſtari, qualecumque hoc teſtamentum fuerit, quod ex Iure non ſcripto nominatur? Id ſanè non omittere Vlpianus debuit, nec contentus eſſe ſi membri hac diuiſione, ne de peregrini vagi (vt ita dicam) qui nuſquam ciuis eſt, conditione, iureque ampliùs quæreremus. Sed puto de legitimo teſtamento, quod vſu & intellectu Iuris ciuilis ita audire poſſet, de quo toto illo titulo fragmentorum agit, accipiendam Vlpiani notam.

g Aduerſus *pro* ſecundum *vel iuxta. Vide Cuiacium in notis, & Gueuarano ad Topica Ciceron. §. 12.*

Audebimus ergo, quod Vlpianus prætermiſit monere, aliunde nos elicere? In homine quidem Latino facultas hæc vtendi gentium iure in teſtamento, cohibita eſt prohibitione Iuniæ legis; nam perpetuò licitum fuit XI.
ſcripto Iure vniuerſales has gentium leges, quæ quidem ſine præcepto naturæ eſſent, abrogare. De eo tamen, qui de dedititiorum eſſet numero, cùm nulibi cautum fuerit de rebus ſuis ne diſponere poſſit, non temerè cenſeo, Iure ſaltem gentium conſtaturum, & ſi bona fides cordi eſt, præſtandum, & exequendum, quidquid per ſcripturam is, aut nuncupationem olim reliquiſſet. Si hoc diſplicet, prorſus ignorare me aio, ad quem pertinuerint dedititij bona poſt mortem; quia nõ vllus auctor Iuris admonet de hac ſucceſſione, cum poſſet opportuno ſaltem Iuſtinianus loco, qui latinorum meminit in §. IV. Inſtit. De ſucceſſione libertorum.

Teſtamentum ergo deportati Iuris gentium intellectu conſiſtens, qua XII.
mente improbabimus? maximè cum ciuilia ipſa Iura non improbent. Agnoſcunt imò, idque probant, vimque Iuris & accommodant, Iuris Romani auctores. Nam quod Prætoris edictum in ſucceſſionibus inteſtatorum recenſendis de iure, ſeu gradu legitimorum in Tit. *Vnde legitimi* deductum retulit, ita explicant interpretes in conſanguineis. Hermogenianus l. Vltima vnde legitimi. *Nati poſt mortem patris* (ait) *vel poſt captiuitatem ſiue deportationem ius inter ſe conſanguinitatis habent, & ſi heredes patri non extiterint, ſicuti exhæredati.* Idem ferè Vlpianus in l. I. §. X. De ſuis & legitimis. Vides quomodo ſcripta iura deportati meminerint filios ſuos exhęredantis: quæ quidem exheredatio, cum morientis aliquâ conceptis verbis expreſſa bonorum ſuorum, & voluntatis deſtinatione fieri debeat, id ipſum eſt, quod naturale, ſeu Iuris gentium teſtamentum nos appellamus.

Quomodo autem ſatisfaciemus his, qui iure gentium negant ſuſtineri te- XIII.
ſtamenta poſſe? Hoc ſi admittimus, profectò id totum ruit, quod deportato conceſſimus ab hoc iure. Et quidem rem agit grauiter poſt alios. Emũdus Merillius lib. ſecundo obſeru. cap. XXV. qui magis probat ex Iure naturali, ſeu gentium potius eſſe, vt hæreditas filiorum ſit, aut propinquorum, quàm vt ex voluntate morientium hoc pendeat: eâ de causâ oportere originem teſtamentorum à Iure ſcripto deſcendere: quo permiſſum cuique fuit aduerſum votum ipſius naturæ, ac perſuaſionem antiquiſſimam vniuerſarum gentiũm ire, admiſſis propinquorum loco etiam extraneis. Hæc Merillius, quæ multis exemplis, atque hiſtoriis exornat. Sed declinemus, ſi

 profligari

profligari iure aut per anguſtias temporis nequit, aduerſarium. Cum de-
portatum admitto ad teſtamentum hoc iure gentium, eatenùs admitto, vt
ſuſtineantur ea tantum quæ ius illud non improbat: neque enim Iure gen-
tium teſtatus videbitur, qui huius dictata (ſi verè talia ſunt *h*, de quo non
vacat in præſentiarum quærere) inſuper habeat. Puta deportato liberos, &
omne vinculum charitatis periiſſe: aut non heredem extra propinquos ab
eo quæſitum, ſed legatarium: huiuſmodi namque arbitrium de rebus ſuis
non credimus gentium Iuri aduerſarium.

XIV. De his tamen iam abundè dictum: maximè cùm credam nuſquam
fore, vt in Iure Romano de hac cauſa quæſtio incidat. Fixum enim eſt mihi;
deportato, cui bona ſua, vel pars bonorum relicta eſt, eo ipſo permiſſum
fuiſſe ius de his teſtandi Romanis legibus: ſicuti ſeruus publicus pop. Ro-
mani, licet peregrinus, hoc eſt non ciuis eſſet, ius habuit ex parte dimidia
bonorum condendi teſtamenti: cuius rei auctor eſt in fragmentis Vlpianus
quem correxit aptiſſimè Cuiacius, hoc iſto titulo xx. §. vltimo. Quo & re-
ferebat olim Magiſter meus D. Franciſcus Ramos del Mançano Senator
Regius, Meciani de ſeruo publico ſententiam in l. xvii. inferiore. De legatis
tertio. Atque ei, qui ex militari delicto damnatus eſt, permitti ſolet teſtari,
vt D. Hadrianus reſcripſit, quod refertur in lib. i. §. vi. D. De Iniuſto, rapto
XV. &c. Video etenim, de quo proximè loquuti ſumus, mentionem fieri no-
ſtris legibus exhæredationis factæ à deportato: quæ quidem abſoluto mo-
do facta potius Originis eſſe Romanæ, ſecundum ius teſtantibus decemui-
rali lege pro arbitrio voluntatis tributum, quàm naturalibus, aut gentium
legibus conſentanea eſſe videtur; in quo non inficias imus Emundo Meril-
lio. Accedit ſuorum deportati hæredum habita etiam mentio in l. i. §. x. D.
de ſuis & legitimis. Quod quidem ius ciuile cum ſit prorſus, ciuiliaque iu-
ra patriæ poteſtatis ſupponat, vti Iuſtinianus docet in §. ſui Inſtit. De
Heredum qualit. & differ. & §. ii. de Hæredit. quæ ab inteſt. deffe-
runtur, ideoque deportatis male conueniant, nulla alia de cauſa hæc iu-
ra deportatis accommodata credimus, niſi quia his ſeruata bonorum par-
te, quam ſententia non abſtulit, ius conceſſum videtur his teſtandi de hac
portione Romano Iure; quatenuſque ad eam ſpectat, eiuſque ſucceſſio-
nem, ac diſpoſitionem, adhuc tanquam ciues, nec extra leges dum, aut ver-
XVI. ba propria Iuris Ciuilis reputari. Par ferè his ratio illorum eſt, qui hodiernis
ſtatutorum legibus communi, & Romano Iuri accedentibus vtuntur: apud
quos exul vrbis cuiuſdam, Prouinciæue, aut regni, vrbis illius, aut Regni
legibus non teſtabitur; iure communi teſtabitur; vtique de his etiam bonis
quæ in eo loco habet, vnde eiectus eſt, & iurium communione prohibitus:
quod *i* Alexandri, Nelli, & Cornei communior eſt ſententia. Relicta quip-
pe bonorum parte, aut bonis omnibus, ei qui damnatur, quamuis priuetur
ciuitatis iure, non tamen eo iure quod in bona habet ſibi non ablata priua-
tur; ideoque de his libere diſponit. Sed dices, iuxta hanc communem opi-
nionem, id potius exiſtimandum eſſe, vt deportatus Romano iure prohi-
bitus poſſit quidem alterius ciuitatis, aut gentium iure de his bonis,
quæ ſibi ablata non ſunt, diſponere; Romano iure, quo prohibitus eſt non
poſſit. Fateor quidem id rectiùs induci: ſed cum videam Iuris Romani pro-
pria verba exhæredationis, ſuitatiſque, id genus hominibus accommodata,
veroſimile eſt, ſiue ſcripto, ſiue non ſcripto iure, id obtinuiſſe, vt deporta-
tus, cui bona non eſſent ablata, aut non omnia ablata, iure adhuc Romano
de his teſtaretur quæ in vrbe poſſidebat.

XVII. Alterum eſt quod Caius docet, nec illud teſtamentum deportati valere,
quod ante damnationem fecit. Nempè irritum fit eius teſtamentum, qui

capitis

h *Fuſiſſimè hanc qq. tractant Giquenius ad l. 1. C. de hered Inſt. Cuiacius l. 111. Qui te-ſtam. fac. Matienco in legem 3. gl. 3. tit. 4. l. 5. Compil. Comanus li. 1. Comm. c. 5.*

i *Alex. In l. ex facto §. ex facto col. pen. & fin. D. Ad Trebellianum Nellus de Bannitis 1. p. 2. tempo-ris, q. 5. Corneus conſ. 55. Vol. 2. quos laudat Menochius conſ. 101. n. 9.*

capitis patitur aliquam diminutionem : §. Alio autem modo iv. Inſtit. Quibus modis teſtam. infirm. Quod tamen ſi reſtitutus ſit, & ciuis iam Romanus tempore mortis, conualeſcit: vti & ipſe Iuſtin. in §. vi. eiuſdem Tituli, Vlpianuſque in fragmentis tit. xxiii. §. ſi ſeptem, notanc. Media enim tempora Ius Prætorium non attendit, lib. civ. D. de Conditionibus & demonſtrationibus. Hæc tamen reſtituti iura ſiſtenda tibi à me ſunt ad aliam Tractatus partem, extremam ſcilicet.

Remoueamus tamen lapidem à complanata hactenus via, ad quem nullus, Interpretum pedem offendit. Planè oportuit ius teſtamenti condendi XVIII.
denegatum deportato ab illo vſque tempore, quo natum, & introductum fuit ab Auguſto ſupplicium deportationis. Nuſquam enim non deportatus ciuitatem, ciuitatiſque omnia iura, pariter atque interdictus aqua & igne, in cuius locum noua hæc pœna ſucceſſit, amittebat. Huic tamen contrarium eſt quod Dio Caſſius ſcribit lib. lvii. qui de Tiberio, & poſtquam nata deportatio eſt, annis aliquot, Ἀπεῖπε (inquit) τοῖς πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθεῖσι μὴ διατίθεσθαι. καὶ τοῦτο καὶ νῦν φυλάττεται. Hoc eſt : *Interdixit aqua, & igne prohibitis facere teſtamentum; quod vel nunc obſeruatur.* Aqua & igne prohibiti Dionis de ætate Tiberij loquentis, deportati ſunt : quam pœnam huius ſuccedaneam inueniſſe, & ſanxiſſe Auguſtum Tiberij anteceſſorem, ex eodem hoc ſcriptore palam anteà fuit factum. Vides medio illo tempore deportatum, ſiue interdictum, qui iure ciuitatis, & commercio legum exciderat per ſententiam, teſtari tamen potuiſſe. Nondum ſcilicet moris erat, bonis omnibus ſpoliatum, nudumque hunc mittere in Inſulam; quod poſteà obtinuit, vt alibi notabimus. Permiſſum ergo ei tacito legum conſenſu exiſtimamus, quanquam peregrino facto, de his bonis teſtari, quæ non attigerat damnationis ſententia. Et hoc planè aliud exemplum eſto ad confirmandum iudicium noſtrum proximè interpoſitum de poteſtate condendi teſtamentum, quod quidem Romano iure, aut moribus videtur etiam peregrinis factis conceſſum circa illa bona, quæ ablata his non fuiſſent. Dionis autem locum hunc interim omittimus, aliaque de publicatione bonorum alibi commodius adducenda.

Supereſt, à deportato vt remoueamus alteram partem Iuris teſtamentorum : ſcilicet, quod ex teſtamento capere non poſſit k. Nam, ſi aduertimus, XIX.
k *Plures id tractant apud Alex. conſ. 23. n. 10. l. 1. Farinac. in Praxi p. 3. q. 102. nu. 150. Clarũ l. 3. §. Teſtamentum q. 22. & ibi additiones.*
non ſtatim atque alicui permiſſum non eſt facere teſtamentum, remouemus eum à poteſtate quærendi ex teſtamento: quod exemplis ſuadet Pomponius in l. xvi. D. Qui teſtamenta facere &c. Huius ratio ea ipſa eſt peregrinitatis in quam incurrit; nullum quippe inter ciues Romanos, & peregrinos teſtamentorum commercium fuit. Ideò in rogatione Falcidiæ legis, tam de eo, qui teſtamentum facere vellet, quàm de eo, cui dandum legandum eſſet, expreſſum fuit, vt ciuis Romanus eſſet. l. i. D. Ad leg. Falcidiam. Peregrinumque inſtitui non poſſe conſtat ex Vlpiani Tit. xvii. §. In principio, & Tit. xxii. §. i. Peregrinum, hoc eſt non ciuem Romanum: nam priuationis nomen eſt : & peregrini non minus ſunt, qui ad nullam ciuitatem pertinent, vti dedititius, ex Vlpiano Tit. ii. §. xiv. imo & ſeruus. Tritum eſt hoc Sidonij Apollinaris lib. i. ep. vi. De ciuitate vniuerſo orbi Romano conceſſa ; *In quâ vnitâ totius orbis ciuitate ſoli barbari, & ſerui peregrinantur.* Sed & expreſſum eſt, inſtitui deportatum non poſſe, quoniam peregrinus eſt, in l. i. C. de Hæred. inſtit. nec bonorum poſſeſſionem petere lib. xiii. D. De bonor. poſſeſſionibus : nec legatum capere. lib. civ. D. De condit. & demonſt. Extra cauſam ſcilicet alimentorum, & quæ alia legata in XX.
facto potius quam in Iure conſiſtere videntur. l. iii. D. De his quæ pro non ſcriptis habentur, l. x. De capite minutis. Præterea ex teſtamento militis

deportatus capit: nempe inſtituitur hæres, legatum accipit & fideicommiſſum: l. XIII. §. II. De Teſtam. militis. l. VII. §. I. De legatis, libro tertio. Quoniam quæ ex teſtamento militis deferuntur, iure Gentium deferuntur: vel quia militibus indultum eſt, quibus velint, relinquere: niſi quòd lex quoſdam prohibet in ſpecie. Videſis Georgium Acaſium, qui rem tractat exactè lib. II. De Priuilegiis Militum priuilegio XVI. nu. 10. Placuit, cum clericus adiuuetur pluribus militum priuilegiis *l*, etiam ex eius teſtamento deportato adquiri.

*l Veſimon. de Pretiis de Interpret. vltim. volunt. interp. 2. l. 2. dubio 1. ſol. 1. n. 30.*

## CAPVT SEPTIMVM.

### Iuribus aliis ciuilibus non gaudet deportatus gentium autem gaudet.

I. *Iure legitimæ ſucceſſionis caret deportatus.*
II. *L. I. § VIII. D. Ad S.C. Tertullianum huic regulæ derogans explanatur ex Petro Fabro.*
III. *Item ex aliis.*
IV. *Item ex coniectura noſtra.*
V. *Iura delata deportato, ad proximos tranſeunt, ante deportationem delata ad fiſcum pertinent.*
VI. *Tutelæ ius perit deportato, ſiue datus ſit tutor, ſiue ei alius.*
VII. *Iuſtæ nuptiæ, Iuſti liberi ad deportatum non pertinent.*
VIII. *Nec Ius poteſtatis Romanum in liberos.*
IX. *Non verò illud ius, quod à natura eſt.*
X. *Non agit ciuilibus actionibus.*
XI. *Exuli certæ vrbis, aut regni quatenùs depereant Romana iura.*
XII. *Iura gentium perpetua non amittuntur ciuili hac pœna.*
XIII. *Quales contractus ferè omnes ſunt.*
XIV. *Et fortè etiam ſtipul. & aliæ Iuris ciuilis obligationes quatenus naturale habent vinculum.*
XV. *Modum negotiationi deportatorum poſuit Auguſtus.*
XVI. *Edictum eius apud Dionem explicatur.*
XVII. *Alimenta deportatus percipit.*

DEinde non deferri legitimam ſuſceſſionem deportatis, conſequens eſt ad ſuperiora: cum factus capite minor medio iſto modo, exlex ſit, & incapax eorum, quæ lege deferuntur. Teſtis eſt in hæreditate matris Vlpianus in l. I. § VIII. D. ad S.C. Tertullianum. Sed videtur id repugnare quod ſuperius dixerat in §. VI. *Humana interpretatione eum admitti, qui rei capitalis damnatus neque reſtitutus eſt*. In his conciliandis laude digna eſt Petri Fabri ſedulò narrata opera in ſemeſtribus lib. II. cap. XIII. qui vir, literarum præcipuè iſtarum quæ ius antiquum procurant, magno bono natus eſt. Primo hic tentat (ſcripturam ſi licet ſollicitare) negationem inde vt tollat, *neque reſtitutus eſt*. Damnatus namque rei capitalis, hoc eſt capite minor factus ſententia, non aliter quam ſi reſtitueretur ciuitati, admitteretur etiam benigno iure ad hæreditatem legitimam ex Senatuſconſulto delatam. At qualem reſtitutionem intelligit Faber? Non indulgentiam

gentiam generalem; quæ tantùm fuit pœnæ abolitio, ex qua non reditur in iura patriæ poteſtatis: quæ quidem oportuit reſumpſiſſe eum, de quo Vlpianus quærit, cum patriæ huius poteſtatis mentio fiat in eo homine paulo inferius: ſed in integrum reſtitutionem: quam quidem meritus, adhuc tamen videbatur indignus beneficio Senatuſconſulti, cùm exiſtimationis damno, principali hoc beneficio nondum videretur planè ſatisfactum. Magis tamen ſedet, quod ſecundo loco ait Faber, ne in Iure correctionibus indulgeamus, Vlpiani damnatum rei capitalis, non de eo accipiendum, qui capite, (ſcilicet liberi hominis, aut ciuis ſtatu) minutus fuiſſet, ſed qui exiſtimatione: quod contingit, citra ciuitatis iacturam relegato, aut ordine aliquo moto propter crimen iudicij publici. Nam de hoc proprie non minùs dicitur reſtitutione in priſtinum redire ſtatum: qui ſi nondum reſtitutus fuerit, benigna adhuc interpretatione ſuccedet matri: cum olim aliter obſeruaretur: famæque cauſa in filio etiam ciue ad ſucceſſionem matris inſpiceretur, quod Faber hic conſiderat. Et ſic propria erit æquiparatio inter illa duo exempla, operas vt cum beſtiis pugnaret, locantis, & capitaliter damnati nondum ad famam reſtituti.

Scio enim ab Interpretibus antiquis Accurſio, Bartolo, aliis, humanam interpretationem accommodari ad alteram cauſam eius, qui operas ſuas locauiſſet, vt cum beſtiis pugnaret; quod ineptum eſſet Vlpiano tribuere, vt non hic ſecundum regulas artis Grammaticæ rem diuerſi, ac mitigati Iuris exponeret; quod alioqui ſolent in aperta re breuitati ſtudentes Iuris auctores committere, vt alibi monitum à nobis eſt. Scio etiam ab Anteceſſore Pinciano qui nuper edidit Paraleipomena, & electa Iuris D. Athanaſio de Oteiza & Olano, capitaliter damnatum, ſiue deportatum non ademptis bonis hic ſubaudiri: quem ſcilicet ſubſtantia ſua donatum conſequenter iuuare debuit pia illa interpretatio, quæ ad bona matris ex Orphitiano admitteret. Placet quidem nobis hæc interpretatio, vel vt confirmemus nouo iſto exemplo illam veterem coniecturam noſtram; de qua egimus in proximo retro capite, circa facultatem deportato permiſſam de his teſtandi quæ ſententia ei non abſtuliſſet. Eius enim fuit permittere teſtamenti conditionem, cuius fuit admittere ad ſucceſſionem legitimam. III.

Ferannus tamen & nos ſuffragium, ſi quid videre poſſumus in re perplexa. Vlpianus in §. VIII. repellit à ſucceſſione matris deportatum ex vi Senatuſconſulti: quod quidem non impedit admitti cum benigna interpretatione vt docet ipſe in §. VI. Id igitur quod in d. §. VIII. docet, ex interpretatione Senatuſconſulti ipſius, acceptum ab Vlpiano referre poſſimus: quod autem in §. VI. ad benignæ, interpretationis morem, quem & ipſe docere nos voluit. Quomodo conuenient inter ſe duo hæc ſegmenta. IV.

Itaque in ſucceſſionem ordine deportatus ſuum locum iis relinquit, qui pone eum ſequuntur: loco ſuo abripitur, & vice ſuccedendi l. I. §. pen. D. de Bonor. poſſeſ. contra tabulas. l. Si qua pœna VII. D. De His qui ſunt ſui vel alieni Iuris. Non quidem Fiſcus in locum illius ſuccedit (quod alias placuit Accurſio *a*) ſed venientes ab inteſtato proximi: quod notant Alexander, Corneus, & Laſo laudati ab noſtro Ioanne Oroſcio in d. l. ſi qua pœna VII. De his qui ſunt ſui etiam. Duo Sozini, quos, & hanc vt veram & communiorem ſententiam probans, adducit Menochius conſecratio CI. ex nu. 36. Rationemque adiungit; nam venientes ab inteſtato cenſentur quidem tacitè vocati à defuncto l. Conficiuntur VIII. §. I. D. de Iure Codicillorum intrantque in locum deportati, cum locus ipſe vacet, peregrino facto homine, qui iam non habet ſucceſſionis legitimæ cum ciuibus commercium. Hoc equidem in ſucceſſione nondum delata, ſcio contingere: nam eius, V.

*a In §. Relegati Inſt. Quibus modis ius pat. poteſt. ſoluit.*

quæ

quæ delata iam eſt, cum deportatur; vtpote propriorum illius bonorum, fiſcus Dominum quærit: quod ab Vlpiano docemur in l. Ex facto XVII. §. v. D. Ad Trebellianum: cuius ſententiam non rectè confundit hic Menochius cum futuræ ſucceſſionis quæſtione.

VI. Rurſus quæ propria ſunt ciuium Romanorum, velúti munus Tutelæ, iuſtæ nuptiæ, poteſtatis ius in filios, patronatuſque in libertos, actiones, honores, ſuffragiorum latio, ad deportatos minimè pertinent. lib. I. D. de Tutelis, Vlpiano in fragmentis Tit. v. §. IV. Iuſtiniano In §. II. Inſtit. de Patria poteſtate lib. x. §. VI. De in ius vocando. Id præterquam quod notum eſt & ratio ipſa peregrinitatis euincit, in ſingulis confirmabimus. Non tutela: imo perit quæ data fuerat; ſiue tutor alteri deportatus, ſiue deportato fuiſſet tutor datus §. IV. Inſtit. Quibus modis tutela finiat. l. XIV. in principio D. de Tutelis. Ratio ea eſt quia Tutela munus publicum eſt; vt Iuſtinianus docet principio Inſt. De excuſat tutorum; ſeu ciuile lib. VI. §. XV. D. eodem tit. l. I. §. IV. iuncto principio legis, D. De Muner. & honoribus l. XVIII. in principio, & §. I. D. eodem. In munerumque quorumcumque delatione origo natalium conſideranderanda eſt, l. XIV. §. III. D. eodem tit. vt ſi munus perſonale ſit, aut patrimonij certi cuiuſdam generis, non niſi municipibus, vel incolis indicantur l. VI. § vltimo l. XVIII. § XXII. D. eodem l. XVII. §. x. D. Ad Municipalem l. XXIX. D. eodem. Vnde talis debet eſſe tutor cum quo fit teſtamenti factio: l. XXI. D. de Teſtam. tutela: ſcilicet paſſiua, vt ex teſtamento ſaltem capere poſſit: quomodo interpretatur ibidem Accurſius verba legis. Neque enim non ciuis ad expediendum tutelæ officium, præſtandamque pupillo contrahendi, & agendi auctoritatem, quam ipſe iure ciuili non habet, aptus eſt. Reliqua autem huius partis, quatenus ſcilicet à tutela excuſet exilium temporale; deque interpretatione obſcuræ legis XV. D. De Tutelis, iam in ſuperioribus lib. I. cap. VIII. & lib. II. cap. III. pro captu noſtro expoſuimus.

VII. Non item iuſtæ nuptiæ, non iuſti liberi: lib. XVII. §. v. Ad Trebellianum: quia non erat Romanis cum extero commercium matrimonij, vt Seneca ait lib. IV. de Beneficiis cap. XXXV. docetque Vlpianus in Fragmentis Tit. v. §. connubium: & Iuſtinianus in principio Inſtit. De Nuptiis. Quale autem matrimonium ſit cum deportato, iam nos infra, cum ad ſequens caput deueniamus. Non itidem Ius poteſtatis in liberos: Neque enim (ait in iiſdem

VIII. fragmentis tit. XX. Vlpianus) peregrinus ciuem Romanum, neque ciuis Romanus peregrinum in poteſtate habere poteſt. Quod ipſum docet Caius lib. I. Inſtit. Tit. VI. § I. & Iuſtin. in §. cum autem Inſtit. Quibus modis Ius pat. poteſt ſolu. loquimur de Iuris Romani poteſtate, quæ multa conceſſit parentibus in filios, qualeque alibi gentium non vigebat; vti comparatione Græcarum vrbium, per ſingula capita huius poteſtatis Dionyſius oſtendit Halicarnaſſenſis lib. II. Antiquitatum Romanarum. Atque etiam de ſuo tempore, quo iam horum iurium magna pars obſoleuerat, Iuſtinianus, talem in liberos poteſtatem non vllis hominum tribuit, qualem Romani habebant, tit. Inſtit. De patria poteſtate. propriumque id eſſe ciuium Roma-

IX. norum ait Caius in l. III. D. De his qui ſui vel alieni iuris ſunt. Quæ autem natura conſtat ditio & poteſtas in liberos, (quod Ariſtoteles lib. I. Politicorum. Pliniuſque in Panegyrico Traiano dicto annotant) extra omnem aleam ciuilis damnationis conſtitutum eſt, nec deperditur. Æquè enim alimenta præſtare filius debet parenti deportato ac ſaluo, ſi egens ſit, obſequiaque debita exhibere, vt alibi, cum de receptatoribus exulum agamus, proprio loco docturi ſumus. Nepos igitur, qui proximo loco eſt ei qui deportatur, locum illius ſubintrat, fitque auo proximus l. VII. D. De his qui

ſunt

ſunt ſui &c. l. I. §. vltimo D. De bonor.poſſeſ. contra tabulas l. Gallus XXIX. § Et quid ſi tantum de liberis & poſthumis. Deinde nec patronatus ius in libertos l. IV. § II. D. De bonis libertorum l. X. §. VI. De in ius vocando: quo exemplo & eccleſiaſticum patronatum Doctores Iuris deportato denegant *b*.

X. Deinde non agit ciuilibus actionibus l. XLII. in principio D. Soluto matrimonio &c. Non eſt perſona quæ obligetur l. XIIII. §. I. De Nouationibus. Nec accuſare poteſt l. V. §. I. De Publicis iudiciis l. XVIII §. II. De Iure Fiſci. Generaliterque è limine iudicij repellitur. De quo Andreas Gallius fusè ſcribit in lib II. De Pace publica c. XII. Tandem ad alia poſtremò enumerata iura non admittitur, quæ ciuibus tantum competere notius eſt, quam vt accendere curemus lucernam meridie mero. Philonis tamen teſtimonio dumtaxat vtor, qui ita ait in libello, cui lemma. *Quod liber ſit, quiſquis virtuti ſtudet.* Πῶς γὰρ οὐκ ἔκτοπα καὶ θαυμαστ' οὕτως φυγάδας μὲν καλεῖν τινας μὴ μόνον ἐν μέσῃ τῇ πόλει διατρίβοντας, ἀλλὰ καὶ βουλεύοντας, καὶ δικάζοντας, καὶ ἐκκλησιάζοντας, ἔστι δ' ὅτε καὶ ἀγορανομίας καὶ γυμνασιαρχίας, καὶ τὰς ἄλλας λειτουργίας ὑπομένοντας: πολίτας δὲ τοὺς ἢ μὴ ἐγγραφέντας τὸ παράπαν, ἢ ὧν ἀτιμία καὶ φυγὴ κατέγνωσται. Hoc eſt. *An non abſurdum, & mirum videtur exules dici eos, qui non ſolum verſantur in vrbe media, ſed curias, tribunalia, noſtra occupant; & gerunt ædilitates, gymnaſiarchias, & reliquos magiſtratus: è diuerſo ciues haberi, qui aut nuſquàm in eum numerum adſcripti ſunt, aut ignominia, exilioque damnati?*

*b Colligit eos Cenedus in collectaneo ad cap. ex litteris de Iure patronatus n. 5.*

XI. Prætereundum verò hîc non eſt quod Iuris Interpretes monent, circa legitima huiuſmodi, non quidem ex iure communi venientia, ſed ex vniuſcuiuſque loci, aut regionis, gentiſue legibus, & ſtatutis nata iura. An ſcilicet eiectus per ſententiam ab aliquo ex iſtis locis exilio illo perpetuo, quod peregrinitatem irrogat, & vice deportationis eſt, poſteriora illa tantùm, quæ ab ſtatutis veniunt, an verò ciuilia Romanorum, communiaque illarum gentium, quæ Romanis legibus regnantur, iura etiam amittat. Ea enim diuerſitas hîc verſatur: quod quædam gentes Romanum totum Ius, & ciuilem politiam pro ſuo habent: quædam vero, vti Hiſpani *c*, Galli, Angli, propriis dumtaxat, domique ſuæ natis legibus obtemperant, Romanarum rationem tantum, non ſanctionem ſequuntur. In his ergo vltimo loco poſitis dubitandum non eſt, quin iura communia Romanorum, hoc eſt extranea, & peregrina non tangat ſententia deportationis, ſiue exilij ab eo loco, in quo propriæ tantum leges, non Romanæ vigent. Sed tamen ex alio capite is, qui deportatus inde eſt, iurium illorum communium, & Romanorum particeps non eſt, quia ibi natus fuit, vnde poteſtas eorum exulat. Verùm receptus in aliam ciuitatem, aut gentem veteri Romano Iuri obnoxiam, tunc primum, veluti nouus ciuis, gaudere incipit Romanis legibus. Priorum verò alia ratio eſt, & abſque dubitationis cauſa in examen vocatur, depereant ne & iſta Iuris communis Romani conſtituta exinde propulſatis: cùm leges Romanæ non minus proprium ius ſit huiuſmodi gentium, quàm ſtatuta & nouæ leges ibi primùm ſanciæ. Sed vtique depereunt eis, non ita vt quocumque ierunt, eiuſdem conditionis malum circumferant; namque earundem legum Romanarum, quæ ibi obſeruabantur, quo exul ſe recepit, commercio, dicta olim apud ſuos ſententia non interdixit. Hactenus enim potuit, vt ciuem abiudicaret, illiuſque Iuris vſum in rebus, quæ intrà territorium, ditionemque ſuæ gentis eſſent, exuli adimeret. Hæc omnia non ſic diſtinctè, & enucleatè apud Pragmaticos *d* tractata reperientur.

*c De Hiſpanis Oradius conſ. 69. Acebedus in Tit. I. n. 4. li. 2. compil. De Gallis, & Anglis Choppinus de Domanio Frācia l. 2. tit. 15. n. 5. Ann. Robert. l. 2. Rer. Iud. c. 1*

XII. Vidimus quæ ciuilia ſunt, perire deportato; Per contrarium capax illarum rerum eſt, quæ à Iure profluunt naturæ, ſeu gentium. Naturalia Iura, quæ pondere ſuo nituntur, moralis neceſſitatis, ἀκίνητα, ſunt *immutabilia* ſcilicet,

*d Alex. in l. 17. §. 5. Ad Trebell. Nellum. De*


licet,

licet, perpetuaque. Humana inſuper multarum gentium placita; ſiue id quod vulgo receptum eſt vt æquum, & conueniens hominum ſocietati, ἐύρεμα: nempè βίου, καὶ χρόνου, *repertum temporis, & vſus*, vti appellat Dio Chryſoſtomus *e*, non Romanorum dumtaxat ciuium, ſed cuiuſcumque gentis, & loci ſunt. Hoc iure vtitur deportatus, licet non ciuis Romanus, ſed ἄπολις, nulliuſque certæ ciuitatis ſit: quia hæ conſenſiones multarum gentium non pendent ab aliquo iure ciuitatis. Id ipſum, ſimiliter Marcianus ſcripſit in l. XVII. §. I. De Pœnis.

XIII. Contractus videlicet ferè omnes iuris gentium ſunt: quod Hermogenianus docet in l. v. De Iuſt. & Iure. Et ecce deportatus his vtitur permiſſo ſibi iure: nam *emit, & vendit, locat, conducit, permutat, fœnus exercet, pignori dat*, & ſimilia. Id totidem verbis ſcriptum eſt in l. xv. (quæ de Græca penu exiit) D. De Interdictis. In contractibus verò eſt obligatio duplex: altera quæ legibus ſcriptis inducta eſt; altera cui hæc nititur, nec ſcripto aliquo, ſed naturali æquitate ſuſtinetur. Quod itaque æquum eſt, etiam citra iuris ſcripti vinculum, alligat deportatum: idque is præſtare tenetur, quod natura debet ante præceptum aliquod legis ſcriptæ, ſiue moris in priuatum ius recepti. Excipit quaſdam obligationes Hermogenianus in d. l. v. quæ iuris gentium non ſunt, ſed ciuilis ab ipſa origine. Nempè (vt iuniores *f* intelligunt) ſtipulatio, litterarum obligatio Emphyteuſis, ſponſalitia largitas. At hæ quatenus vinculum ciuile important (quo iure repertæ ſunt, aut ſaltem ad neceſſitatem præſtationis deductæ) ad eum non pertinent, qui ciuilia omnia amiſit: ſed quia vim aliquam naturalis obligationis, ei quod actum eſt, vtriuſque conſenſus affixit; atque vſu, & approbatione non vnius gentis recepti creduntur hi contractus; imo quia iuris gentium omnino eſt forſan ſtipulatio, quod placere non paucis *g* video; legem æquitatis in his quoque, quæ iuris ciuilis reperta ſunt, deportatus ſequi debet. Non enim lex ciuilis inuenit obligationem naturalem: ſed huic ne fruſtra eſſet, ciuilem alteram adiunxit. Manet ergo prior naturalis, etiam ciuili extincta: horum contractuum in peregrino: at ſine actione ciuili, etiam vtili, quam ex aliis iuris gentium conuentionibus in exilio ei competere mox videbimus.

*Bannitis* 1. *p.* 1. *temporis q.* 5. & 20. *quos & alios laudāt Boſſius in Praxi Tit. Bāniti quid amittant n.* 11. *Hondedeus conſ.* 66. *n.* 47. & *ſeqq. Menochius conſ.* 492. *n.* 7. & 8. *Gratianus diſcept. to.* 3. *c.* 462. *nuper illuminatus Moronus Frāciſcanus reſponſo morali* 77. *ex n.* 41.

e *Oratione* 76. περὶ ἔθους.

XIV.

f *DD. in d. l. v. Oroſcius ibidē n.* 70.

g *V. Hillig. l.* 14. *conon. c.* 36. *A. Alphanum collect.* 515. *Mēdozam de Pactis l.* 3. *c.* 1. *q.* 1. *n.* 21.

XV. Auguſtus tamen Octauianus eodem ipſo edicto, quo ſuppliciis Romani Iuris deportationem inuexit, modum commerciis, & negotiationibus exulum ſimul impoſuit; ne male conuenirent cum reatu pœnæ, ſordibuſque grandes diuitiæ; ſi ab ipſa damnatione in magnas opes, fælicemque, ac beatum deportatus emergeret. Vt accommodari ſcitè queat Ouidij verſus, vno tantum verbo alter (quandoquidem deportatio mortis loco habita eſt) lib. III. Metamorph.

*dicique beatus*
*Poſt obitum nemo, ſupremaque funera debet.*

XVI. Ipſa hæc ſunt edicti verba, quibus cautum huic parti. *Neue aliquo traiicerent, aut plures naues, quàm vnam onerariam mille amphoras capientem, & duas actuarias, neue ſeruos, aut libertos ſupra viginti haberent; ne plus quingentis millibus nummûm poſſiderent*: Ex Dione lib. LVI. Onerariæ naues, Græcorum φορτηγοὶ, aut σιτηγοὶ, frumento, & cuicumque oneri ferendo factæ Actuariæ his Onerariis per mare agendis (cum & ipſæ ita quòd remis agerentur; dictæ) ſiue voluptariis vſibus aliis idoneæ, vectoribuſue transferendis habebantur, ἐπιβάδες Vlpiani in l. I. §. XII. D. De exercit. actione; quemadmodum lectio eſt Haloandri; ſiue vt Florentiæ eſt ἐπιβατηγοὶ ſiue tandem, vt placet Lazaro Baifio *h*, ἐπιβατίδες. Eadem eſt κωπήρης Thucididis, & Plutarchi, & Dionis hîc. De nauium his differentiis poſt Lazarum Baifium agit diligenter

h *De re nauali pag.* 87. *in Baſil. editione.*

Claudius Salmaſius Ad Ius Atticum, & Romanum cap. xxviii. Numerus ſeruorum, & libertorum laxior & ambitioſior, quam noſtra ætas ferret in lautiſſima etiam integri ciuis domo: ſed ſi inmenſos familiarum greges illo ſæculo ab ea gente poſſeſſos, luxuique magis habitos quam neceſſitati, conſideres, haud parum ſolito moderatior eſt. Legendus Lipſius de Magnitudine Romana lib. ſecundo cap. xv. Pignorius, & Popma in libellis de ſeruis, & operis ſeruorum. Perſpicuum interim factum eſt, iuris gentium commoda, & beneficia. cum obnoxius adhuc in inſula eſſet legum poteſtati, non vſquequaque deportato permiſſa, relictaque.

Alimentorum legatum & præſtatio, quia res facti, & ex iure veniunt naturæ, non ceſſat; ſiue nondum præſtari cœperint, ſiue iam cœperint) morte hac ciuili: ſed expectatur naturalis. Quod merito placet Iuris interpretibus *i.* Sed in connubio quæ vis deportationis, nunc videamus. XVII.

*i Surdus de alimentis t. 7. q. 19. & tit. 8. priuil. 7. & tit. 5. q. 1. n. 1. & 11. Caſtillo l. 3. controu. ca. 11. n. 5. & ſeqq.*

## CAPVT OCTAVVM.

### De matrimonio Deportatorum.

*I. Matrimonium non ſoluitur deportatione.*
*II. Athenienſes exulum vxores domi retinebant.*
*III. Æſchinis locus de hoc more.*
*IV. Ne hoſtilem animum in rempublicam mariti exercerent.*
*V. Inter Chriſtianos maritum exulem vxor ſequitur, ſed non remigio addictum.*
*VI. Altero ex coniugibus deportato ſoluitur matrimonium ciuile: ſed manet naturale; ſecundum Ius Romanum.*
*VII. Si affectus coniugum durat.*
*VIII. L. vi. §. i. De bonis damnatorum expenditur.*
*IX. Connubia deportatorum quid differant à contuberniis ſeruorum.*
*X. Iura naturalia in coniunctionibus ſuis ſerui non amittebant.*
*XI. Gentium vero amittebant.*
*XII. Adeo vt nec nomen matrimonii, aut nuptiarum vſurpare poſſent.*
*XIII. Deportatorum matrimonia gaudent gentium iure.*
*XIV. In quo miniſterium eis præſtat Ius ciuile.*
*XV. Quæſita ratio l. i. C. De Repudiis.*
*XVI. Hoc reſpectu ad leges pertinet deportatus.*
*XVII. Deportati vxor an dotē petat.*
*XVIII. Maritus deportatæ retinet dotem.*
*XIX. Huius matrimonii proles non eſt legitima.*
*XX. Alterutro diſſentiente coniugum ſoluebatur inter Romanos coniugium.*
*XXI. An bona gratia, an iuſta excuſatione?*
*XXII. Chriſtianorum vero matrimonium illibatum manet.*
*XXIII. Quamuis pro vidua ſit exulis vxor.*

De connubio peregrini, ſiue deportati; quia nihil intereſt ciuis Romanus, an alterius ciuitatis, nulliuſue ſit, qui coniugio copulatur; (etiam I.

ſi iuſtæ nuptiæ tantum illæ ſint Iure Romano, quæ inter ciues fiunt) prorſus ſtatuendum eſt commercium matrimonij habuiſſe deportatos. In hoc etenim iure ſuo, id eſt naturæ, quæque natio, quique concurrunt homines. Nec ideo matrimonium, haud, minuſue rite fit nata omnibus gentium lege, quia ſolennibus caruit Romanæ nuptiarum conſuetudinis. Magna olim cura Romanis, ſanguinem ſuum ab omni labe, infectioneque ſeruilis, aut peregrini generis illibatum ſeruandi: quapropter cum peregrinis,& ſeruis connubium ciuibus denegarunt: vti docet Vlpianus in fragmentis *a*. Quò reſpexit plebeiorum querela illa apud Liuium principio quarti libri; quorum nomine C. Canuleius legem illam, quæ prohibebat Patriciorum & plebis inter ſe connubia his verbis impugnabat: *nihil aliud eſſe hoc*, inquiens, *quàm exilia intra eadem mœnia, quàm relegationem pati*: nempè in vrbe peregrinos eſſe. Quibuſdam tamen exteris permiſſum fuiſſe Romanum matrimonium legimus *b*. Planè deportati matrimonium manet: deportatione matrimonium non diſſoluitur: de quo totidem verbis docemur in l. v. § I. De bonis damnatorum, l. XXIIII. C. De Donat. inter vir. & vxorem l. I. C. de Repudiis Nouella XXII. cap. XIII.

a *Tit. 5. §. 4.*

b *V. Delriū Aduerſ. in Thebaid. verſu 115. Bern. Alderete in origine. linguæ Hiſpanæ l. 1. c. 5.*

II. At Iure Athenienſium veluti manus iniiciebatur exulum vxoribus; nec permittebantur abire vnà cum viris. Non ſanè, quòd exiſtimarent abrogatum pœna connubium, ſeu peregrinitate fuiſſe; ſed his in vrbe retentis, quæ tam præcipua eſſent portio charitatis abſentium virorum, tanquam pignore ſibi, vrbiſque ſuæ quieti, ab ira vindictaque fugientium conſulentes.

III. Huius prohibitionis teſtis eſt magnus ille Athenienſium Orator Æſchines in epiſtola XII. quæ ſcripta eſt ad Senatum, populumque ſuæ vrbis, ex Inſula Rhodo, quo in exilium feceſſerat. Sedere ſe ait eo loci, cum famulis ſeptem, duobus ſodalibus, cum matre, & μετὰ γυναικὸς ἣ συνεξέπεσε, κωλυόντος αὐτὴν τοῦ πατρὸς, καὶ αὐτῶν ἴσως ἀναγκαζόντων τῶν νόμων, τὸν τρόπον τῆς πόλεως μᾶλλον ἢ τοῖς νόμοις ἐπιστευθῆ. Quæ verba non ſat ſcio cur non ita verterit Hieronymus Wolphius: *cum vxore, quæ vna mecum ex vrbe exceßit, prohibente eam patre, & legibus ſimiliter manere cogentibus, ſollicita magis de more quam de legibus ciuitatis*. Ἴσως aduerbium pro *fortaſſe* non ſemel ponitur, quomodo Wolphius vertit: Sed hic propria ſui notione *æqualiter*, ſeu *ſimiliter* ſignificat: vti res ipſa, verborumque ſententia clamat. Morem ſcilicet vrbis antiquum conſtitutionibus opponit: ille fuit benè moratæ ciuitatis germanus, particeps vt fieret vxor viri calamitatis; neque indiuidua hæc viuendi conſuetudo propter aduerſas illius res minùs conſtaret. Deinceps tamen viſum è re publica eſſe, ne vrbi ab exulibus ſolidè timeretur, vxores eorum Athenis manere; vt hoc vinculo neceſſitudinis, in officio, longeque à turbandi voluntate, ſibi in his metuentes, continerentur.

IV. Iure quidem, ſi politiam ſpectes; nam ferè ex talibus hoſtium exercitus armari conſueuerunt. Cæſar de bello Gallico loquens de quodam Senone: *vt primum defecerat Gallia* (inquit lib. . . .) *collectis vndique perditis hominibus, ſeruis ad libertatem vocatis, exulibus omnium ciuitatum receptis, latrociniis impedimenta & commeatus Romanorum intercepit*. Sanè Themiſtocles neceſſe habuit clam ciuibus ſuis vxorem, & liberos ad ſe in exilium interuentu Epicratis Acharnenſis exportare: quo nomine damnatus capitis fuit Epicrates ipſe à Cimone; vt ex Steſimbroto refert Plutarchus in vita Themiſtoclis. Confirmaturque eò, quod refert de filiis ſaltem Pauſanias initio Atticorum: Themiſtoclis liberis κατελθόντες *reduces*, in Parthenone (quod Athenarum templum eſt) tabulam quandam, in qua & ipſe pictus erat Pater dedicaſſe. Lacedæmone idem obſeruatum in vxoribus, & familia exulum fortaſſe comprobatur, eo quod à Tyrannis ciuium depulſoribus legitur olim deſignatus ager, vnde alimenta præſtarentur

tur τῶν φυγάδων ἀδελφαῖς, καὶ γυναιξὶ, καὶ μητράσι καὶ τέκνοις *exulum ſororibus, coniugibus, matribuſque liberiſque*: vti ait Polybius in excerptis de vitiis, & virtutibus *c*. Noſtris, hoc eſt Chriſtianis moribus, id iam non licet: ſed tradenda vxor, & in comitatu exuli danda eſt. V. Nihilominus tamen ad triremes damnatus (quæ nunc pœna pro metalli ferè inualuit) ſecum minimè defert, aut habet vxorem *d*: cum in reatu iſto commercium nequeat honeſtum eſſe matrimonij. Quippe obtinuit, etiam eos, qui coniuges ſunt, ſiue in tempus, ſiue perpetuò mancipari poſſe remigio agendo, nulla habita vxorum, aut viduitatis illarum cura: ne ſcilicet, vt exiſtimo, iniuria fiat reipublicæ, ſi euitare velimus priuatam vxoris iniuriam. Et ſunt è contrario ſtatuta huius temporis *e*, quæ familiam exulum in ciuitate nolunt manere.

VI. Quod autem dicimus non ſolui matrimonium deportatione, ad illud matrimonium referendum eſt, quod iure omnium gentium conſtat: nam antiquum, & quod erat inter ciues Quiritum iure, prorſus extinctum fuit peregrinitate: hoc eſt abrogatum ciuile nomen matrimonij, & impediti effectus legum, quæ de Iure Romani connubij ſcriptæ ſunt: à quo nempè recidit, deduciturue in id, quod partim fuerat antea, & nunc ſolidè eſt, videlicet iure naturæ matrimonium. Deficitur quidem vi, & intellectu Iuris ſcripti Romanis ciuibus: at manet quod natura ipſa eſt, & citra captum Romanæ Iuriſprudentiæ, alteriuſue intelligitur: *Hoc natura ipſa defendit, quæ* quidem (ait Tertullianus) *prima omnium diſciplina eſt*. Quem naturæ ſenſum noſtri auctores ſequuti *conſtare* aiunt, *manereque, nec diſſolui* (verbis alioqui vim ciuilis Iuris habentibus) *deportati matrimonium*. Næ hi vix putant infirmari ſcriptis legibus, quod conſenſu vtriuſque coniugum, & innato iure ſemel fuit contractum: nimirùm contenti beneficiis legum id ſpoliare dumtaxat, ex quo incœpit fieri non legitimum. Hoc magis placet quam vt matrimonium duret etiam Iure ciuili: quod Antonius Faber credidit in Iuriſprudentia *f*. VII. Conſenſus igitur ſi manet, & alter coniugum ciuis eandem retinet affectionem erga peregrinum *ademptis, quàm magnis primum, & integris opibus* (vti de Antonia Priſci, Gallique, Egnatia propter coniurationem Piſonianam deportatorum prædicat Cornelius XV. Annalium) conſtat equidem ſuo iure connubium. Ideo non diſſoluitur (inquit Vlpianus lib. VI. § I. De bonis damnatorum) *quia cum libera mulier remaneat, nihil prohibet, & virum mariti affectionem, & mulierem vxoris animum retinere*. Quod ſimiliter in reſcripto quodam reſpondit Alexander Imperator in l. I. C. de Repudiis. Ita nempe vxorem erga ſe animatam, vt non minùs deportatum, quàm ciuem, ac relegatum virum ſequeretur, oſtendit his Ouidius I. Triſtium, quæ nomine illius ſcripſit.

Non potes auelli, ſimul hinc, ſimul ibimus, inquit:
Te ſequar, & coniux exulis exul ero.

Quod aliter factum, ſcilicet mutatam fuiſſe alterutrius coniugum affectionem; *gratiamque* (vt cum Horatio loquar) *diſsiluiſſe* oportuit plane, ſicubi mentio fit in iure matrimonij per hanc occaſionem ſoluti. Nempe in Vlpiani l. XIIII § III. D. Qui & à quibus &c. *Si morte mariti ſolutum ſit matrimonium* (ait) *vel aliqua pœna*: Et in lib. XIII. §. I. De Donation. inter vir. & vxorem; vbi hoc ipſo fortaſſe ait ſenſu donationes fieri ſolitas inter coniuges *in cauſam deportationis, quemadmodum in cauſam diuortij*. Sed quia horum verborum ſententiam aliter accipio, quam vulgò ſolet, altero deinde capite vacuum erit, vt ille que hunc locum expendere. Saltem huc pertinet Paulus, qui hanc ſtipulationem, *ſi quo caſu Titia nupta eſſe deſierit dotem dabis*, committi (ait) etiam deportata vxore: in l. LVI. D. Soluto matrimonio &c. eâ ſcilicet, quæ in matrimonio non manſit.

c *Pag.* 123.

d *Videndi Gregorius in l.* 4. *tit.* 31. *gloſſa* 4. *Part.* 7. *Farinacius* 1. *tomo praxi criminalis q.* 19. *n.* 14. *& ſeqq. Grămaticus deciſione* 27. *in fine Bobadilla l.* 3. *c.* 15. *ex n.* 6.

e *De quibus Menochius conſ.* 954. *an.* 39. *Magonius deciſ.* 92. *n.* 52.

f *Tit.* 9. *princ. n. Illat.* 3.



Quid

Quid verò eſt, aut quo ſenſu donamus Vlpianum *g*, quando ex libertate
VIII. vxoris, quam verè retinet in exilio deducit; mutare ipſam, aut non mutare
*g d.l.6.§.1. D.Bon. damnat.* coniugis voluntatem poſſe? *Quia cum libera mulier remaneat* (inquit) *nihil prohibet, & virum mariti affectionem, & mulierem vxoris animum retinere.* Imò
ſi totum hoc negotium voluntatis eſt, vt apparet, non minus videtur ſeruus,
quam peregrinus liber, & ſuæ poteſtatis poſſe affectionem coniugis retinere,
durareque velle in matrimonio, ſeu coniunctione illa, quæ naturalis
eſt, nec legibus impeditur. Planè non debuit ea cauſa ab Vlpiano adſignari;
IX. aut in re aliquid latet quod aperiendum prorſus eſt. Fatemur idem ius
matrimonij naturale ſeruis, ac peregrinis conſtare: Coniunctio vtique maris,
& fæminæ, ſocialiſque tori communio primum Iuris iſtius exemplum
Iuſtiniano dedit. Sed vere alio, & alio modo à legibus, & Iure ciuili accipi-
X. tur coniugium ſerui, ac deportati. Serui matrimonium (naturali vtor verbi
notione) id habet dumtaxat, ſeu retinet quod naturale eſt, & perpetuum,
ſiue (vt ait Theophilus) *βέβαιον καὶ ἀμετακίνητον, firmum & immutabile.* Quo
nomine inter prima venit matrimonium ipſum; vti & liberorum neceſſitudines,
atque alia, quæ naturali honeſtate, ductuque ipſius naturæ ſe tuentur:
veluti Iura ſanguinis, puta ſeruiles cognationes, & affinitates, quæ nullo
iure attinguntur; quæque in antiquo ſeruitutis ſtatu natæ, manumiſſis
tandem inſpectione ciuilis Iuris conſtare incipiunt l. XIV. §. II. & III. D. De
Ritu Nuptiarum §. X. Inſtit. De Nuptiis. Vt ſcilicet manumiſſus matrem
ſororemue, aut ſororis filiam, ſimileſque neceſſitudines ducere prohibea-
*h d.l.14.* tur: quoniam in matrimoniis (ait Paulus *h*) *naturale ius, & pudor inſpiciendus
eſt.* Inſpectione inquam Iuris ciuilis non niſi manumiſſis conſtant: cæterum
Iure naturæ, & honeſtatis naturalis etiam ſeruis turpe eſt aſcendentibus
ſaltem, deſcendentibuſque iugari: nec tantum Iure gentium inceſtuoſæ
hæ nuptiæ ſunt, quod ait Paulus in l. vltima. De Ritu nuptiarum: niſi
Iuris gentium nomine id ſignificet, quod natura vniuerſum hominum genus
docuit. Nec me vnquam Harmenopulus in hoc induxerit, vt credam,
*i Tit.1.§.15.* miſceri matribus, aut non miſceri promiſcuè accipiendum inter ἐθνικὰ νό-
*k De nuptiis c.5.* μιμα ſiue *Gentium Iura*: quorum vtrumque apud varias gentes in vſu eſſe in
Promptuario *i* obſeruat: quod ipſum iam ex pluribus antiquis ſcriptoribus
*l De nuptiis l.5.c.7.* adnotauerunt Hotomanus *k*, & Albericus Gentilis *l* de Nuptiis commentantes.
*m Grotius de Iure belli l.1.c.1.n.12. Hillig. cum multis ad Donel. l.1.c.7.lit. A. Conanus l.1. comm. c.5. n.6. Bachouius in §. Ius autē ciuile. Inſt. De Iure naturali &c. & ante hos omnes Antonius Auguſtinus l.4. emendat. c.4.* Ego è contra, naturalis Iuris eſſe, quæ cum naturalem habeant honeſtatem,
non niſi turpiter violantur, exiſtimo; & mecum plures *m*: qui
rem ſeriò confirmant ex Philoſophis. Vnum tibi Paraphraſtem Ethicorum
Nicomacheorum doctiſſimum pro multis laudo, quem Andronicum Rhodium
appellare ſolent. Hic lib. V cap. X. ὅτι ἐφ' ὧν οὐδὲν κωλύει φυσικὸν εἶναι δί-
καιον (inquit ad finem) ὅτι ἔνιοι δίκαιον οὐ νομίζουσιν αὐτὸ δῆλον. *Quare nihil obſtare
conſtat, quominùs naturale ius ſit: quòd nonnulli homines ius illud non eſſe exiſtimant.*

XI. Quæ vero introduxit Gentium Ius, ſcilicet Dominium bonorum,
poteſtas contrahendi, multa inſuper matrimonij beneficia, & iura dein excogitata,
nil mirum ſi altera eiuſdem met Gentium Iuris inductione, ſeruitutum
nempe, quæ conditio talis natura ſua eſt, vt hæc omnia tollat, à ſeruis
auferantur. Denegat igitur eis Ius ciuile, priuatis legibus humana reperta
confirmans, quidquid inuentum fuit vſu exigente ad commodiorem
vſum matrimonij, illibatum relinquens (quod ſecus eſſe haud poterat) omne
id, cuius naturalis eſſet honeſtas, de quo & perpetuum, & immutabile na-
XII. tum, infixumque erat ſingulis hominibus præceptum. Nec non etiam, ne
ſub eodem nomine leges comprehenderent naturalia coniugia, & iuſta, legitimaque;
matrimonij appellatione ciuibus reſeruata, contubernij dumtaxat

taxat nomine ſeruos dignata eſt ciuilis Nomenclatura: quâ etiam qualeſcumque iniuſtas nuptias Iuris libri accipiunt. Et planè contubernium tam nudè dicitur de conſuetudine ſimul, ſubque vno tecto habitandi, vt milites quoque, qui vnà degunt in expeditionibus bellicis, hique fortaſſe primi, contubernales Feſto Pompeio teſte: filiique, & quæcumque cognatio ſua ſeruo commoratur, ſimiliter appellentur in lib. XII. §. Inſtructum D. De Inſtructo fundo &c. De nomine nil moror, vtrum ſeruilibus coniunctionibus relicta ſit contubernij appellatio; noui tamen, & inter affectus ſeruiles monumentis ſepulchrorum inſcriptos nomen etiam coniugis in luce ipſa vrbis, & legum exarari ſolitum *n*: & nuptias tribuere ſeruis Plautum, externo ſaltem ritu, & ſtylo. Prologus ait Caſinæ.

n V. Inſcr. 1 & 2. pagina 612. in Theſ. Eruterianas.

*Quæſo hercle quid iſthuc eſt? ſeruiles nuptiæ?*
*Seruine vxorem ducent, aut poſcent ſibi?*
*Nouum attulerunt, quod fit nuſquam gentium.*
*At ego aio hoc fieri in Græcia, & Carthagine,*
*Et hic in noſtra terra in Apuliâ:*
*Maioreque operâ ibi ſeruiles nuptiæ,*
*Quam liberales etiam curari ſolent.*

Quanquam audiendum, non auſcultandum comice ludenti mos Græciæ diuerſus Samueli Petito *o* etiam notus ex Demoſthene, facilè in reliquis perſuadeat: quod & vidit Andreas Tiraquellus in notis ad Alexandrum Neapolitanum *p*. Quidquid cautum ſit, inquam, aut ſolenne legibus, aut moribus de hoc coniugio ſeruili, procul ſanè dubio eſt ciuilia omnia, & gentium iura ſublata ei propter ſtatum ſeruitutis; nam hactenùs potuit: naturalia, & quod matrimonium natura ſua eſt, non minus ſeruorum eſſe, quàm Romanorum ciuium, aut peregrinorum. Sed quia ſine vllo effectu Iuris contubernium ſeruorum eſt, nulla eius cura, mentione, aut reſpectus à Iuris noſtri auctoribus habetur.

o Ad leges Atticas l. 6. tit. 1. inſ.
p L. 2. c. 5.

At deportati matrimonium, quia non tantum naturæ lege conſtat, ſed XIII.
inſuper non vlla Gentium conſtitutione abrogatum, aliquaue ex parte fuit minutum, haud verentur auctores Iuris abſolutè id hoc nomine inſignire: cum Iura & omnia competant, quæ matrimoniorum ſunt generalibus, & humanis gentium legibus: contenti, ſi matrimonium hocce, quod ſpeciali Iure ciuitatis careat, non iuſtum, non legitimum, ſeu expers legum Romanarum appellent, quæ de matrimoniis conſcriptæ olim ciuibus ſunt. Gen- XIV.
tium Iura, niſi corrigantur ciuili aliqua conſtitutione, etiam in vrbe, & inter leges ſuam vim obtinent. Quare ne obſeruentur, prohibitione Iuris ciuilis eſt opus l. XI. D. de aquirendo rerum dominio leg. I. D. eodem leg. IV. D. Nequid in loco publico. Imò adiuuantur auxiliis legum, ne irrita ſint. Nam ecce dotem ea matrimonia non recipiunt, quæ improbantur legibus l. III. De Iure dotium: & tamen deportatorum coniugia, quia nulla lege improbantur, ſed tantum commodis ſpoliantur ciuilibus, dote cenſentur li. V. De bonis damnatorum: quatenuſque auxilio Iuris ſcripti ſuſtinentur, vt conſtet his quidquid vbique fermè gentium habent, pariter reputantur cum eodem iure ſcripto, & ſpeciali. Teſtimonium præbet inſigne huius obſeruationis Alexandri reſcriptum Abutinianæ datum, quæ maritum in deportatione affectu coniugis adhuc obſeruabat in lib. I. C. De Repudiis. Ipſo XV.
iure (ait) non eſſe ei dotis exactionem, cùm deportatione matrimonium non ſoluatur; ſed ex æquitate admittendam, ne indotata maneat. Sperabam contrarium. Iure nempè ciuili competere dotis actionem, quia iure hoc matrimonium fuiſſet ruptum. Planè id eſt quod dicimus; Deportatorum connubia his dumtaxat prohibentur, quæ inuenit Ius Romanum; nec vlla

re

re decidunt, quæ Iuris vniuerſalis ſit; deinde etiam, ne quid ex his vniuerſalibus pereat eis, Iure ipſo ciuili, & auxilio legum rei ſuæ compotes fiunt. Et quidem in dote id contingit, quæ cùm inuenta non ſit lege Romana, ſed actione dumtaxat Romani iuris munita, Ius ipſum ciuile eſt, ne dotis reſpectu intelligatur ruptum matrimonium. En quomodo deportatus aliquo

XVI. reſpectu ad leges pertinet: quod maximè nota dignum cenſeo, alias in actionibus deportatorum iudicium expoſiturus de hac re fixum mihi, & antiquum. Cùm ergo duret matrimonium reuera; Iuris ciuilis fictio de morte deportati continet ſe intra ſua beneficia: iureque ipſo dotis actio con-

XVII. ſtante matrimonio non competit: ſed æquitatis tantum ratione: quoties maritus vergit ad inopiam l.XXIIII. in principio D. Soluto matrimonio &c. lib.XXIX. & XXX C. de Iure dotium. Et quidem non vergere ad inopiam, ſed labi ſuis facultatibus, eſt deportari: cum hæc pœna omnium ſit bonorum ſpoliatio l. vltima C. de ſententiam paſſis. Admittitur ergo tunc temporis vxor eius, qui deportatur, petere dotem ſuam à fiſco: non tanquàm creditrix mariti (quod alias fieret, ſi nollet amplius in matrimonio eſſe; nam creditoribus ſatisfit à fiſco) ſed hoc beneficio legum: neque enim debet maritus dotem viuus, & in matrimonio manens ante diuortium, vel mortem. Sed quia ipſe bonis multatur, vxor agat; ne pareat ei ſua dos. Et hæc eſt Reſcripti ſententia in l.I. C. de Repudiis. Habes quid in vtroque caſu, ſiue mariti, ſiue vxoris damnatæ, iuris ſit de dote. In Reſcripto alterum deciditur: incolumi vxori dotis actionem ex æquitate dare; vt dotem à fiſco auferat, retineatque apud ſe, quâ virum alat in calamitate exilij, eidem reſtituen-

XVIII. dam, ſi reſtitutus fuerit ipſe: quod æquitas q ſuadet. Sed de reſtitutorum

q V. Gailiũ l. I. obſeru. ſ. 85. iuribus alio loco nos. De altero caſu, nempè vxoris deportatæ ſcripta eſt l.V. §.I. De bonis damnatorum: manere dotem penes virum incolumem, ſi perſeuerare in matrimonio ambo velint: ſi quidem nulla ex quinque legibus damnata vxor ſit, ex quibus dos publicatur, l.III. D. de bonis damnatorum. Atqui tunc demum de dote acturam mulierem deportatam, quando diſſolutum ſit alterutrius diſſenſu matrimonium: acturam, inquam, vtili actione: quod prolixa deinde oſtenſura eſt diſputatio Filiæ autem familias nomine parentem actione iſtâ, ſed directâ, & ciuili vſurum, ait Vlpianus. Ergo vt finiamus, quia nullam curam habet Ius ciuile contuberniorum ſeruilium; imò vix habet ea pro iugalibus coniunctionibus; Vlpianus idem, vt doceret in l.V. §.I. De bonis damnatorum, quam explanamus, conſtare matrimonium deportatorum, iure gentium ſaltem cum his effectibus, qui ab eo oriuntur, aptiſſimâ vſus eſt ratione libertatis fœminæ, ſeu coniugis deportatæ: quæ quidem libertas ſi auferretur, omnibus his, & matrimonij appellatione decidendum ei eſſet.

XIX. Sed adiungendum; quòd pœna deportationis operetur, ne iure Quiritum coniuges vltra ſint, quorum alter deportationem paſſus eſt; ſuſceptos liberos ex eo matrimonio. quod conſenſu tantum, & lege naturæ conſtat, legitimos non eſſe, ſed naturales, qui quidem ex conſortio naſcuntur à legibus alieno. Nec alio modo ſe leges habent erga eum, qui ſuſcipitur ex peregrino (vt ita dicam) nato matrimonio, in quod exteri omnes conueniunt, atque erga eum, qui ex peregrino facto matrimonio ſuſcipitur. Cum id non

r L.17. Coniect. c.20. probat in coniecturis r doctiſſimus Faber, longiùs abſcedit meo iudicio à veritatis via: in qua ſtat, ipſum coarguens D. Franciſcus de Amaia noſter, ſubtilis veterum Iuris auctorum Iudex, & callidus, lib. I. Obſeruationum cap.XII.n.16.

XX. Dictum hucuſque durare matrimonium eadem affectione coniugum manente, hoc gentium Iure. Diſſenſus tamen alterutrius eorum hoc facit, ne ſint

ne ſint deinde coniuges vllo iure, quod ethnicis notum eſſet. Hic non inutiliter quæres, ad quam ſpeciem diuortij pertineat hæc cauſa. Planè ſi communi conſenſu hoc fiat, videbitur vtique diuortium *bonâ gratiâ*, ſiue (vt vocat alicubi Plutarchus) μετ' εὐφημίας factum: quod ſine cauſa offenſionis aliqua veteres vſurpabant l. ſi conſtante IX. C. de Repudiis; Nouella CXI. XXI.
Quid ergo ſi alteruter eorum tantum mutet voluntatem, erit ne iuſta cauſa diuortij calamitas deportationis; ne ille qui manet in ciuitate diuertens, pœnis diuortij malâ gratiâ, hoc eſt non ex communi conſenſu facti, obnoxius fiat? Romanis me reſponſurum edico, non Chriſtianis, quorum aliæ, ac multùm diuerſæ nuptiarum leges. Profectò iuſta cauſa eſt infamia damnati, & magna diminutio capitis; ciueque digna excuſatio, nolle ſe ignominioſo, & peregre in pœnam eunti coniugem vltra eſſe. Iuſta, inquam, ciueque digna, ſi leges ſpectemus. At honeſtatis, & charitatis ratio laudem ſuam conſilio iſti non diuertendi ſeruat illibatam; ſi *deſerere* virum, *& de iuuare in rebus aduerſis*, (vt Plauto vtar) *pudet* vxorem probam. Ideo Alexander Imp. in reſcripto ſuperius adducto laudandum vocat hoc vxoris propoſitum: & Tacitus lib. XV. Annalium; *Priſcum* (ait) *Antonia Flacilla coniux comitata eſt, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum & integris opibus, mox ademptis. quæ vtraque gloriam eis auxere.* Videſis l. XXII. §. VII. D. Soluto matrimonio &c. Quare & inter bona aliqua exempla calamitoſiſſimæ, ac deploratiſſimæ reipublicæ, ſecutas maritos in exilia vxores iure poſuit idem Tacitus initio Hiſtoriarum. De Herodiade virum Herodem comitante in exilium Gallicum adeundus Ioſephus lib. XVIII. Antiquit. cap. IX.

Superiora omnia ſpectare ad Ius Romanum ſiue ethnicum, nemo dubitauerit, qui matrimonij Chriſtiani inſeparabilem coniunctionem ex Dei præcepto, & inſtitutione animaduertat. Scripta eſt igitur huius antiquæ in matrimoniis deportatorum obſeruationis noua, & Chriſtiana abrogatio in Nouella XXII. cap. VII. VIII. & XIII. Vnde ſignanter Baldus annotauit ſ, adulterium in exulis coniuge non minùs committi, quam in ciuis integri vxore. Teneturque virum in exilio vxor comitari: *quid enim tam humanum eſt* (eleganter ait Vlpianus) *quàm vt fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem eſſe?* Tuetur hanc partem laudatis pluribus defenſoribus Thomas Sanchez lib. I. de Matrimonio diſputatione XLI. n. 12. Attamen redire ad coniugem hæreſis damnatum vxorem non teneri quidam exiſtimant apud Dianam Parte VI. Tract. VII. Miſcellaneo, Reſolutione XXV. XXII.

Vtiliter tamen, quamuis improprie, coniugem eius, qui in exilio, aut remigio deputatus eſt, viduam ſe dicere poſſe ſcribit Felinus t: vti & eccleſia Epiſcopum habens inutilem viduata dicitur in capite ſecundo, §. Sed neque iſtud. De Tranſlatione Epiſcopi: & vxor vidua reputatur u, ſi maritum habeat inutilem. Nec ſine reſpectu aliquo ad antiquam, & Romanam verbi originem à Iauoleno tactam in lib. CCXLII. §. viduam. De verbor. ſignificatione. Quo ſenſu & viduam dicit Iauolenus idem, eam quæ repudio, aut diuortio dimiſſa eſt, in l. LXIV. De Donat. inter vir & vxorem: & Higynus fabula VII. & eam, quæ commercio abſtinet coniugali, Tertullianus de Monogamia cap. vltimo, & lib. I. ad vxorem cap. VI. Præterquam quod ſæpè offendimus viduam pro virgine, apud idoneos auctores, vt ex ea lege CCXLII. & aliis Martinus Delrio obſeruat ad Medeam Senecæ, verſu XV. Hilligerus lib. VIII. Comment. Doneli enucleatorum cap. XXXII. lit. X. Did. Couarruuias lib. Bracticarum cap. VII. vidimus nos Apuleium ſic loquutum de Pſyche domi reſidente, nondumque virum paſſa, IV. Metamorphoſeos: & Maximianus Poëta elegia I. XXIII.

*Nam dum præcipua cupio me iungere formæ*

ſ In l. omnes C. ſi contra ius &c.

t In c. ſignificantibus n. 8. De officio de leg. Couarr, 7. Pract. n. 2.

u Gloſſa in l. fin. verbo orbitates C. ad l. Fab. de plagiar. Alciatus in l. 242. §. viduam de V. S. & alij apud Couarr. 5. Practic. n. 2. verſ. Eſt & in hoc. Mexia in l. Toleti Io. fundamēto 2. par. n. 12

Gailius 1. obſeruat. c.4. n.44.

*Remanſi viduo frigidus vſque toro.*

Et quod ad exulis coniugem auxilio, & adiutorio viri orbatam, quamuis non ſine viro ſit, pertinet magis, Actius in Prometheo, cuius fragmentum laudat Cicero in ſecundo Tuſculanarum. Religatum eum in Caucaſo, & vulturi expoſitum ſic loquentem inducit. *Sic me ipſe viduus peſtes excipio anxias.*

# CAPVT NONVM.

## De donatione inter coniuges exilij cauſa, & an per exilium confirmetur mortis cauſa donatio.

I. *Difficultas l.* XIII. *§.* 1. *De Donationibus inter virum & vxorem.*

II. *Donatio inter coniuges mortis cauſa an per deportationem confirmatur.*

III. *Donatio inter coniuges in cauſam deportationis valet.*

IV. *Quonam tempore debeat hæc fieri.*

V. *Donatio facta coniugi deportato ſtatim valet.*

VI. *Quid de eâ dicendum, quæ à coniuge deportato fit.*

VII. *Vlpiani obſcura ſententia in dicta l.* XIII. *§.* 1. De Donation. *inter &c. aperitur.*

VIII. *Donationes mortis cauſa factæ confirmantur per deportationem.*

IX. *Sed non ſtatim traduntur res integro coniugi: ſed vſque ad mortem naturalem donatoris à Fiſco poſſidentur.*

X. Nihil *aduerbium, quomodo ſubſtantiuo nomini iunctum ſignificet.*

XI. L. XXIIII. *C. de donat. inter &c. ab Vlpiani dicta l.* XIII. *deducta: non hæc à Triboniano ſecundùm illam reformata.*

XII. *Humanitatis ratione confirmatio harum donationũ admiſſa.*

Piaculum committam, ſi verſatus in connubio exulis, Vlpiani reſponſum, quod huius tractationis eſt, non vindicem pro viribus à manu correctorum; oſtendamque ſano corpore opus non eſſe medicina. Planè quamuis arduum ſit cum doctiſſimis viris contentionis Serram reciprocare, pro vulgari tamen Iuris lectione, quo vnicum ciuilis doctrinæ lararium cenſeri debet, tanquam pro aris, & focis decertare, non vſquam vacuum laude erit. Nec tamen venit in mentem mihi, vt eorum interpretum, qui hac ipſa religione ducti rem oſtendere iuxta fidem vulgaris ſcripturæ conati vſpiam ſunt, obſtruere luminibus videri cupiam: aliquod tamen in arduam viam, ſi non vlterius, at certius, & illuſtrius veſtigium ponere animus eſt.

I. Difficilis, & Triboniani lucernam olere videtur ſagaciſſimis viris Vlpianus in l. Sed ſi mors XIII. §.1. D. De donat. inter vir & vxorem: vt non fruſtra ſit, qui germanam eius ſententiam è verbis planè ſuſpenſis, & obſcuris eruere denuò velit. Vt rem agam. antecedenter ad priora iſtius §. verba, nempe initio legis, id poſuit Vlpianus; donationem vxori cauſa diuortij factam

ctam infirmari, ſi mors viri ſequuta ſit: quia nempè donatio in alium caſum ſcilicet diuortij, non in mortis facta proponeretur. Deinde quærit in §. noſtro. *Proinde & ſi mortis cauſa vxori donauerit, & deportationem paſſus eſt* (alius nempè caſus eſt à morte deportatio diſerta, & naturali ſignificatione verbi, quam loquutus videtur is, qui donauerat) *an donatio valeat videamus.* Ponam ſemper ob oculos ſermonem ipſum auctoris, vt præluceam commodius, atque ἐν παραφερὲιν facem explanationis. Aduertit ſtatim, ne remoretur ſcrupulus lectorem; *valere aliàs donationem factam in cauſam deportationis, quemadmodum*, ſiue, ita vt valet, *in cauſam diuortij.* Hoc monet obiter, poſita vtriuſque cauſæ ſimplici comparatione; non vt omnimodam, accurationemue deportationis cum diuortio ſimilitudinem in conditionibus donationum conſtituat, quod viſum fuit non nemini a: deinde neque vt idem factum diuortij ſemper ſubindicet, non aliam ſignificans deportationem, quam ſi diuortium, quod fit mutata voluntate, ſubſequatur. Imò ἁπλῶς, & ſimpliciter hoc ſcire nos voluit, quod alibi Paulus eadem breuitate docet; *inter virum & vxorem exilij cauſa donationem fieri poſſe* l. XLIII. hoc eodem tit. Cùm igitur docuiſſet de mortis cauſa donatione, ſuſtineri eam non poſſe, aut explicari in cauſa diuortij; quia ſcilicet in cauſam diuortij non videatur feciſſe, qui mortis cauſa donauit, quamuis alias diuortij cauſa facta valeat: deinde quærens an eadem cauſa mortis donatio explicari queat in caſu deportationis, neceſſe habuit non omittere, cauſa etiam deportationis donari ſolitum fuiſſe. Quo poſito, valeat ne fictio illa in hac re iuris ciuilis, rogat, *deportatum* ſcilicet *pro mortuo haberi*, vt hactenus fiat verborum donationis interpretatio. Et hoc fuiſſe in hac notâ propoſitum auctoris, in omnes fortunas meas pignus dabo; contra quam exiſtimat, Scipio Gentilis in tractatu ſuo de *Donationibus inter Virum & vxorem* lib. II. cap. XXXII. quem ſequitur D. Franciſcus Amaia lib. I. obſeruat. cap. XII. n. 24. Valet ergo (vt ſolidè hoc explicatum maneat) exilij cauſa facta donatio; quod aiunt Paulus, & Vlpianus; ſiue ab eo fiat, qui in exilium ducitur, ſub ipſum tempus exilij, ex his bonis, quæ ſeruauit ei ſententia; quod ex vero cenſet Gentilis, nec non & Antonius Faber Decade XLVI. errore LV. Planè enim haud credibile eſt ominosâ hac obligatione deuinxiſſe aliquem ſe ante delictum; aut ſaltem non ferendum perpetrato delicto, in poteſtate illius fuiſſe, (vti Baldus ex hoc loco exiſtimabat b) fraudem vt faceret huiuſmodi donationibus publicationi futuræ: ſiue etiam ab eo fiat, qui manet in ciuitate, alteri coniugi deportato.

Duplex igitur inſpectio rem terminabit: prior, quando confirmentur hæ donationes cauſa exilij factæ: deinde altera, quæ huius loci potiſſimum eſt, an mortis cauſa factæ, deportationis, quæ vicem gerit mortis, caſu accidente confirmentur. In priori, donatio ab integro coniuge facta, vt ſcilicet in paupertate, & calamitate exilij damnatus alter ſe tueatur, ſtatim valet: ſimiliter atque aliæ plures à Iure receptæ conſtante matrimonio. Et in hoc laudo librorum Iuris æconomiam, quod inter alia Vlpiani, Liciniani, Caij fragmenta de his iuſtis donationibus, Pauli hoc de exilij cauſa donatione Tribonianus conieceril, in l. XLIII. De Donat. inter &c. Facta autem à coniuge iam deportato, ei qui manſit in ciuitate, certè ciuis, haud eget iuris ciuilis confirmatione, cuius expers factus fuit deportatus per ſententiam. De eo loquimur, cui relictum quidquam fuit in bonis, cum deportaretur. Quod Vlpianus equidem vocat hoc loco in dubium, id eſt, quod deinde poſui: an ſcilicet morte ciuili, ſiue deportatione confirmentur donata vxori mortis cauſa: Videlicet ſine fraude, aut pœnæ ſuſpicione; nam de aliis fruſtra quæras, quo tempore confirmentur, ſi quidem iure ipſo reuocantur

Margin: II. III. IV. V. VI. VII.

a Scip. Gentili infra adducendo.

b In l. exequutorem col. 9. verſic. Quaro quidã C. de exceptione rei iudicatæ: quem Baldi errorem Faber refellit decade 46. c. 4.

uocantur l. VII. D. De cauſa mortis donat. l. XV. De donationibus. Reſpondetque mira breuitate, vtrimque rationes dubiè, ſed occultè, verbiſque vix aſſequentibus propoſitum animi, conſiderans; *cum deportatione matrimonium minimè diſſoluatur* (quemadmodum morte diſſoluitur; ſi quidem nec eo caſu ſi duret affectio coniugum, dos exigi iure ipſo poteſt l. I. C. de Repudiis) incongruum videri, mortis effectus deportationi, quæ tam à morte diſtat hoc reſpectu, tribuere. At ex alia parte quia *& nihil vitium mulieris incurrit*, hoc eſt, nullo delicto ſuo meretur mulier à fiſco auferri ſibi hanc donationem quæ alioqui mortuo in ciuitate marito ad eam perueniſſet, media via æquitatis electa, *Humanum eſt* (inquit ille) *donationem, quæ mortis cauſa ab initio facta eſt, tali exilio ſubſequuto confirmari: tanquam ſi mortuo marito rata habeatur.* Ita eſt in vulgatis, cum Florentiæ ſit *habebatur*, eodem plane ſenſu.

VIII. Humanum eſt nimirum, iuris fictionem illam, quod ſpeciem gerat mortis deportatio, id quoque operari, vt etiam conſtante re vera matrimonio, & abſque mortis euentu, donationes ante pœnam factæ mortis cauſa, deportatione, tanquam ſi mors ſubſequuta eſſet, confirmentur: ne mariti delicto, quod ſolus luere debuit, inculpatæ nocitum ſit vxori; ſecus atque fieri æquum fuit, argumento tituli in codice, Ne vxor pro marito &c. Alias Fiſcus, qui creditoribus damnati tenetur, ſi nihil ab hac cauſa, publicationis hoc tempore, vxori debebitur, (quod alioqui ſummo iure contingeret) omnem ſubſtantiam deportati ſibi infuſurus eſt.

IX. Sed quid ait? deducendum ex bonis deportati res donatas, vxorique ſtatim tradendum? Minimè quidem, vt exiſtimo: Fiſcum imò cum ſua cauſa interim habiturum, dum vel in exilio moritur cum eadem voluntate donandi, vel reſtitutus ad omnia bona ſua redit maritus. Vlpianum audiamus, cui quidem λόγον λευκὸν (vt aiunt Græci) *ſermonem album* fecimus. *Ita tamen vt non adimatur licentia marito eam reuocare, quia & mors eius expectanda eſt, vt tunc pleniſſimam habeat firmitatem, quando ab hac luce fuerit ſubtractus ſiue reuerſus, ſiue adhuc in pœna conſtitutus.* Hanc in periphraſi Vlpiani ſententiam dantes obuiam planè imus coniectationibus interpretum toto cælo diuerſis, qui vel aſcititia verba hîc ſibi fingunt, vel recepta, & vulgaria non ſatis capiunt. Ex his poſterioribus quidam eſt alioqui ſolidè doctus, Profeſſor Salmantinus c; quem erroris à me expoſtulatum non inſignire ſuo nomine, humanitatis plurimum referre iudico. Hic verba illa, *& nihil vitium mulieris incurrit* poſita eſſe ait ſignificare vxoris propoſitum non diuertendi: male quidem; neque enim abſcedendi à marito peregrino facto voluntatem vitij nomine vſquam acciperet illa ætas legum: cùm prorſus liceret, nec inhoneſtum eſſet diuertere ciuili æſtimatione. Verus ſenſus horum verborum eſt, quem iam oſtendimus: *Nihil vitium mulieris incurrit*: is ſcilicet, *Non vllum vitium, ſiue demeritum mulieris interceſſit.* Aduerbia hæc *nihil, parum, ſatis* eadem forma ſubſtantiuis iungunt Latinorum potiores: vt vel inde fiat planum nihil non elegantiarum Romani ſermonis Vlpiani libros continuiſſe. Plautus Epidico Acta II. ſc. II. *Nihil in ea re captio eſt.* Symachus. *Nihil negotium eſt rebus cognitis immorari.* Cicero etiam in epiſtolis ad Atticum, *ſi ſatis conſilium quadam in re haberem* d.

(margin, beside IX: c L. I, obſerua. c. 12.)

X. (margin)

XI. Tranſeo ad Triboniano-maſtyges. In his eſt, quem honoris ſemper cauſa nomino Iacobus Cuiacius lib. III. obſeruat. cap. X. Cui comitem ſe dat Antonius Faber in Iuriſprudentia Tit. I. principio I. illatione III. ac Decade XLVI. errore IV. Tribonianum cenſent huic Vlpiani loco attexuiſſe aliqua ex Conſtantini ſanctione, quæ eſt in lib. Res vxoris XXIV. C. hoc eodem tit. Quod Cuiacio manifeſtè indicat ſtylus vtriuſque legis ſimilis: cum vtique magis ſit (niſi fruſtrantur nos oculi, & ingenium) vt Conſtantinus ab Vlpiano

d Adi Taubmanū in locum iſtū Epidici, Gruterum in Menechmis, prologo. Pareum in lexico.

pia no ſententiam mutuauerit, quàm vt impingamus temerè hanc dicam conturbati Iuris Digeſtorum magno compilatori. Scipio autem Gentilis paulo aliter accepit hoc factum; ſententiam nempè iſtius legis XX. III. quæ omnino ſcripta eſt de donationibus directè, ac ſimpliciter factis, extendiſſe Tribonianum ad donationes mortis cauſa, confictò. & interpoſito in digeſtis hoc §. I. huius lib. XIII. quem explicamus. Et quidem videtur reſcriptum dumtaxat cauiſſe, vt monet Gentilis, de inter viuos donationibus; cæterum quod ſuſpicetur de Triboniani facto, ſomnia hæc ſunt, quæ vigilantes etiam, & ſobrij interpretes cernere ſolent. Magis profectò apparet manus ſectoris in edicto eo Conſtantini. huius l. XXIII. quod mirè diuerſum legitur in codice alio Theodoſij l. I. De bonis proſcriptorum. Cuius Conſtantiniani reſcripti ſententiam (vt videatur prorſus Vlpiano conſentire) legi apud Fabrum malo, decade XL VI. errore IV. Certum planè mihi eſt, non arbitrarium, quod quid inducere noui Conſtantinus eo loco velle videatur, humana æquitatis ratione ab Vlpiano iam olim fuiſſe receptum: quod quamuis vltimæ voluntates damnatorum irritentur l. VI. §. VII. De iniuſto, rupto, &c. quarum in numerum hæ tribuuntur donationes, vt fit in deductione legis Falcidiæ, lib. In donationibus C. ad leg. Falcidiam: & quamuis alias mortis cauſa donatio, ab eo facta, qui poſtea damnatur capitis, tanquàm imperfecta remoueatur; quod ipſe ait Vlpianus in lib. VII. De cauſa mortis donationibus; quoniam ex ſuſpicione facta ſit pœnæ, vel etiam ſine ſuſpicione, vt videtur in caſu legis XXII. §. VII. De donat. inter vir. & vxorem: quod, inquam, in cauſa coniugali, ea quæ pudicitiæ præmio cedere debuerunt in vxorem collata, delictum viri non auferret, ſed confirmaret quodammodo, velut morte intercedente, ita tamen, vt plenam firmitatem ante ipſius naturalem mortem non acciperent. Profectò, niſi aliter eſſet ſummo iure, non vtique Vlpianus humanitatem ſententiæ ſuæ prætenderet. Tandem Benedictus Pinelus lib. II. Selectarum cap. II. valde ſuauis eſt, qui negationem tollit ex illis, *cum deportatione matrimonium minimè diſſoluatur.* Qui hoc non videt haud ſatis ex animi ſui ſententia, iudiciique examine virum Iuriſperitiſſimum exiſtimaſſe, verè is cerebri infælix eſt. XII.

# CAPVT DECIMVM.

## Facti rebus non prohibere Deportatum: & an electio facti res ſit.

I. *Deportatus facti rebus non interdicitur, Iuris interdicitur.*

II. *Ideò poteſt in exilio reuocare donationes.*

III. *Et electionem facere.*

IV. *Regula hæc præ aliis aliorum in re commendatur.*

V. *Secundum voluntatem diſponentis mors de ciuili, aut naturali accipitur.*

VI. *Et vel quæ facti ſunt, non pertinent ad deportatos. Explicatur lib.* LXIX. *De legatis libro tertio.*

VII. *Filij non legitimi, ſeu naturales an deficere faciant conditionem illam; ſi ſine liberis deceſſerit.*

VIII. *Filij in deportatione ſuſcepti quare non faciant eandem conditionem deficere.*

IX. *Facti, an Iuris, ſit electio.*

X. *Improbantur eorum rationes, qui docent rem Iuris eſſe.*

XI. *Serui quoque factum expediunt electionis ſibi commiſſum.*

XII. *Ius electionis, electio, & factum eligendi quatenus differant.*

XIII. *Electio commiſſa in teſtamento an vim diſpoſitionis habeat, an conditionis?*

I. DEinceps, quoniam intellectum habent naturalem ea quæ facto expediuntur, nec ad iura ſpectant, deportatus facti rebus non prohibetur.
Quoties intercedunt ciuilia, & legitima hic nuſquam apparet; & pro mor-
II. tuo habetur: ſi tamen factum aliquod vertitur, iam præſto eſt. Ideo quia
in reuocatione donationis vxori factæ, plus animi, & facti, quam Iuris eſt,
deportato licet in exilio voluntatem mutare; quod nuper ex Vlpiano au-
III. diuimus: item electionem ſibi commiſſam expedire l. LXXVII. §. IIII. D. De
legatis, ſecundo: l. XVII. §. VI. D. Ad S.C. Trebellianum. Sed quia non om-
nes cauſæ in hanc regulam coniici poſſunt, quas ad deportatum pertinere
adnotant Iuris auctores, alias alij excogitant. Quidam *a* in eo conſtituunt
IV. regulam; quod quæ in futurum conferuntur, ea deportato propter ſpem
reſtitutionis non pereant: Alij *b* haud abſimiliter, iura conditionalia non
tranſire ad fiſcum; nec tam pro mortuo haberi deportatum, quam ſeruus
habetur. Aliis *c* placet, deportatum videri ſibi mori, non extraneis: mortui
loco eſſe, ſi de commodo ipſius agitur: quoties vero de iure alterius quæri-
tur, deportatum remota fictione Iuris, pro eo, quod natura eſt, ſiue pro vi-
uo haberi. Rem ego expediam verbo: Quæ facti, non iuris ſunt, haud pe-
rimi deportatione, imò à deportato peragi poſſe; ſi tamen voluntas teſta-
toris in cauſis vltimarum voluntatum, ſiue viuentis in contractibus, non
aduerſetur; quæ ſumma ratio, & norma eſt rerum ritè gerendarum. Nam
de conditionalibus, quorum dies nondum venit, quid mirum eſt non amit-
ti, in ſpem reſtitutionis l. intercidit LIX. l. CIIII. D. de Cond. & demonſtra-
tionibus? Expreſſa quidem voluntas, ſiue indiciis deprehenſa hoc efficit, vt

*a Loriatus de Iuris arte l. 1. Tra. de morte Merillius l. 4. obſeruat. 21.*
*b Scipio Gëtilis l. 1. De Donat. c. 32.*
*c Pet. Fabro 2. ſemeſt. 13.*

mors

mors ciuilem ſignificet, aut naturalem interitum. Ecce enim in duobus factis, ſeu facti rebus, coniectura hæc voluntatis operatur, partim pro viuo vſque ad mortem naturalem, partim pro mortuo, & pro alio eſſe deportatum. Hæc ſtipulatio, *cum moriatur, dari*, tempore deportationis non committitur. *In Inſulam deportato* (ait Papinianus) *reo promittendi ſtipulatio ita concepta, cùm morieris, dari, non niſi moriente eo committitur.* l. CXXI. §. in inſulam D. De verborum obligat. Verba quippe naturalem habent intellectum, vt & Alciatus hîc notat; deindeque credibile eſt reum promittendi, de vlteriore, ac vera morte ſenſiſſe, ne maturiùs deberet. Alterum exemplum eſt huius partis hoc fideicommiſſum, *hæreditatem filiis ſuis, cum moreretur, reſtituere:* cuius quidem dies nondum cedit, ſi rogatus deportetur; quod Papinianus docet in dicta l. LXXVII. §. IV. quem laudat Vlpianus in memorata etiam l. XVII. §. VI Quamuis enim teſtator voluiſſe magis credatur filiis ad fideicommiſſum vocatis rem adquiri quam fiſco, attamen quia ipſe proculdubio in primis & proſpexit, qui deportatus fuit, cuique priore loco honorem legati habuit, propter ſpem reſtitutionis retinetur id fideicommiſſum penes fiſci rationes: quod ſummopere notandum eſt in his legibus. Hæc ratio facit, vt videatur voluiſſe is, qui fideicommiſſum reliquit mortem expectari naturalem: & iuxta hoc argumentum voluntatis, neque dies fideicommiſſi venire ante ipſam creditur, l. ſtatius Florus XLVIII. §. I. D. De Iure Fiſci.

Iam ab altero latere receditur à ſignificatione verborum, & quæ facti videntur eſſe, non pertinere ad deportatos, quoniam id voluit teſtator: quod VI. ex regula fit Marcelli in l. LXIX. De legatis tertio. Apponam celebre Vlpiani exemplum, in quo diſſentire opus habeo ab eximiis viris. *Rogauerat quædam mulier filium ſuum, vt ſi ſine liberis deceſſiſſet, reſtitueret hæreditatem fratri ſuo:* eo poſtea deportato, liberos in deportatione *ſuſceptos non prodeſſe* ait, *nec efficere vt conditio deficiat:* ſed adiungit, *quaſi ab alio* ſuſceptos videri. Doctiſſimi interpretum *d* Iuris fictionem, & minutionem capitis in cauſa ponunt, vt alius poſt pœnam videatur. Eſto quidem, ſi liberorum appellatio, & formula illa conditionis Iure ciuili, non captu naturali cenſeatur; quod plures credunt; inde nata communi ſententia *e* (non Antonij Fabri) naturales (vt VII. vocant) filios non efficere, vt conditio, *ſi ſine liberis*, deficiat. Sed omnino recurrendum eſt ad coniecturas voluntatis, vt etiam naturales aliquando admittantur, ſi ex dignitate, & ex conditione, aut aliis indiciis voluntatis appareat teſtatorem de his quoque ſenſiſſe. Quod in conditione libertinorum Papinianus reſpondit; incongruum non videri, ſi etiam naturalis filius libertini efficiat hanc conditionem, *ſi ſine liberis decedat*, nec expectata legitimorum procreatione, deficere. Vilior etenim hominum ea conditio erat, quàm vt in mentem teſtatoris, qui libertinum hæredem ſcripſerat, legitimus dumtaxat filius, non alius quilibet, vel in ſeruitute ab eo conceptus venerit: ſiue (vt ait Corraſius *f*) is videtur filius vocari, qui tunc temporis erat natus, ſcilicet in ſeruitute, & ſic naturalis. Hæc ſententia eſt Papiniani ex lib. VIII Reſponſorum: quem adducit Vlpianus in l. XVII. §. ex facto v. D. Ad Trebellianum. Eadem coniectura voluntatis, teſtator qui manet in ciuitate integer, neutiquam creditur voluiſſe, res ſuas ad filios deportati, hoc eſt, ignominioſi, peregrinos & ipſos peruenire; ſed magis ad fratrem ſub- VIII. ſtitutum, qui ciuis eſt, & ſolidæ exiſtimationis. Planè quæſita ſemel à ciue bona non amplius adimi poſſunt iudicio teſtatoris; ſupereſt tantùm vt à reo facto ſententia auferat, ſi non ipſe horum nomine obnoxius eſt, vt alteri reſtituat: nam cum ſuâ quodammodo cauſâ, hoc eſt obligationibus, & conditione, quam penes publicatum habebant, fiſco eadem vindicanda ſunt:

quod

d *Vide Coſtam in §. & quid ſi tantum.*

e *Vide poſt Barto'. in hac l. 17. §. ſi quis rogatus, Mãticam de cõiect. l. 11. tit. 9. Corraſiũ 1. Miſcell. 7. Ceuallos comm. contra comm. q. 164. Amaiam l. 1. obſeruat. c. 12. n. 29.*

f *1. Miſcellan. 7. in fine.*

quod notat in fine Vlpianus, & generalis regula eſt. l.vnicâ C. Pœnis fiſcalibus debitores præferri lib.x. Seruat ergo eis fiſcus, quos putat honeſtè, & ex defuncti mente ad fideicommiſſum venire: qualis eſt frater in ciuitate manens, ex ſubſtitutione, vel qualis eſt in primis filius ante ſententiam conceptus, licet poſteà edatur; qui quidem recepta Iuris regula in fauorabilibus pro nato habetur: non autem hi quibus nota & peregrinitas parentum inhæret, eademque ferè cum parente ipſorum conditione ſunt, nati ex infami, ἀπόλιδες que, nec vllius ciuitatis ciues. Videtur quippe deportatus non idem homo eſſe, de quo ſenſit teſtator, ſed alius; propter voluntatis coniecturam, non propter Iuris fictionem. Antonius Faber hanc diſtinctionem filiorum in deportatione, ſiue anteà editorum à Triboniano eſſe putat lib. XVII. Coniect. cap. XX. Cui partim ſatisfit à ſuperiore tractatione matrimonij non ciuilis deportatorum, partim ab his, quæ noſter Amaia adducit lib.I. Obſeruat.c.XII. Demum quid hodiernum ius in hoc ferat, videre eſt in Antonij de Padilla Meneſij Regij Noui orbis Senatus olim Præſidis viri clariſſimi, commentario l. cum acutiſſimi nu.42. C. De Fideicommiſſis.

Sed de electione deportati, & ſententia Papiniani, ab Vlpiano probata, in l. cum pater LXXVII. §. hæreditatem IV. De legatis, ſecundo, & l. XVII. §. ſi quis rogatus VI. D. Ad Trebellianum, inueſtiganda eſt prona, & aperta via, quæ ad parendum omnino teſtatoris voluntati, quam vnicè Ius ſcriptum,

IX. ſicubi coniecturis deprehenditur, obſeruare amat, nos plane ducat. In hoc autem tam diuerſa aliis, & aliis arrident, vt nedum conſtet (quod præiudicato examinandum eſt) Iuris, an facti, vt vocant, iſta electio ſit. Primus fortè credidit Iuris eſſe electionem Fortunius Garſias noſter vir litteris & dignitate ſuo tempore ſpectatiſſimus in commentario ad l. Gallus. D. de lib. & poſthumis. Cui cùm auctoritatem veterum, & rationes Iuris non contemnendas oppoſuiſſet noſter etiam Emmanuel Coſta g. rurſus procinxit ſe nouus Fortunij Propugnator Ioannes Marcus Aquilinus Calaber, publici iuris facta Relectione §. & quid ſi tantum, eiuſdem legis. Et Fortunius quidem adduxit pro ſua ſententia, quæ Coſta refellit, argumenta, ſed alios

X. excogitauit Marcus, admouitque tibicines, refutatis etiam Coſtæ rationibus: quas quidem, quia verè electionem facti rem credimus, ſartas tectas ab ingruente opus eſt habere aduerſario. Videtur iis electio Iuris eſſe, quia filiusfamil. optare non poteſt ſine iuſſu patris: quod ait lex. x. De legatis I. & quia illa verba *arbitratu alicuius fieri*, ius ſignificant, nec in ſeruum cadunt, vt eſt in l. LXVIII. D. De verborum ſignificatione; ſed parum vident optionem legati, quæ continet iudicium eligendorum, & repudiandorum, iure filio, ante iuſſum patris, cuius res maximè agitur, non dari; l. I. §. I. De ſucceſſore edicto, l.XIII. §. fin. De adquir. hæreditate: arbitriumque Iuris nomen eſſe; quod ad formam iudiciorum redigitur, ac eius eſt, qui Iudicis partes controuerſiis finiendis ſuſcepit l.I. l.XIII. §.II. D. de Receptis, & qui arbitrium &c. Cuius nominis naturam ſequutus videtur, qui ſcripſerat, velle ſe arbitratu Titij rem geri, vt Titio ſeruo facto munus impoſitum denegetur: ſecùs vero eſſe in electione filij ad fideicommiſſum, qua de re Vlpianus & Papinianus tractant, & nos quærimus, vbi non iudicium, arbitriumue ciuilia munera, ſed naturalis affectus patris explicari permittitur. Dein-

XI. de inſurgunt, rationem non vllam eſſe, ſi facti res eſt electio, cur non competat pœnæ ſeruo; vt non competere docuit Vlpianus in hac l. XVII. §. VII. Cum facta ſeruus expediat, §. Sed cum factum, Inſtitut. De ſtipul. ſeruorum. At ego nullus dubito electionem, & arbitratum, prout naturalis eſt voluntatis explicatio in ſeruum conferri poſſe, ſicut ſolutio confertur. Ser-

uus

g *Ad l. Gallus §. & quid ſi tantum 2. p.n.16.*

uus planè, & filius, fam. æquales in eo ſunt, quòd ſi ſtipulentur, *illud, aut illud vtrum voluerint, ſibi dari*, deſtinationem de alterutro, hoc eſt electionem, non dominus, aut pater, ſed ipſi expediunt; l. LXXVI. in principio, lib. CXII. principio. D. de verb. obligationibus. Quod tamen Vlpianus ſcribit, diuerſum eſt; ſi is cuius fideicommiſſum fuit, ante electionem ſibi promiſſam, incidit in ſeruitutem, quia ſeruitus, non tantùm legibus, ſed etiam iure omnium hominum talis mutatio ſtatus creditur, vt vix eundem hominem relinquat, ea propter perimi eligendi facultatem, quæ ſententia eſt. d. l. LXVIII. De verborum ſignificatione. Vbi Titij nomen, quod liberi hominis eſt, perſuadet nos, haud ibi improbari arbitrium commiſſum ſeruo, ſed collatum libero homini contingente ſeruitute non amplius competere. Et diximus iam in ſuperioribus diuerſiſſimam conditionem deportationis eſſe ab illa ſeruitutis, etiam æſtimatione ciuilis Iuris; propterea quòd ſeruitus magis ignominioſa eſt, & vix aliquo legum beneficio fouetur.

Sed quod deinde Aquilinus nouè expendit, indignum eſt eo viro, cui vel tantillum cor ſapiat, Ius nempè eligendi, & electionem eandem rem ſignificare; at factum eligendi diuerſum ab his quid eſſe: hoc poſterius facti, electionem autem Iuris. Profecto Ius eligendi, ſeu malis vocare electionem, quæ legibus defertur (de quo Titulus ſcriptus eſt in Decretalibus, de electione) facultas eligendi naturalis, quæ legibus non impeditur, diuerſa inter ſe ſunt: illa Iuris, hæc naturæ. Rurſus hæc eligendi facultas, quæ natura competit, nec legibus impeditur, & factum ipſum electionis, diſtinguuntur quidem, tanquam potentia & actus, vt Philoſophorum verbis vtar: ſed quia hæc facultas, quæ non iure, ſed natura competit, ad actum ſine iure, ac ſine legum beneficio reducitur, vbi factum ſine iure vllo interponitur, tota hæc linea facti appellatur, ſicut altera Iuris: quod quia videtur non animaduertiſſe Aquilinus, ſumendum fuit nobis è triuio ipſo. Facilè etiam ruit, quod hic denique pro ſe appellat; electionem, quæ teſtamento tribuitur, Iuris ciuilis eſſe oportere, cùm teſtamentum huiuſmet Iuris ſit; nec vt conditionem, ſed vt diſpoſitionem teſtatoris, vt vocant, legatumque optionis habendam. Puta filio fideicommiſſum fuiſſe (hic enim caſus harum legum eſt) vt hæreditatem, cum morietur, reſtituat filiis ſuis, vel cui ex filiis voluerit. Hoc fideicommiſſum conditionale eſt, vt reſpondeamus Aquilino: Sed in quo poſita eſt conditio, in morte, an in electione? Planè dies incertus mortis conditionem facit, quatenus filij poſſunt rogato parenti præmori: l. I. §. II. D. De condit. & demonſt. lib IV. D. Quando dies legatorum cedat. Sed etiam altera conditio eſt in electione permiſſa: pendetque ſub duplici conditione, quia duplex eſt fideicommiſſum. Prior pars, vt filiis reſtituat, eam conditionem habet tacitam, *ſi ſuperſtites erunt, cum morietur*. Poſterior id explicat magis, permittitque liberiori hæredis arbitrio, quam regit altera conditio, *ſi volet non omnes admittere*, vni vt præſtet. Hæc, quia conditio eſt, factum continet: l. XLIV. in principio. De condit. & demonſtrat. Nec refert quod in teſtamento ſcribatur, ad hoc vt induere debeat conditionem teſtamenti; nam quæ ſub forma conditionis conceditur facultas eligendi, conditionis habet naturam: nec legatum eſt optionis, aut electionis, ſed conditio nuda. Quòd ſi vtrumque ſit, & conditio. & diſpoſitio, ſiue electionis legatum, quid impedit nos, vt reſpondeamus, electionem perire, quatenùs legatum eſt, aut diſpoſitio, ſi ad eum pertinere incipit, quem Iuris & legatorum incapacem pœna fecit: ſed quia cum vi ſua conditionis adhuc manere poteſt, non perire omninò; ſed vt facti res eſt, peregrino, ſiue deportato competere.

XII. (margin, beside "Sed quod deinde Aquilinus")
XIII. (margin, beside "uertiſſe Aquilinus")

# CAPVT VNDECIMVM.

## Electionem deportatus facere poteſt, quia res facti.

I. *Electionem fieri à deportato, ſiue ante eam commiſſam, ſiue poſteà deportatus ſit. l.* XVII. *ſ.* VI. *Ad S. C. Trebellianum, & l.* LXXVII. §. IV. *De legatis ſecundo iuſtus commentarius.*

II. *Non vt aliis placet, ceſſare hoc ius eligendi toto tempore deportationis, reſtituto autem reſtitui.*

III. *Quia facti res eſt.*

IV. *Et coniectura voluntatis, eius qui electionem tribuit, hoc adiuuat.*

V. *Pater deportatus idoneus eſt eligendi ſibi inter filios ſucceſſorem fideicommiſſi.*

VI. *In electione relicta nil tacitè ineſt de mutata, aut non mutata conditione ſtatus.*

VII. *Electio patri relicta, vt vnum è filiis eligat mortis naturalis tempus ſignificat.*

VIII. *Quænam conditiones implicentur in hac electione?*

IX. *Poteſt tamen eligere ante mortē.*

X. *Defenditur lectio vulgaris lib.* XVII. §. VI. *Ad S. C. Treb.*

XI. *Non tamen electo præſtat rem Fiſcus, qui eam poſſidet in bonis deportati.*

XII. *Sed retinet vſque ad mortis, aut reſtitutionis tempus.*

XIII. *Electio facta in deportatione manet poſt reſtitutionem.*

XIV. *Ius tamen fideicommiſſi non adquiritur filio electo, vſque ad mortem naturalem patris.*

XV. *Electio quouis tempore, reſtitutio nō niſi in morte fieri debet.*

XVI. *Electio iſta non plenum ius tribuit; nec tamen eſt inutilis.*

XVII. *Vera ſententia Papiniani in l.* LXXVII. §. X. De *leg.* 2.

XVIII. *Electus ante mortem electoris decedens nil iuris ad filios tranſmittit.*

XIX. *Nulla facta electione viriles inter filios fiunt.*

XX. *Mortis tempus electioni præſcribitur, non in gratiam tantum patris, ſed & filij eligendi.*

XXI. *Quare, cùm beneficium ſit alienum, pater ei renuntiare nequit.*

XXII. *Exempla alia huius rei.*

XXIII. *Nepos ex filia præmortuo inter filios poteſt eligi.*

XXIV. *Non ſolum eligere deportatus, ſed & mutare poteſt electionem ante pœnæ tēpus factam.*

XXV. *Papinianæi reſponſi in lib.* LXXVII. *ſ.* IV. De *legatis libro ſecundo; plana expoſitio & ſimplex.*

I. HIs neceſſario præmiſſis, anceps quæſtio eſt, varieque à prudentibus viris arbitrata; fierine poſſit à deportato electio. In quo celebre eſt Papiniani reſponſum, quod his verbis laudat Vlpianus in hac lib. XVII. § VI. *Si quis rogatus fuerit filiis ſuis, vel cui ex his voluerit, reſtituere hæreditatem; Papinianus*

*nianus lib.* VIII. *reſponſorum etiam deportato ei tribuit eligendi facultatem, cui liber factus fideicommiſſa reſtitui velit.* Sed conſulamus fragmentum ipſum illius, quod extat in l. LXXVII. §. Hæreditatem IV. D. de legatis ſecundo. *Hereditatem* (ait Papinianus) *cùm moreretur, filiis ſuis, vel cui ex his voluiſſet, reſtituere fuerat rogatus: quo intereà in inſulam deportato eligendi facultatem non eſſe pœna peremptam placuit: nec fideicommiſſi conditionem ante mortem filij hæredis exiſtere: viriles autem inter eos fieri, qui eo tempore vixerint, cum de aliis eligendi poteſtas non fuerit.* Hæc Papinianus. Quorum vtriuſque collatis inter ſe verbis planum redditur, electionem inter filios, cui reſtituere fideicommiſſum potius velit, (quia facti res eſt nec iuris) adeo non perimi deportatione parentis rogati; vt in ipſo etiam ſtatu deportationis peragi, & expediri poſſit. Non perimi certum eſt ex iſtis Papiniani: *eligendi facultatem non eſſe pœna peremptam placuit.* Quæ tamen anſam dederunt iunioribus quibuſdam *a*, vt II.
exiſtimarent, hactenùs non peremptam placuiſſe; vt reſtituto deportato iterum competeret; non in ipſa deportatione. Verùm quidquid Papiniani ſimplex, & quæſtioni propoſitæ ſatis accommodatum forſan reſponſum capiat non minùs ſenſum iſtum; de mente auctoris magis credere debemus æquali, & auditori Vlpiano; qui locum hunc, nec alium Papiniani videtur exſcripſiſſe. Pro verbis ille nuper poſitis, ita expreſſit, quam ſequi certus eſt, ſententiam: *Papinianus etiam deportato ei tribuit eligendi facultatem*: & in §. ſequenti; *electionem illam, quam Papinianus deportato dedit.* Tam perſpicuum eſt hactenùs reſponſum, vt parum idoneè, aut Papiniano diuerſus ab Vlpiano ſenſus, aut Vlpiano alius, quàm verba recipiunt, plana, & aperta, refingatur. Non tantum aiunt facultatem electionis haud perimi pœna; ſe eligi etiam à deportato ritè poſſe; vt etiam ſi decedat in deportatione, conſiſtat electio ſemel facta *b*. Quod poſterius Papinianum ſenſiſſe, videtur planè Vlpianus docere in §. proximo; dum ſeruo pœnæ facultatem denegat eligendi: *Sed cum decedit, electionem illam, quam Papinianus deportato dedit* (puta tempore mortis illius, in deportatione etiam tum conſtituti; vt in ſimili cauſa diſſimilitudinem propter diuerſum ſtatum deportati, & pœnæ ſerui aperiat) *huic dari non oportere.* Quod ſubtiliter vidit D. Franciſcus Sarmiento dignitate vir; ac litteris conſpectiſſimus libro v. ſelectarum. *c*. III.

Huius rei præcipua ratio ipſa eſt, quam oſtendimus, facti rem nec amitti capitis minutione; nec eo minus expediri poſſe ab eis, qui taliter puniti ſunt. Adiungitur (quod maximè opus eſſe videtur) teſtatoris ſententia, deductaque in coniecturis voluntas; qui quidem filio tribuens electionem, vt V.
fideicommiſſi hæredem in filiis ſuis quæreret, planè exiſtimaſſet, ſi nunc viueret, non minus expedite, aut honeſte fieri electionem poſſe à deportato, quam à ciue: præſertim cùm hæreditas, quidquid deportato filio placuiſſet, ad nepotem ciuem, vtpote ante pœnam procreatum (quod ex reſponſo apertè colligitur, & validè aduerſus Franciſcum Ripam defendit Coſta *d*) peruentura eſſet. Fiunt ſanè in hæredibus ſuis homines quodam- VI.
modo reparabiles, ac rediuiui; vt præcipuæ curæ ſit eo tempore, cum mors adpetit, in locum ſuum vniuſcuiuſque alium ſubſtitui nomine hoc hæredis, nec ſibi pudendum, nec rebus ſuis, aut reipublicæ. Quî enim futurum credamus, vt ciuis integer ad ignominioſos, & pœnæ mancipes familiæ ſacra, & honorem hæreditatis transferri vſquam paſſurus ſit? Si tamen hunc demimus, qui in reatu deportationis ipſe aut liberi eius pariter infames, & profugi detinentur; de ceteris ante pœnam natis dubium non eſt, arctiſſimum, & iuſtum charitatis vinculum erga nepotes ciues, & illibatæ exiſtimationis alio crimine hoc eſt parentis, neutiquam abruptum. Electio autem, ſiue facti huius expediendi opus, cui filiorum committenda ſit aui hæreditas,

a Coſta in §. & quid ſi tantum p. 1. n. 19. Merillio 4. obſeru. c. 21.

b Videndi Berēgarium Ferdinandi mox laudādus, Faber in Iuriſp. tit. II. principio 3. illatione 1.

c In §. & quid ſi tantum n. 59.

d d. 2. p. n. 21.



non

non inhoneſtè deportato, at eidem parenti, defertur; cui nota ſuorum in-
doles, & à quo obſequij cura etiam damnato debiti, præſtandique, iure de-
buit hoc præmio munerari. Non quidem, vt Aquilinus incogitanter ait;
quia teſtatoris interſit, vt heres, ſtatu quamuis mutato, magis quàm
fiſcus eligat. Fiſcus etenim perſonale factum hæredis non expedit, ſed fidei-
commiſſum omnibus reſtituit, vt mox videbimus. Hæc tota ratio reſponſi;
voluntas ſcilicet, & quod à prudentibus viris colligitur teſtatoris propoſi-
tum, ex communi ſanorum, & proborum hominum iudicio ad regulam iu-
VI. ris deriuatum. Ideo ſuum relinquamus Coſtæ inuentum determinando
huic dubio: qui eâ de causâ exiſtimat electionem non fieri à deportato, et-
iamſi facti res ſit electio; quia in fideicommiſſo videtur ineſſe ea conditio,
*ſi filius ſtatum non mutauerit*, cui permiſſa electio eſt: ſicut ineſſe videmus in
eo, qui ſolutionis cauſa adiicitur; de quo ait Africanus. ita demum ſolui ei
poſſe, ſi in eodem ſtatu ſit l. cum quis XXXVIII. De ſolutionibus. At hoc ita
prorſus in ſolutione placuit, quia credibile eſt teſtatorē voluiſſe pecuniam
adiecto adquiri; non adoptiuo parenti, non fiſco, non Domino, in quorum
poteſtatem per aliquam capitis minutionem conceſſiſſet: quam volunta-
tem teſtatoris nondum deprehendimus in eo, cui electio permittitur: quod
notant appoſitè Samientus, & Aquilinus. Nec alius exiſtimatur deportatus,
niſi Iuris fictione, ad ea, quæ iuris ſunt, non re vera, & ad ea, quæ facti.
Quod deinde ſumit argumentum Coſta ex hac ipſa l. XVII. §. proximè ante-
cedenti, hoc idem voluntatis propoſitum in aliis, & aliis rebus diuerſum exi-
ſtimatum (vt iam ſuperiore capite obſeruauimus) abundè refellit.
VII. Sed oſtendamus, reliqua Vlpiani, & Papiniani eiuſdem fili eſſe, ne ἀσυμ-
φώνως de re ſcripſerint. Adiungit hic, *nec fideicommiſſ. conditionem ante mor-* e Variẽ.
*tem filij hæredis exiſtere.* Fideicommiſſi conditio ipſa mors dicitur naturalis
deportati, quæ expectari debet omnino; nec propter ciuilem mortem con-
ditio committitur. Dies mortis incertus, etiam ſi omnino venturus ſit, con-
ditionem facit, vt diximus; quia poſſunt omnes filij, quibus fideicommiſſum
omnibus, aut vni eorum, reſtituendum eſt, ante mortem patris obire l. IV.
VIII. D. Quando dies legat &c. l. II. §. II. De condit. & demonſtrat Sed etiam
aliqua conditio fideicommiſſi eſt electionis factum; de quo etiam monui-
mus: quæ quidem duæ conditiones ita explicari poſſunt: *Filiis reſtitui fidei-*
*commiſſum à parente, ſi prius ipſe moriatur.* Hæc altera, & prior eſt conditio: ſed
& hæc poſterior; *omnibus reſtitui, ſi non vnum aliquem elegerit.* Harum vtra-
que non exiſtit ante mortem hæredis deportati: nimirum filiis ante patrem
obeuntibus diem, hoc eſt priuſquam pater non ciuiliter, ſed naturaliter de-
cedat, fideicommiſſum deſtituitur conditione; Retinet ergo ipſum fiſcus,
vt bona deportati iam ſolidè ipſius facta, nec reſtituit. Similiter de alterâ
conditione dicendum eſt; deberi fideicommiſſum omnibus filiis non inci-
pere quocumque tempore non eligat hæres; ſed tunc demum incipere o-
mnibus deberi, ſi moriens non elegerit. Haud enim electionis hæc conditio
committitur, aut non exiſtit ante mortem filij hæredis naturalem; quod
IX. Papinianus in genere docet. At quidem poteſt, pœnæ toto tempore, de-
portatus, atque item reſtitutionis, ſi fuerit reſtitutus, vſque ad moriendi
momentum, quia nondum dies venit præſtandi fideicommiſſi, cui velit ex
filiis per electionem ſibi commiſſam proſpicere: hoc eſt factum electionis
expedire, & conditionem hanc interim adimplere. *Cui eorum* ſcilicet (vt
X. rem explicat Vlpianus) *liber factus fideicommiſſum reſtitui velit.* Hæc verba,
quia per compendium auctor loquitur, prauo incedere talo viſa ſunt do-
ctiſſimo Cuiacio lib. III. obſeruat. cap. X. Placet namque hic ſibi in lectione
alia, quæ aperta magis, & ſimplex eſt: *cui liberorum fideicommiſſum reſtitui*
*velit.*

*velit.* Cum abnorme ei videatur liberum fieri, qui nuſquam fuit ſeruus;
quo nomine etiam ab Accurſio hîc Vlpianus reprehenditur. Sed multa in
libris Iuris, paſſimque reperiuntur, quibus non ſatis callens, memorúe com-
pendioſi veterum Iuris ſcriptorum ſermonis fruſtrà idoneum aliquem ſen-
ſum admouere ſollicitus ſies. Talem exiſtimo hunc locum, cuius omnino
hæc ſententia eſt, & interpretatio. Deportatum poſſe vnum ex filiis elige-
re, cui liber ipſe factus à pœna reſtitutionis remedio, fideicommiſſum ve-
lit præſtari. Liberari etiam dicitur, cui pœna, quæcumque ea ſit, etiam
non ſeruilis, indulgetur. In reſcripto *f* quodam eſt: *Indulgentia, quos liberat,* *f L. vltimo*
*notat*: & hoc verbum tam generaliter ſignificat, vt mirer maximorum in- *C. de Gene-*
terpretum palato ſic acceptum non ſapere. Deportatus pœnæ tempore va- *rali aboli-*
let quidem eligere; ſed facta electio hactenùs operatur, vt fideicommiſſum *tione.* XI.
tamen, dum viuit hæres, ſiue in reatu pœnæ, ſeu iam reſtitutione liber fa-
ctus, electo filio non inferatur. Deportati bona penes fiſcum interim ſunt;
nec ea fiſcus præſenti tempore præſtare tenetur, quæ damnatus ipſe ſub
conditione, ſiue in diem incertum, cum moriatur, debet: cùm nec peti
poſſint, niſi quæ præſenti die debentur, l. xxi. ii. De legatis ſecundo. Fini- XII.
to tempore pœnæ, fideicommiſſum reſtituit fiſcus: ſed hoc alio, & alio
modo contingit. Deportato in reatu pœnæ diem ſuum obeunte, rem fiſcus
repræſentat ei, quem pater elegerat; ſi autem nullum elegiſſet, omnibus.
Tunc enim adimplentur conditiones, cum fideicommiſſarius moritur. At
non reſpexit ad hunc caſum verbis illis Vlpianus; etiam ſi liberari morte
non minùs aptum videatur, Raphaëli Cumano, & aliis *g*: quod ex parte ſi- *g Apud*
gnificatum hoc loco credit Sarmientus *h*. Quibus ſic placet, magis philoſo- *Coſtam n.*
phantur, quàm interpretes ſunt preſſi, proprijque ſermonis librorum Iu- *21.*
ris. Et verbum voluntatis ab Vlpiano poſitum, (*velit* nempè) quomodo re- *h n. 59.*
ferendum ſit ad tempus illud, quo iam expirauit cum homine voluntas,
nondum video: quod conſiderat Coſta *i*, hunc ſenſum verborum auctori-
bus ſuis remittens; & in hoc conuenit etiam ei Aquilinus. Sed alter caſus *i Dicto n.*
eſt, quem dumtaxat ob oculos habuit Vlpianus, reſtitutionis ſcilicet à pœ- *21.* XIII.
na ad priſtinum ſtatum: vel quòd ex facto ita quæſtio inciderit; vel quia
huius deciſione facilè deduci reſponſum poſſe ad priorem illum perſpe-
xiſſet. Electionem videlicet iure ſibi permiſſo factam à deportato ſuſtine-
ri, & pendere, quouſque reſtitutus, idemque bonorum ſuorum iam domi-
nus, electo à ſe fideicommiſſum *reſtitui velit*: tempore mortis puta, non
priùs; vt ſignificet Vlpianus id, quod ex Papiniano nuper oſtendimus; con-
ditiones fideicommiſſi morte committi, non deportatione: ſed ſignificat
in altero tantùm caſu reſtitutionis, quod Papinianus videtur de vtroque
intellexiſſe. At enim ſummè notandum eſt in his legibus mortis tempus
expectari. Eapropter verbis vtitur Vlpianus, quæ teſtamenti dictata viden-
tur innuere: neque enim ait *cui reſtituere*, ſed potiùs ad factum hæredis, ſi-
ue ad tempus poſt obitum rogati reſpiciens, *reſtitui velit*.

Planè licet electio valeat in deportatione facta, vel poſt eam ab herede XIV.
filio, extra cauſam, timoremue mortis poſito; Ius tamen fideicommiſſi non
plenè acquiritur electo ante mortem ipſius qui elegit; ſed eo demum tem-
pore, cùm moritur, ſi in eadem voluntate duret, nec alium potiùs velit, re-
uocata priori electione, præcipuum habere. Quia vero hinc pleniſſime re-
ſponſum exponimus, manendum eſt pauliſper, dum ſingula hæc proba-
mus ex Iuris ratione à nobis dicta. Duo ſunt, quæ indigent præſenti opera:
conditionis tempus mortem eſſe, nec antequàm dies veniat mortis, quæ-
ſitum integrè fideicommiſſi ius electo: deinde alterum; etiam facta ſemel
electione, aut renouatâ quidem ſæpiùs in alio, & alio ex filiis, mutare poſſe,


& con-

XV. & conuerti ad alium, vſque ad mortis tempus hæredem rogatum. In prio-
ri (quia duo ſunt in hoc fideicommiſſo; electio eius, cui reſtitutio facienda
eſt ſuo tempore, & reſtitutio ipſa, ſeu factum reſtitutionis) quod quidem
ex his duobus in tempus mortis, & ſub conditione illius confertur propriiſ-
ſimè, non electio, ſed reſtitutio eſt: reſtitui res debet poſt mortem rogati,
videlicet poſt impletam conditionem; nec reſtitutione alio tempore facta
obtemperatur teſtatori. Electio autem quid exterius eſt ad conditionem
mortis; nec ipſa neceſſario fit ſimul cum reſtitutione. Et fideicommiſſum ſic
explicandum prorſus eſt, *vt reſtituat fideicommiſſum, ſi præmoriatur, filiis ſuis
omnibus; ſin minus velit, vni eorum, quoquo tempore electo*. Facta ergo hæc dif-
ferunt reſtitutionis, & electionis. Prius illud ſuo tempore, hoc eſt adim-
pletâ iam conditione mortis; hoc autem poſterius, quo libuerit electori
tempore, rectè celebratur, vt ex antiquis probat Coſta *k*.

XVI. Sed electio iſta, quia mutari, dum conditio mortis non exiſtit, ac ex de-
ſtinatione ſimplici voluntatis variari poteſt, haud quidem ſolidum, & ple-
num ius tribuit; ſed inſtabilem, lubricam voluntatis deſtinationem; quæ
deficere conditionis defectu deficere item alienatione in alium eiuſdem
voluntatis poteſt: interim accommodat. De quâ re an ſcilicet mutare poſ-
ſit, qui ſemel elegit, videndus Berengarius Fernandus ad caput vnicum de
Filiis naturalibus ex matrimonio &c. cap. 9. nu. 2. Hæc tamen non inutilis
prorſus eſt electio: nam ſi electus etiam ab eo, qui in deportatione mane-
bat, eo tempore vixerit, quo rogatus hæres, nondum mutata voluntate, ſi-
ue in pœna, ſiue poſt pœnam moritur; vnicè ſi multo ante reſtitutionis
XVII. diem fideicommiſſo deſtinatus, rem lucrabitur. Aptiſſimum eſt his confir-
mandis aliud Papiniani reſponſum in hac lege §. à filia x. ex eodem lib. VIII.
*A filia pater petierat* (inquit) *vt cui vellet ex liberis ſuis, prædia cùm moreretur,
reſtitueret*; deinde ipſa *vni ex liberis prædia fideicommiſſi viua donauit*: *non eſſe*
(ait Papinianus) *electionem certæ donationis* hanc; (hoc eſt, nec certam ele-
ctionem, nec certam donationem eſſe; propterea quòd incertus dies fidei-
commiſſo fuit dictus, & voluntas interim ambulat; quæ nullam legem ſibi
ex præſenti die imponit neceſſario, vnde res in lubrico, & incerto conſti-
tuta eſt.) *Nam in eum* (ſubiungit Papinianus) *deſtinatio*, (noua) *voluntatis di-
rigi* ad extremum *poteſt*; *qui* quidem fideicommiſſum *inter cæteros*, & in his
etiam donatarium, omnino *habiturus eſt*, *remotâ matris* priori *electione*. Hæc
verbis Iuriſconſulti, quæ quidem noſtris attexuimus, vt magis explanare-
mus, accommodata magis explicatio eſt, quàm Cuiacij alia *l*. Vide ſis ab-
ſolutiſſimum huius §. commentarium Petri Peraltæ viri doctiſſimi, Sal-
manticenſiſque Cæſarei Iuris ſuperiore ſæculo Anteceſſoris clariſſimi. Ea-
dem planè facultas reuocandi electionem factam vſque ad mortis tempus
apertiſſimè tribuitur &. cui electionis ius à teſtatore fuerat datum, in ce-
lebri lege. *Vnus ex familia* l. XVII. De legatis ſecundo. Conſiſtit ergo quo-
modocumque electio: ſed tandem ex incerta & lubrica conſtans fit, & cer-
ta, cùm deſiuit per mortem rogati poſſe mutari: ex quâ electionis certitu-
dine plenum ius pendet electi.

XVIII. Sed iam infero, quod eſt magis noſtræ quæſtionis; electum ante reſtitu-
tionis tempus, ſi intereà moritur, nihil iuris filiis ſuis, iiſdemque rogati hæ-
redis nepotibus, relicturum. Quoties namque ante diem legati legatarius
moritur, nihil ad hæredes tranſmittit l. L XXIX. §. I. D. De condit. & demonſt.
quod aliter accidit in eo, quod relinquitur, *qui voluerit reſtituendum*; cuius
poſt breue, ac iuſtum tempus, intra quod eligere potuit, dies cedit. l. XXIII.
D. De legatis ſecundo. Non ergo valebit eatenùs electio, vt nepotes, qui
remanſerunt ex filio electo defuncto, fideicommiſſum auferant: ſed de no-
uo

*k n. 36. cō-trarium tamen ex Bartolo Aquilinus.*

*l L. 19. qq. Papin. in hac lege.*

uo fieri poteſt electio inter filios ſuperſtites. Si non fiat, viriles ſaltem cui- XIX.
que tribuendas, in fine ait Papinianus; quæ tantùm reſponſi verba expli-
canda ſuperſunt: *Viriles autem inter eos fieri, qui eo tempore vixerint, cum de
aliis eligendi poteſtas*, cum is moriebatur, *non fuerit*. Non ſufficit filium vi-
uere, quem præcipuum inter alios habuerat pater, eo tempore quo habe-
tur ei honos electionis; ſed neceſſe eſt quòd ſuperuiuat patri, vt morte hu-
ius confirmetur facta priùs electio. Hoc eſt, quod ait Papinianus, electio-
nem ante tempus factam illius filij fruſtrà eſſe, qui tempore, quo adimple-
ri conditio incipit, & pater moritur, quia præmortuus ipſe fuit, eligi, aut
confirmari ad electionem priùs factam nequit. Viriles ergo fiunt portiones,
vt ſolet; l. XXI in fine. D. De ſtatu liberis. l. XVII. §. finali de legatis ſecundo:
Committiturque ille gryphus, quem in ſimili argumento expendit *m* Pa-
pinianus, *vt quod vni relictum eſt*, permiſſa vnius electione, *viuis pluribus, v-
nus petere non poßit; ſed omnes petant*, poſt mortem eius, qui eligere poterat,
*quod non omnibus datum eſt*. Nec turbet te, quod *de aliis* Papinianus, non de
alio dixerit: nam quia duos, treſue ex numero filiorum hæres ad fideicom-
miſſum vocare poterat *n*, nec neceſſe habebat vnum omnino eligere, plu-
ratiuo numero expeditè magis, & generaliter rem decidere voluit Iuriſ-
conſultus.

XX. Supereſt vt remoueamus obiectionem tacitam. Videtur namque,
quia conditio mortis poſita eſt in gratiam hæredis ipſius à teſtatore, renun-
tiare ipſum poſſe collato ſibi beneficio; & quæ poſt mortem reſtituere te-
netur, ea viuum repræſentare, quoque velit tempore, cui ex filiis velit:
cum vel in tertij creditoris præiudicium hoc ſolitum ſit reſponderi à pru-
dentibus, vt in l. Patrum XIX. D. Quæ in fraudem creditorum &c. Sed ta-
men, vt ibi notatur, à Papiniano, is, qui ante diem determinatum reſtituit,
vel portionem ſibi ex fideicommiſſo, quæ à Senatuſconſulto datur, non
retinet, magis plenam fidem ſequitur, quàm debitores fraudat; quod etiam
in l. XX. quæ ſubſequitur confirmat Calliſtratus. Quæ autem non fraudan-
di cauſa geruntur, ad edictum iſtud haud ſpectare, ipſius verba palam fa-
ciunt l. I. & toto illo Tit. Item in l. XII. C. De fideicommiſſis, tempori gratia
hæredis adiecto renuntiare is iure dicitur poſſe. Quod communis regula
*o* confirmat. Verùm aliter ſe res habet in cauſa electionis noſtra: nam ex XXI.
aui teſtamento ius habent omnes filij paſſiuum, vt vocant, electionis *p*. Et
ſanè quod reſtitutio fiat tempore ſuo, quando conditio impletur, & pater
moritur, eorum intereſt, qui ſuperſtites ſunt eo ipſo tempore; vt in minori
numero eligendorum ſpes non tam diffundatur, & langueat; aut fortè eo,
qui deſtinatus fuerat ad fideicommiſſum, præmortuo, ſubintrent ipſi de
nouo electionis aleam. Conditio igitur non tantum hæredis gratia, ſed fi-
liorum quoque ipſius adiecta creditur *q*; vt interim fideicommiſſum penes
parentem, qui ſub ſe habet filios, maneat; mortuo eo iis quæratur, aut vni
eorum, qui ſui iuris eſſe incipiunt; ſemelque poſitâ conditione mortis, & fi-
deicommiſſo intereà pendente, nunquàm ſibi eam legem dicere poſſit hæ-
res facta electione vnius, quam ſoluere non poſſit: confirmeturque morte
tandem electio; ſed in eo facta, qui tunc viuat, ne ſuperſtitibus præiudi-
cium creetur. Extra hanc cauſſam communis vtilitatis rogati hæredis &
eorum, quibus reſtituenda res eſt, nemini dubium, quin anteponi queat
electio vel collatio *r*. Et quidem germana Papiniani eſt Marciani reſpon- XXII.
ſio in l. CXIIII. §. II. D. De legatis primo: Vbi *rogatus ſub conditione, fratris ſui
filiis reſtituere, ante diem fideicommiſſi cedentem, ne quidem ex voluntate eorum
poſſe* dicitur *his in patris poteſtate agentibus reſtituere*. Cuius eam adiungit ra-
tionem: *cum poßit die fideicommiſſi cedente ſui iuris conſtitutis ipſis debere reſti-
tui,*

*m* In l. 67. §. rogo 7. D. de leg. 2.

*n* vide Berẽgariũ Fernandum ad c. vnicum de filiis nat. ex matrim. &c. c. 9. n. 7.

*o* In l. ſi quis in cõſcribendo C. de Pactis, cum ſimilibus.

*p* V. Coſtam n. 19.

*q* Berengarium n. 2. d. c. 9.

*r* Couart. in c. XVII. n. 8. de Teſtamentis.

*tui, vel ſi aliquis ex his ante deceſſerit* ( hoc ipſum eſt quod apud Papinianum nos cauemus) *non omnibus*. Dies ſimiliter fideicommiſſi expectatur in ſpecie l. XLI. §. XII. D. De legatis tertio, ne præiudicium creetur ei, qui rem habiturus erat, ſiue rei maiorem portionem, ſi tempore ſuo, hoc eſt die præſtituto fieret electio, aut (propriùs vt loquar) reſtitutio. Quæ quidem ipſa ratio valuit ad hoc vt Papinianus in l. vnum ex familia LXVII. principio, de legatis ſecundo, facultatem reuocandæ electionis ſemel factæ non denegaret ei, qui fideicommiſſum à ſe, cum moreretur, relictum, vti ex familia, quem elegiſſet, reſtituere debuit. Quare id tenent Iuris nouiores Interpretes ſ, quotquot rem iſtam attigerunt.

XXIII. De nepotibus autem ex filio præmortuo, & eligi poſſe inter filios, & in parentis defuncti locum ad ſpem ſuccedere magis puto, ex l. LXXXIII. l. CCXX. De verborum ſignificatione; quamuis aliter placere quibuſdam t non ignorem.

XXIV. Hæc tractamus in electione à deportato facta. Quid ſi ante deportationem eligat, nec poſteà deportatus reſtituatur? Marcus Aquilinus, quoniam electionem credebat rem iuris eſſe, negauit, eo tempore factam, cum potuit, ſequuta deportatione conſiſtere: ante enim quam conditio, ſiue mors venerit, fruſtra electio fit, niſi quæ mortis tempore confirmetur; deportatus autem, ſicut eligere vllo tempore non poteſt, nec confirmare electionem factam poteſt, ſecundum Aquilinum. Potior autem mihi videtur Coſtæ ſententia, electionem valere, quia voluntas quolibet tempore poteſt explicari: cui ſi non derogamus contraria voluntate, facta iam in tempore apto hæredis deſtinatio renouari videtur tempore mortis. Sed adiungit ipſe, mutare deportatum voluntatem non poſſe, quam ciuis explicuit. Nos magis credimus, mutare etiam poſſe, quia facti res eſt, & cum ſua cauſa electio ambulat vſque ad mortem.

*ſ Surdus cõſilio 264. Caſtillo cõtrou. l. 2. c. 26. & 86. Molina de Primogeniis c. 4. n. 36. & alij apud Pet. Franciſcũ de Tonduti q. ciuili 50. n. 48. & ſeqq.*

*t Apud Berengarium d. c. 9. n. 8.*

XXV. Sed ante diſceſſum, quod ſecretam gannit in aurem animus, exſerere non verebor: ſimplicius mihi hoc videri, & apertius Papiniani reſponſum, quam vt ſollicitos reddat nos anxius quærendi de abſtruſiori ſententia. Tria nempè dicit, facultatem eligendi, nec perimi, nec impediri deportatione. Deinde ſecundum; non committi morte ciuili huius fideicommiſſi conditionem, ſed expectandam naturalem. Vltimo ait, ſi rogatus non eligat, viriles fieri inter ſuperſtites. Hæc omnia ſimpliciter, & ἁπλῶς enunciantur: ſed quæ tam deduci poſſunt ad eum, qui in deportatione, quàm ad eum, qui reſtitutus in ciuitate moritur. Quare Vlpianus potuit adiungere de ſuo illam notam, *cui liber factus* &c. (quæ meâ ſententiâ, cauſam ſignificant reſtitutionis) non contentus rem ſub eâ generalitate docere, quod Papinianus fecerat: ſi non alia ſunt quæ ex ſuo Doctore Vlpianus laudat, nec hodie habemus nos, qui in fragmentis clariſſimorum operum auctores Iuris legims.

CAPVT

# CAPVT DVODECIMVM.

## Deportatio non adimit libertatem.

I. *Deportatio ſeruitutem non irrogat.*
II. *Calliſtratus, aliique I. C. ſanctiones Imperatorum, & aliorum auctorum loca obſtare videntur.*
III. *A quibus ſeduci ſe paſſus fuit Franciſcus Hotomanus.*
IV. *Reuera ciuitas dumtaxat Deportato adimitur, non libertas.*
V. *Placet aliis libertatem adimi ciuilem, non naturalem.*
VI. *Tentant alij lectionem vulgarem Calliſtrati in l.* v. § III *D. De extraordinariis cognitionibus.*
VII. *Germana explicatione donatur Calliſtratus.*
VIII. *Oſtenditur Marciani mens in l.* v. *§. vltimo. D.* De *ſtatu hominum.*
IX. *Item aperitur ſententia l.* IV. De *Gradibus, in fine: l.* II. *C. Vt nemo priuatus titulos &c l. vltimæ. C.* De *poſtliminio reuerſis.*
X. *Item Boëtij, & Baſilicon Græci auctoris.*
XI. *Necnon & Michaëlis Attaliatæ in Synopſi.*
XII. *Hiſpana lex producitur totam rem benè diſtinguens.*

QVandoquidem deportatio damnatum conſtituit non ciuem, ἀπολιν, quaſi alium, & pro mortuo, reducitque in conditionem capitis mediæ diminutionis, quæ ciuitatem adimit illibata libertate, deuentum eo eſt vt explicemus, quatenùs verum ſit huiuſmodi pœnâ non irrogari ſeruitutem. I.
Et quidem non videbor operam ludere, ſi contradictiones, quæ in promptu ſunt, rectè expendere velimus. Ante alia, cur non viſus interpretum Calliſtratus extra viam ire Romani Iuris obſcurâ illa & exlegi ſententiâ ex libro I. De cognitionibus, quæ eſt in l. v. §. III. D. De extraordin. cognitionibus, quæque inficialis partis tanquam Achilles eſt. *Conſumitur* (ait) *exiſtimatio, quoties magna capitis minutio interuenit, id eſt cum libertas adimitur, veluti cum aqua, & igni interdicitur, quæ in perſonam deportatorum venit, vel cum plebeius in opus metalli, vel in metallum datur.* Videſne vt aquæ, & ignis interdictio, ſeu deportatio exemplum præbet magnæ illius minutionis Calliſtrato, quæ quidem conſumit exiſtimationem, & inſuper libertatem aufert? Deinde hi qui nimis creduli ſunt, pertinere hûc etiam arbitrantur verba illa Vlpiani multis iam à nobis expoſita capite antecedenti ex d. l. XVII. quæ de deportato dicuntur, *cui liber factus fideicommiſſum reſtitui velit:* in quo planè ſignificare auctorem credant deportatum nil minùs quàm liberum eſſe. Marcianus itidem hunc nodum in ſemetipſum magis implicat in l. v. §. vltimo. De ſtatu hominum. Quærit nempè liberum, an ſeruum pariat ancilla, quæ prægnans fuit manumiſſa, *deinde ancilla poſteà facta, aut expulſa ciuitate* peperit: docetque ſufficere proli matrem liberam, vel medio tempore, habuiſſe: tanquàm ciuitatis prohibitio, ſeu à ciuitate expulſio, quæ Accurſio etiam hîc verſanti pœna deportationis eſt, ſeruitutem infligat. Agmen claudit ex prudentibus priſcis Modeſtinus valido in rem argu- II.

 mento,

mento, his verbis, quæ ſunt in l. IV. in fine D. De Gradibus: *Is cui aqua & igni interdictum eſt, aut aliquo modo capite diminutus eſt, ita vt libertatem & ciuitatem amitteret, & cognationes, & affinitates omnes, quas antè habuit amittit.* Hos omnes ſequuti videntur Auguſti Theodoſius, & Valentinianus in l. II. C. Vt nemo priuatus titulos &c. Clariſſimum, Curialem, militem, Clericum, talis criminis reum proſcribendum conſtituentes, *deportandumque non ſolum ciuitate Romana, ſed etiam libertate priuandum.* Cui ſimillima eſt alia conſtitutio Impp. Honorij & Theodoſij in l. vltima C. de poſtliminio reuerſis: vbi pœna deportationis ea ipſa eſt metalli, quæ libertatem tollit: quæ duo Imperialis æui teſtimonia Cuiacius ad rem obſeruauit in commentario ad Titulum de Repudiis in codice. Sunt etiam extra corpus Iuris qui hanc partem fulcire poſſunt. Boëtij Seuerini magni illius viri non contemnenda eſt auctoritas: qui ait, in Topicis explicans argumentum ab adiunctis. *Maxima capitis minutio eſt, cum libertas & ciuitas amittitur, vt deportatio.* Et Michaël Attaliata is, qui Michaëlis Ducæ Imperatoris iuſſu ποίημα νομικὸν. *De Iure opus*, ſeu Synopſin compoſuit. Τρία γὰρ εἰσιν ἅπερ (inquit) ἔχομεν· ἐλευθερία, πολιτεία, συγγένεια· ἡ τοίνυν μεγάλη, ἤτοι ὁ περιορισμὸς, τὰ τρία φθείρει. ὁ γὰρ περιοριζόμενος οὔτε ἐλευθερίαν εἶχε τὸ παλαιόν. hoc eſt, vertente Leunclauio. *Nam tria ſunt quæ habemus, libertas, ciuitas, familia. Igitur magna illa diminutio, id eſt deportatio, hæc tria perimit: nam deportatio nec retinebat olim libertatem.* Idque ipſum docuiſſe Græcum Iuris Romani interpretem κατὰ πόδας, refert is qui ex multis collegit narrationem tituli noſtri de Interdictis ex libris Baſilicon.

III. Hæc omnia adeò premunt magis quam alios Franciſcum Hotomanum *a*, vt credat non incommodè de his cenſeri, ſi aqua & igni interdictus libertatem non amiſerit; deportatus tamen, ſi qui in ſolitudinem aliquam, ſiue inſulam, quaſi inter feras relegaretur, amiſerit: quanquàm de illo ſecùs erit dicendum, qui ſola ciuitate ſpoliatus, non in inſulam, ſed in longinquam aliquam regionem relegatus ſit. Minor Hotomano tam ὑπόληψιν, & vanum differentiæ commentum excidiſſe; cui equidem auctorum Iuris teſtimonia repugnant toto horreo demenſa. Nam cum deportationis conditio perpetuo fuerit eiuſdem rationis, abſoluto vbique deportationis nomine, & appellatione pœnam intelligunt, quæ ciuitatem tantum adimit, l. XIV. §. III. De bonis libertorum, l. I. §. VIII. Ad S. C. Tertyllianum, l. II. § I. l. XVII §. I. De Pœnis, l. VI. De Interdictis; & expreſſiores cæteris l. LIX. D. Ad S. C. Trebellian. l. Deportatus XV. quæ ex Baſilicis eſt eodem tit. De Interdictis l. I. § II. De legatis tertio, §. Minor, Inſtitutionum de capitis minutione, & aliæ innumerabiles quibus abſtineo: nam res notior eſt, quàm vt contraria (quod Græci dicunt prouerbialiter) contrariorum agmine pellantur oppoſito. Nec video quis in aurem inſufflauerit Hotomano iſtam differentiam, inuiſam planè aliis, & inuulgatam deportationis in inſulam, & in longinquam regionem, ſi non is aliis libris fuit vſus, atque nos vtimur, ex vulgatis eum non collegiſſe hanc obſeruationem, in me libens recipio, prudenſque. Scio interpretibus ferè omnibus hærere aquam in hoc reſponſo Calliſtrati explanando: quod & tranſuerſum quodammodo egit Ioannem Gryphiandrum Oldenburgicum in Tract. De Inſulis cap. XVI. nu. 13. quidquid ipſe paulò infra *b*, videatur non ampliùs velle (quod in Lucretio eſt)

IV.

a *Ad Tit. Inſtit. De cap. minutis.*

b *n.*17.

*Auſus à vera longè ratione vagari.*

V. Plauſu maiori excipitur doctiſſimorum Interpretum coniectatio; quam ſi perſuaſerunt nobis, habemus iam, quo, verbo vno, expediamus totam quæſtionem. Aiunt deportatos naturalem libertatem retinuiſſe; aliam, quam

quam, ciuilem vocant,& ex Iure Quiritum,Romanorum dumtaxat ciuium propriam amiſiſſe. Qui ne loquantur ſine auctore, Ciceronis laudant hæc verba ex oratione pro Cæcinna; quibus vtique is Calliſtrati enarratorem agere videtur. *Si ſemel ciuitas* (inquit) *adimi poteſt, retineri libertas non poteſt: qui enim poteſt Iure Quiritum liber eſſe is, qui in numero Quiritum non eſt?* Acceditque maſculum argumentum, neſcio an ab aliis deductum, ex eodem Tullio in explicatione illius loci, quem ab enumeratione partium appellat, in Topicis. *Si neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber*, inquit Cicero: id eſt non conſequitur libertatem plenam, & legitimam; cum alias qui minus ſolenniter, nulloque ex his tribus modis manumitteretur, tamen liber fuerit. Eandemque interpretationem velle videtur idem Cicero, quando ait Pro Rabirio, veſtigium libertatis deportatos retinuiſſe, videlicet ciuilis, in ea, quæ remanet eis, naturali: Et Calliſtratus quandoque huius partis auctoribus *c* ſic explicatur, vt impropriè ſcripſerit libertatem adimi quæ tantùm minuitur, aut parte aliqua ſui decidit, cum & ſenectam, doloremque vires adimere, quanquàm non penitùs auferat, credamus Poëtæ. Ad hanc libertatem, quæ Iuris erat Quiritum, grauiſſimoque ſummi Oratoris teſtimonio aſſeritur, quidquid aduerſus libertatem deportati ex noſtris auctoribus, & aliorum monumentis prætendimus, libentes referunt inter alios triga doctiſſimorum Interpretum Franciſcus Dicarenus lib. I. Diſputat. anniuerſariarum cap. IX. Antonius Goueanus lib. II. Varior. cap. XI. Iacobus Cuiacius in notis ad Inſtitutiones: quos deinde ſequuntur Balduinus, Baro, Vulteius, Heigius, Borcholten, Rithershuſius, ac Pichardus noſter, aliique ad Tit. Inſtit. De capitis minutione: Euerarduſque Bronchorſt ἐναντιοφανῶν centuria III. enunciatione VI. Quod etiam, licet aliis verbis, admiſit Accurſius.

*c Duareno 1. diſp. c. 9. Baroni Ad Inſtit.*

Maluit tamen Iacobus Reuardus *d*, quo hanc euaderet ἀντινομίαν, ſtylum prehendere correctorium, & ſibi prorſus viam aperire vi. Calliſtratus ita benè conſtat illius animo, ſi pro *veluti cùm*, reponatur *vel vtique cum*: nempè hac ſententia; *conſumitur exiſtimatio quoties magna capitis diminutio interuenit, id eſt, cùm libertas adimitur, vel vtique cum aqua & igni interdicitur.* Minori autem opera idem conficit Albericus Gentilis *e*, aduerbium vnum in duo ſcindens, *vel vti cùm*. Et hoc eſt quod iam diu probauit Petrus Loriotus *f*, nec non & Paulus Buſius in Iuris ſubtilitatum *g* libris. Zoannetus *h* ab aliis laudatur tanquam emendationis alterius auctor, *id eſt cum libertas* &c. refingentis in, *idem eſt cùm libertas:* vt in parentheſi moneat Calliſtratus non magis conſumi exiſtimationem capitis minutione maxima, hoc eſt ſeruitute, quam magna conſumitur: cuius magnæ exempla poſt parentheſin duo appoſuit antiquum alterum ſeu antiquatum interdictionis aquæ & ignis, nouum alterum & conſuetum deportationis. Acutè quidem omnes: at ne appareamus repentè abſque nominatione Ædiles, non temerè concidimus quod in via offendit, ſi remouere quomodocumque poſſumus. VI.

*d L. 30. Variar. 5. de quo videndus Vulteius diſcept. ſcholaſtic. c. 12.*
*e L. 3. lect. c. 10.*
*f L. 2. Tra. 7. axiomate 10.*
*g L. 6. c. 2.*
*h De hac Zoanneti emendatione videdus Vulteius c. 12. diſcept. ſcholaſtic.*

Temperantiſſimi noſtrorum, & nouiſſimi rem ita explicant. Calliſtratus duplicem tantùm capitis minutionem hoc loco agnoſcit; quatenùs attinet ad diminutionem, conſumptionemúe exiſtimationis, quo de agit in hac lege quinta: magnam ſcilicet & minorem. Sub magna comprehendit priora duo membra vulgatæ in maximam, magnam, & minimam diuiſionis: *maximam* nempè, quæ μεγίστη Theophyli eſt, μεγάλη eiuſdem, Attaliatæque, & aliorum; & *magnam*, ſeu *mediam*, μέσην Græcorum, quæ & *minor* vulgo, ſed quia poſt maximam eſt, & vt opponatur minimæ, quandoque magna vocatur l. I. §. VIII. D. Ad S.C. Tertyllianum. Subintellexit vtique auctor minimam, Græcorum ἐλαχίστην, in proximè antecedenti paragra- VII.

 pho,

pho. Eodem planè conſilio, & ſtudio breuitatis, quòd opus ad rem non eſ-
ſet accuratiore diſtinctione, Vlpianus referens, quot modis definit ſuus hæ-
res eſſe filius, in l. 1. §. 1v. D. De Suis & legitimis, magnam, minoremque
dumtaxat enumerat capitis minutionem. Vt conſumatur exiſtimatio, non-
ciuem, hoc eſt peregrinum fieri, legumque commercio deturbari opus eſt,
cui conſumitur : nil tamen ad conſumptionis rationem attinet, liber ma-
neat, an ſeruus ille fiat, qui vltrà ciuis non eſt : cùm exiſtimatio, (vt definit
Calliſtratus idem ) non tantùm ſignificet ſtatum quomodocumque, aut
conditionem, ſed ſtatum dignitatis legibus comprobatum; qui quidem tam
deportato, ſiue peregrino deeſt, quàm ſeruo. In magna ergò capitis minu-
tione venit & media; quæ alias magna, ſi opponitur maximæ : & adiungit
Calliſtratus exempla quædam illius diminutionis (qualis, & quotuplex illa
fiet) quâ exiſtimatio conſumitur; in his nempè qui ſerui fiunt, & in his qui
peregrini tantùm. Promiſcuè quidem hæc, & perturbatè; ſed nihil exiſti-
mauit ſua intereſſe, aut explanandæ rei, ſi confusè, permixtèque, aut ſi di-
ſcretè, & electè ſingula iſta in genera ſua digereret. Poſuit ergò exempla
hoc ordine; in primis ſeruitutis quoquomodo impoſitæ; deinde facto laten-
ter gradu ad minorem calamitatem. Sed quæ non minùs eriperet, exiſti-
mationem, aqua & igni interdictionis; denique redit ad ſeruitutis cauſam,
metallique mancipes ſubſignat huic parti. Planè hoc illius fuiſſe conſilium,
ac ſententiam vidit olim Accurſius, quem ſequi malunt, quam alios con-
ciliatores. Antonius Faber *i* Hubertus Giphanius, Reinhardus Bachouius
*i In Iuriſ-prud. tit. 16. principio 1. illatione 3.*
ad Inſtitutiones : Marcus Lyklama l. Membran. ecloga XXXII. & gaudeo idem
placuiſſe Ioſepho noſtro de Retes. Horum me ſectatorem profiteor, dum
meliora alius, expeditioraque : atque ἐκλεκτικὸν me Potamonis diſcipulum
eſſe aio ſemper, ac teſtor.

VIII. Calliſtrato ad nos recepto, curemus itidem ne in transfugio ſint Vlpia-
nus, Martianus, Modeſtinus. De Vlpiano, & verbis illis, *cui liber factus* &c.
ne eandem repetamus cramben, proximo retro capite abundè dictum.
Marciano ſi eandem tribuimus figuratam loquutionem ( cuius exempla de-
dimus alio loco *k*) commodiſſimè proſpectum habebimus, ne nos percel-
*k C. 3. huiuſmet libri n. 10.*
lat hic Auſter. Rogat is, an ſuperueniens calamitas matris ei noceat, qui in
vtero eſt; eaque duplex, aut ſeruitus, aut exilium : & in priore tantùm
quæſtioni reſpondet. *Liberum, an ſeruum pariat, quæ prægnans manumiſſa fuit*
*deinde ancilla facta, vel expulſa ciuitate peperit.* Quæſtio erat. Sed nihil de exi-
lio in reſolutione illius : *& rectius probatum eſt, liberum naſci* (aut peregrinum
ex deportata matre; quod ſubticuit, ex eo, quod in ancilla exprimitur, ad-
iungendum) *ſufficit enim* (inquit) *ei, liberam,* ( aut ciuem ) *matrem vel medio*
*tempore habuiſſe.* Menſia lex iubebat, vti Vlpianus docet in Fragmentis, tit.
De his qui in poteſtate ſunt, natum ex altero coniugum peregrino dete-
rioris parentis conditionem ſequi. Finge, data ciuitas fuit prægnanti, quæ
poſtea in exilium abire iuſſa eſt propter delictum; edita proles in exilio ci-
uis erit, non peregrinus; quòd in vtero fuerit ciuis fæminæ medio illo tem-
pore; & iuſtus filius, etiam ſi iuſtæ nuptiæ cum exule non maneant : quæ
omnia in fictionem illam Romani Iuris, vteri, quoties de commodis eius
agitur, pro nato habiti, conijcienda & contribuenda ſunt. Interim hanc
nouè à me excogitatam Marciani explanationem in medium propoſuiſſe
non pudet : recta illa, an ſecus, carboneque, an minio digna notari, aliorum
eſto iudicium. Saltem Rebaldo temperatiores ſumus, qui verba omnia,
quorum defectus reddebat hoc fragmentum difficile, audacter voluit ei
attexere.

IX. Denique Modeſtinus duo illa cuiuis videbitur ſatis diſtinxiſſe, inter-
dictionem

dictionem nempè ab ea capitis minutione, quæ libertatem, & ciuitatem adimeret in d.l.IV. in fine de gradibus. Æquè ſe prodit conſtitutionis Augg. Theodoſij, & Valentiniani ſententia in lib. II. C. Vt nemo priuatus &c. qui adeò nouerant deportationem libertatis ſtatum non attingere, vt neceſſe habuerint exprimere propter ſolennem, ac notam deportationis conditionem, ciuitatis nempè prohibitionem, ſeueriore altera ſeruitutis puniendum. Imperatorum planè iure illo, atque æuo, non tam ſtrictè, atque olim, receptæ, irrogatæque pœnarum ſpecies; quin ex arbitrio Principis diuerſam, aut ſaltem non omninò eandem naturam induerent: quod factum credas in hac cauſa, legeque finali C. de poſtliminio reuerſis: vbi *dari reos metallis cum pœna deportationis*, turbata huius pœnæ appellatione ſcriptum extat, & in l. VI. C. De ſpectaculis lib. XI. Vbi *proſcriptos*, aiunt Cæſares, *mancipari* debere *exilij pœnæ, metallis publicis addicendos.* Iuriſconſultorum æuo non ſic inter ſe committerentur, aut inſuper propria nomina pœnarum haberentur.

Ex reliquis Boëtius, & Græcus Baſilicon interpres, videntur mihi Cal- X.
liſtratum exſcripſiſſe, aut quidem ad Ciceronis ciuilem libertatem reſpe-
xiſſe, ſi non in vitio cubant, aut male-ſani ſunt incuria tranſcriptorum. De XI.
Michaële Attaliata aliter ſtatuendum eſt; ſignificare eum voluiſſe non de-
portatum quomodocumque, ſed ad opus faciendum deportatum; vt non
mirum ſit, ſi hic homo libertatem amittat, qui pœnæ ſeruus redditur. Nam-
que ſubiungit ille, *ὁ γὰρ περιωριζόμενος οὔτε ἐλευθερίαν εἶχε τὸ παλαιὸν, ἀλλ' εἰς μέ-
ταλλον εἰργάζετο, ὀρύττων θεῖον ἢ σίδηρον.* Hoc eſt, *nam deportatus* (*περιωριζόμενος circumſcriptus, certis finibus incluſus,* eſt) *nec libertatem retinebat olim, ſed opus in
metallo faciebat, aut ſulphur, aut ferrum fodiens.* Videri eadem Synopſis poteſt
tit. De pœnis. Abſoluam hoc caput tranſcriptis huc in gratiam noſtræ gen- XII.
tis, eorumque, qui ſciunt Hiſpanicè, quæ ad hanc partem attinent Alphonſi verba ex Iure ſeptem partito, l. II. Tit. XVIII. Partita IV. *E eſta muerte atal, que es llamada ciuil, ſe departe en dos maneras, la vna dellas es como ſi dieſen Iuicio contra alguno para ſiempre que la braſſe las obras del Rei, aſi como labores de ſus Caſtillos, o para cauar arena, o traer la à ſus cueſtas, o cauar en las minas de ſus metales, o à ſeruir para ſiempre à los que an de cauar, o detraer, o en otras coſas ſemeiantes à eſtas: e eſte atal es llamado ſieruo de pena. La otra manera es, quando deſtierran à alguno por ſiempre, o le embian en algunas islas, o en algund otro lugar cierto, onde nunca ſalga, e le tomam demas todos los bienes; e eſte atal es llamado en latin deportatus.* Hucuſque Hiſpania lex.

# CAPVT DECIMVMTERTIVM.

## Relegatione ciuitatem non adimi.

I. *Relegatio ciuitatem, aut iura ciuis non adimit.*

II. *Etiam perpetua.*

III. *Et cum bonorum publicatione.*

IV. *Relegatio tam leuis pœna, vt non ſemel ſpecie aliqua honoris velaretur.*

V. *Plura huius rei exempla.*

VI. *Relegari abeſſe tantum fuit à patria.*

VII. *Et relegationem intelligo eam quoque, quæ fit in inſulam.*

VIII. *Franciſcus Hotomanus taxatur, qui relegationem aliquam cum amiſſione ciuitatis conſtituere non dubitauit.*

XI. *Falſus nempè ab incorrecta lectione l. v. De capite minutis.*

X. *Cuius vera lectio ea eſt, quam præferunt Florentinæ Pandectæ.*

XI. *Minuitur tamen relegati exiſtimatio, nec integer ciuis manet, aut honorum capax.*

XII. *Similis erat relegato is, qui ad tempus damnaretur in opus publicum.*

XIII. *Quatenùs verum ſit ſtatuis, & imaginibus honorari relegatum poſſe.*

I. DEportationem diſtinximus à relegatione, quòd illa ciuitatem adime-
ret, hæc ſecùs. Id nobis in poſteriore iſtarum confirmandum eſt hoc
capite. Marcianus ait; *Relegati in inſulam in poteſtate ſua liberos retinent, quia*
*& alia omnia iura ſua retinent.* l. v. D. De Interdictis: ſiue ad tempus, ſiue in
II. perpetuum relegati; l. VII. §. III. D. eodem: quia integrum retinent ſtatum,
dominiumque rerum ſuarum, ac teſtamenti, & patriæ poteſtatis iura. Ex
Baſilicis hoc conſtat totum cum ſuis partibus, ὁ ἐξόριςος ἀκέραιαν ἔχει τὴν οἰ-
κείαν κατάςασιν, καὶ τὴν δεσποτείαν τῶν αὐτοῦ πραγμάτων, καὶ τὴν ὑπεξουσιότητα τῶν
παίδων εἴτε προσκαίρως, εἴτε διηνεκῶς ἐξορισθείς. Pomponij locus, vnde Græci hau-
ſerunt, legitur hodie iam in Pandectis, ſiquidem Latinus non extat, ex pe-
regrino deriuatus fonte, in l. XVIII. eodem titulo: nempè ita. *Relegatus inte-*
*grum ſuum ſtatum retinet, & dominium rerum ſuarum, & patriam poteſtatem, ſiue*
*ad tempus, ſiue in perpetuum relegatus ſit.* Teſtamentum relegati continet lex
v. De rebus dubiis: De iure condendi teſtes ſunt Caius in l. VIII. D. Qui te-
ſtam. facere poſſunt, Paulus III. ſententiarum IV. liberos in poteſtate reti-
III. neri confirmatur l. VII. §. V. De Senatuſconſulto Macedoniano. Nec publi-
catione bonorum *a* hoc ius adimitur relegato. Domicilium in vrbe retineri,
ex Marcello Vlpianus docet in l. XVIII. in fine. Ad Municipalem: licet in eo
loco, in quem relegatus eſt, domicilium quoque, atque iſtud neceſſarium
interim habeat l. XXII §. III. D. eodem. De illo verò, qui non aliquò fuit rele-
gatus, neceſſe eſt facto oſtendat velle ſe domicilium in loco, vbi moratur,
conſtituere: alias neutiquam videbitur illius loci incola, nec gaudebit il-
lius priuilegiis: quod vtiliter admonuit non nemo *b* ex noſtris. Videri poſ-
ſunt Paulus in l. XX. Vlpianuſque in l. XXVII. §. I. & II. D. Ad Municipalem.
Statuit, & imaginibus honorari non prohibetur: l. XVII. hoc tit. Quod enim
probro dat gentibus Arnobius in fine libri primi, *quadrigis, & ſtatuis, mune-*
*rari*

a *V. Clarũ l. 3. ſent. §. Teſtam. q. 22. n. 9.*

b *Ignatius del Villar in ſilua reſponſorum reſponſo 7. p. 5. n. 23.*

*rari ab iis exules, & fugitiuos*, potius pertinet ad ſeueriſſimum exilium peregrinitatis. Per Procuratorem in vrbe litigare. l. XIII. D. Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.

b Prorſus *abeſſe* tantum fuit *ab vrbe* relegari; quod non minus animi cauſa, ſiue rei, aut muneris gerendi, quàm pœnæ fiebat. Adeò vt relegatio eius, quem procul habere vrbe ſua vellent Romani, & aliæ gentes, quandoque honoris ſpecie velaretur. Magnam huius concilij exemplorum manum ſub calamo habuit Ianus Gruterus, cum trigeſimum quartum caput ederet ſuorum aliquot in Tacitum diſcurſuum. Res nihilominus demõſtranda hîc breuiter eſt, atque expedienda delectu alio teſtium. Cicero Tullius de ſuo exilio. Catoniſque amandatione ad Cypriam pecuniam colligendam, ait, pro domo ſua: *Sic M. Cato inuiſus* (alias *inuitus*) *quaſi per beneficium Cyprum relegatur. Eiiciuntur duo, quos improbi videre non poterant; alter per honorem turpiſſimum, alter per honeſtiſſimam calamitatem.* Similia ferè Plutarchus de iis, & Velleius lib. II. Æmilius Probus, ſiue quis alius, in vita Attici: *ita vt Brutus & Caſſius* (ait) *Prouinciarum, quæ eis dicis cauſa datæ erant à conſulibus, deſperatis rebus in exilium proficiſcerentur.* Othoque iam olim à Nerone dimiſſus ad Luſitaniæ Præfecturam, ne æmulus ei eſſet in Popæa coniuge, cum turbare mox aduerſus Galbam vellet, *prægrauem ſe Neroni* prætendebat *fuiſſe* (apud Tacitum I. Hiſtoriarum) *nec Luſitaniam rurſus, aut alterius exilij honorem expectandum.* De quo huius exilio, ſiue Præfectura diſtichon hoc, quod apud Suetonium in Othone legitur, accipe argutiſſimum. IV. V.

Cur Otho mentito ſit quæritis exul honore?
Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

Optimus quidem Satyrarum ſcriptor, à Domitiano, quem in Paride offenderat miſſus dicitur in Ægyptum ſub obtentu honoris, vt militibus, qui eò ducebantur, præeſſet: auctore anonymo, qui vitam illius ſcripſit; de quo tamen Poëtæ exilio adeundus omnino eſt doctiſſimus Lipſius Epiſtolic. quæſtion. lib. IV. epiſt. XX. Petrus item Pithæus in Notis ad vitam c illam Iuuenalis. De Licinio Marciano Tacitus ait eleganter Hiſtoriarum lib. I. *Mox attritis opibus, lubrico ſtatu, ſuſpecti etiam Claudij iracundia, tam propè ab exule fuit, quàm poſteà à Principe.* Tam non diſtabant inter ſe multum quæuis abſentia à loco, & relegationis pœna, vt ſolennitate damnationis, atque ignominia, ſtrepituque iudicij dempto, aliud pro alio facilè reputandum veniret. Manet ergo ius patriæ relegato; cui quidem in Iure noſtro adaptatur hæc circumloquutio, *qui in exilium ſalua ciuitate abiit*, vt neceſſarium eſt exiſtimare in l. IV. principio D. Si quis cautionibus &c. Patriæ tantum copia ſubducitur. Ouidius IV. Triſt. eleg. IX. irrogatæ ſibi relegationis conſcius ait. VI.

c *Quæ eſt in editione Lutetiæ 1613.*

*Omnia, ſi neſcis, Cæſar mihi iura reliquit:*
*Et ſola eſt patria pœna carere mea.*

Quod tam de Inſulæ mancipatis, quam de loco aliquo, Prouinciaue interdictis velim intelligas, ex d. l. VIII. §. III. D. Qui teſtam. facere poſſunt. Planè inter eos homines, qui commiſeratione digni ſunt, non minus relegati, quàm exules alij durioris conditionis veniunt accipiendi. Quippe quia eis conſignari ſolet priuilegium l. Vnicæ. C. Quando Imp. inter pupillum &c. vt litem ipſi primum introducere incuria Regis, neque tamen conueniri non ſponte ſua ibidem queant *d*. VII.

Attamen non ſinit promouere nos Franciſcus Hottomanus vir totius antiquitatis, atque in primis Romani Iuris peritiſſimus, exceptionem ingerens regulæ, quâ ciuitatem relegato conſignabamus. Quippe ait lib. II. Obſeruat. cap. IV. abnorme non eſſe, aut procul à Iuris conſuetudine, ſi relegatus VIII.

d *Vide Gab. Aluarez de Velaſco in Tr. de Priu. miſer. per-*

ſonarũ 3.p. legatus iure ciuitatis interdum prohiberetur : quod Paulus ei probat ( vt
q.15. ex n. eſt in vulgaribus libris) in l.v. D. De capite minutis. Agit de his, qui capi-
17. de quo te minuuntur ciuitatis amiſſione. *Sed & hi* (inquit) *capite minuuntur quos Se-*
& Gaiium *natus hoſtes iudicauit, vel relegati, vtique vſque eò, vt ciuitatem amittant.* Quod
1. Obſ. 1. n. quidem in eo factum oportuit relegato tutore, in cuius locum alius dicitur
38.
IX. dari tutor in l. pen. C. In quibus cauſis tutorem habenti &c. Planè iam nos,
ne hoc eſſet apertiſſimum coniecturæ ſuæ argumentum Hottomano alibi
fecimus, dum de tutoris ab exilio excuſatione commentaremur. De Pauli
X. ſententia ne anxij eſſemus, pariter effecit Florentiæ liber, in quo legitur:
*quos Senatus hoſtes iudicauit, vel lege lata, vtique vſque eò vt ciuitatem amittant.*
Quam lectionem & vidit Accurſius, & verterunt in Baſilicis Græci No-
mothetæ: ſic videlicet. Καὶ οἱ αὐτομόλοι, καὶ οἱ παρὰ τῆς συγκλήτου πολέμιοι διὰ
ψήφου ἢ νόμου κριθέντες, ὡς καὶ τῆς πολιτείας καταπεσεῖν. *Transfugæ capite minuun-*
*tur, & qui ſenatus decreto, vel lege hoſtes ſunt indicati, vſque eò vt ciuitatem amit-*
*tant.* Senſus eſt, minui eos capite qui Senatus conſulto, aut lege hoſtes
ſunt iudicati; atque eo vſque minui, vt mediam capitis minutionem, quæ
ciuitatem adimit, patiantur. Atqui propter id minus placet Hottomano hæc
ſcriptura, quòd non legibus ſed Senatus conſultis hoſtes more Romano iu-
dicarentur. Huic tamen non vllus animum, aureſúe vſquam commodabo,
ſi teſtimonio id auctoris idonei mihi non priùs adprobatur, (quidquid ex-
emplorum ſuppetat copia de poteſtate hoc Senatus) populo non licuiſſe
olim, deinceps ue ei, qui populi vice Rem geſſit publicam, in togatos ho-
ſtes, vt Cicero appellat, vim legis exſerere. Cuius contrarium expreſſiſſi-
mis, frequentiſſimis docere poteramus exemplis, ſi non vtique hoc toto o-
pere ſparſa eſſent. Placet vtique ſuos cuique rei, & pœnæ fines nominaque
illa ætate Iuriſconſultorum determinare; ineptum quippe admodum eſſet
relegationis nomine ſolidam deportationis pœnam, quæ maximè ademptio
eſt ciuitatis, quam verè cætera huius calamitatis mala conſequuntur, aut
veteres irrogauiſſe, aut nos intelligere.
XI. Minuitur tamen, quod ſalua fieri poteſt ciuitate, relegati exiſtimatio;
quia cùm quis relegatur, circa ſtatum dignitatis (& hic alius eſt ab ſtatu ca-
pitis) pœna plectitur: vt ait Calliſtratus in l v. §. II. D. De extraord. cogni-
tionibus. Nec ampliùs integer ciuis audire poteſt; cùm integer ſit Senecæ
e Lib. 1. de e, is dumtaxat, qui nullius criminis reus manet in ciuitate. Vnde munera
Clementia publica ei pereunt. Qui relegatus ad tempus eſt, ſi Decurio ſit, deſinit eſſe
c. 15. Decurio: ait Vlpianus in l. II. D. De Decurionibus.
XII. Præſtringenda iam duo ſunt ἐν παρέργῳ. Simillimam relegationi hoc re-
ſpectu pœnam illam fuiſſe, quâ in opus publicum dari ad tempus tenuiores
& plebeij ſolebant; cùm vtique in honeſtiores relegatio vſurparetur. *Ad*
*tempus in opus publicum damnati* (aiunt Seuerus, & Antoninus Impp.) *priſti-*
*num quidem ſtatum retinent.* in l. VI. C. ex quibus cauſis infam. irrogetur. Et
Paulus III. libro ſententiarum tit. IV. vtramque coniunxit pœnam. *In inſu-*
*lam relegatus, & ad tempus in opus publicum damnatus, quia retinet ciuitatem, te-*
*ſtamentum facere poteſt.* Alias ad opus perpetuum dati ἀπόλιδες fiebant: lib.
XIII. XVII. § I. D. De Pœnis f. Deinde quod intimauimus ex Pomponio, delega-
f Videri tum ſtatuis, & imaginibus honorari poſſe; iure dubites, Romæne, an alio
poſſit Cuia- quouis loco, id olim licuerit. Ego vbilibet exiſtimo. In vrbe non niſi pro-
cius lib. 16. pter aliquod egregium opus benè de Repub. meritos ſtatuis, reipublicæ
Reſp. Pap. in tempore decoratos credere par eſt, & veterum teſtimoniis abundè innui-
l. 34. de pœ- tur. Imperiali autem æuo, etiam ante Claudium, licuiſſe omnibus, qui vel-
nis Faber lent, ſcio, pictura, ære, lapide ſuam effigiem publicare: opuſque ſanctione
2. ſemeſt. 5. huius Cæſaris fuiſſe, ne quis in poſterum priuatus imaginem ſuam poneret
iniuſſu

iniuſſu Senatus, niſi opere publico ædificato, aut refecto; auctore Dione libro Hiſtoriarum LX. Hoc ſi ſumptibus, auſpiciiſue relegati factum fuiſſet, (cuius partis eſt Diuorum Fratrum quodam reſcriptum à Paulo I. C. laudatum in l. VIII. De pollicitationibus) aut aliâ de causâ dignum ſe is præbuiſſet, cui concederetur ſtatuæ locus, honoris huius expers propter relegationis pœnam minimè fieret. Extra vrbem facilius decretum, impetratumue ſtatuas priuatorum in publicum poni. Verres cum impleuiſſet ſuis, & patris, & filij Siciliam, plures habuit, in quibus ſibi Prouinciam excedenti illuderetur: ſolennibuſque fuit illorum, qui lautiores in municipiis ſuis eſſent, cautio illa teſtamentaria, *ſtatuæ ſibi vt ab hærede ponerentur*: cuius exempla paſſim ſunt in Pandectis g: exornatque morem Merillius lib. IV. Obſeruat. c. XIII. Quæ ſcilicet ornamento vrbi aut reipublicæ ſint futuræ. Vt Paulus ait in l. vltima. D. De loco pub. fruendo. Quod ſiue ad pulchriorem loci ſpeciem, ſiue ad honorem referas, quod publicæ rei parit multiplex ciuium honeſtiorum in monumentis conſpectus, germanam Pauli ſententiam calluiſti.

g *L. 14. de cond. & demonſt. l. 5. de oper. pub. l. 7. de annuis leg. l. 17. inf. De vſuris.*

# CAPVT DECIMVMQVARTVM.

## De Infamia, an ſit in relegatione & quomodo ea in damnatione euitari poſſit.

I. *Relegatus ex famoſo crimine infamis eſt.*
II. *Vti & fuſtibus cæſus.*
III. *Et quicumque aliis ex famoſo crimine quacumque pœna condemnatus.*
IV. *Crimen infamat reum, non ſententia.*
V. *Semel infamis factus, etiam à relegatione temporali reuerſus, infamis manet.*
VI. *Aliter conſtituit Antoninus Imp. de ordine moto ad tempus.*
VII. *Quiſnam hic Antoninus auctor lib. 1. C. De his qui in exilium &c. libro X?*
VIII. *Operi publico ad tempus datus etiam finito eo, infamis manet.*
IX. *Duo modi euitandi infamiam.*
X. *Iudex pœnam excedens legitimam, quaſi tranſigit cum reo de infamia.*
XI. *Vbi Iudex pœnam auget, lex minuit ſuam.*
XII. *Hoc eſt corporalem, non pecuniariam.*
XIII. *Iudex cum cauſa minuens pœnam legitimam, damnato infamiam euitat.*
XIV. *Cum cauſa, inquam, non gratioſè.*
XV. *Hoc eſt cauſa delictum minuente.*
XVI. *Vel eius malitiam eleuante:*
XVII. *Non iniuſta, & ſordida.*
XVIII. *Cauſamque huiuſmodi exprimere is debet in ſententia.*
XIX. *Hucuſque dictorum ſumma.*
XX. *Statuis & imaginibus forte donati etiam infames.*

AT libenter hunc honorem relegato tribuam, inquis, ſi non infamis eſt. I.
Profectò talem eſſe ſuadetur affatim in toties adducta l. v. D. De extraord.

traord. cognit. Quod ipſum dein tuetur neotericorum *a* auctoritas. Valet-
que argumentum à leuiore ad grauiorem pœnam. Docemur enim in l I.C.
De His qui in exilium &c. libro X. Ordine motum, aduocationeue interdi-
ctum infamia notari; quæ tamen poſt impletum interdictionis tempus non
prorogabitur. Quæſtio hæc eſt huius tractatus propria, cuius ſynopſin ex
Iuris auctoribus, cùm antiquis, tum nouioribus dabit hoc caput. Concluſio
eſt. Relegatus ex cauſa turpi, & famoſa iuſſus abire, ſiue in tempus, ſiue in
perpetuum, infamis eſt. Regulariter ergo (vt loquuntur noſtri) relegato
tribuimus ignominiam, cùm non fuerit vt pœna hæc irrogaretur propter
factum non turpe. Exempli gratia; fuſtibus cæſus, non aliter infamis eſt,
quam ſi ex crimine punitus ſit famoſo: quod aiunt Marcellus in l. Ictus XXII.
D. De his qui not. infamia, & Gordianus Imp. in l. XV. C. eod. tit. quomodo
II. & accipiendum eſt quod habetur de hac fuſtium caſtigatione in l. V. §. II.
De extraord. cognit. Puta, ſi relegetur propter crimen publicum, δημόσιον
ἀδίκημα Græcorum, quod ſcilicet lege aliqua cautum fuit, vt publicum eſſet
*b*: vel quidem propter priuatum, quod tale fuit, vt etiam in priuato iudi-
cio infamiam importet l. VII. De publicis iudiciis; vbi exempla huius partis
poſuit Macer, furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum crimina: pluraque
alia Iulianus in l. I. principio. De his qui not. infamia.

III. Non ergo relegatio ipſa nomen eſt ignominiæ, ſiue ignominioſæ
damnationis. Lex eſt quæ infamiam irrogat; quæ criminis famoſi reum, &
damnatum, vel ſaltem in eo deprehenſum *c* iubet famoſum eſſe. Ideò exi-
lium contumaci dictum infamiam non irrogat *d*, quia nondum conſtat de
IV. crimine famoſo. Sententiam pronuntiat Iudex damnatum perpetraſſe rem
turpem, cui pœnam irrogat quidem legitimam: imò quamuis de pœna nil
ſubiiciat, legis tamen poteſtatem non impedit l. I. §. IV. D. Ad S. C. Turpil-
lianum; neque efficere poteſt, vt furti damnatum non ſequatur infamia, l.
LXIII. De Furtis, l. XL. De Iniuriis: vtpote in cuius poteſtate ſita eſt tantum
*facti quæſtio*, quæ eſt Græcorum Interpretum ἐπεξεύσις, *non iuris auctoritas*; vt
grauiter ait Papinianus in l. XV. D. Ad Municipalem: quo vtitur Marcianus
in l. I. §. IV. ad Turpillianum. Cicero ad rem valdè pertinet lib. II. De Inuen-
tione: *Ea pœna* (parricidij) *ſi afficireum non oportet, damnari quoque non opor-
tet: quoniam ea pœna damnationem* (cauſæ, cui ſubſcriptum fuit parricidium)
*neceſſario conſequatur.* Vlpianuſque, ſi vera lectio illius eſt, quæ facillimè re-
ſtitui poſſe videtur, in l. Palàm XLIII. §. XII. D. De Ritu nuptiarum; hoc ſen-
ſu, *quia factum* (ait) *lex, non ſententia notauerit.*

V. Quidnam vero eſt id, quod inquiebamus, temporariam relegationem
propter crimen famoſum infamiam inurere damnato? An temporaria eſt
aliquo ignominia, quæ cum pœna ambulet: an ſemel damnatus, & igno-
minia notatus perpetuò ignominioſus eſt? *Rapidus fluuius eſt hic*, (vt Plauto
*e* vtar) *non hac temerè tranſiri poteſt.* Profectò in fontibus ipſis auctorum Iuris
veterum limpidiſſimis, tam aquæ deduci ſe ad nouiorum riuos non facilè
patiuntur, vt etiamnum, quod iuris in re ſit, conciliandique rationem, do-
ctiſſimi *f* quærant. Nam primò, infamiam, quæ ſemel irrogata eſt, perpe-
tuò durare, tamque ordine motos, quàm ad tempus relegatos, ſi pœna æ-
qualis fuit commiſſo crimini, honoribus in perpetuum interdici, ſcriptum
reliquit Papinianus in lib. II. Quæſtionum, cuius verba ſunt in l. V. De De-
curionibus. quod ipſum reticuiſſe, ſed tamen ſatis innuiſſe, ne ſecum pu-
gnet, cenſendus eſt in l. XV. D. Ad Municipalem. Eiuſdem ſententiæ eſt l.
VI. C. Ex quibus cauſis infamia irrogetur. In oppoſitum tamen adducitur;
biennio V. G. abſtinere, aut excedere iuſſum, tranſacto tempore in nume-
ro infamium non eſſe: quomodo reſcriptum fuit ab Imperatoribus Seue-
ro, &

a Bart. in l. 8. §. 1. & in l. 18. §. 1. Qui teſta. Bal. l. in l. fin. in fine C. ſi à non comp. Iud. & in l. 1. C. de ſecund. nuptiis allegati à Ioãne Andrea in Reg. Infamibus. De Reg. Iuris in 6.

b De crimine publico tractant Cuiacius 8. obſ. 33. Pãcirola 2. var. 123. Salmarius de modo vſurar. p. 23. Amaja ad l. 10. Cod. t. 57. n. 56.

c L. 43. c. 12. De ritu nupt.

d Bald. in l. 1. n. 5. C. De calumniat. Clarus l. 5. ſent. §. fin. q. 71.

e In Bacchidibus.

f V. Treutlerii vol. 1. diſp. 8. q. 11. VVeſembechiũ in Parat. ad Tit. De his qui not. infamia.

ro, & Antonino in l.III. C. eodem tit. ex quibus cauſis infamia &c. ſimilli-
maque eſt l.I. C. De his qui in exilium &c. lib. x. Qua in contradictione, VI.
recurrendum omninò eſt ad diſtinctionem legitimæ pœnæ, ciuſque quam
conſtitutio induxit Antonini: quod plures g faciunt. De eo teſtis eſt Vlpia-
nus in l.III § I. De Decurionibus. *Imperator* (ait) *Antoninus edicto propoſito*
*ſtatuit, vt cuicumque, aut quacumque cauſa ad tempus ordine, vel aduocationibus,*
*velquo alio officio fuiſſet interdictum, completo tempore nihilominus fungi honore,*
*vel officio poſsit.* Additque. *Et hoc rectè; neque enim exaggeranda fuit ſententia,*
*quæ modum interdictioni fecerat.* Fatetur tamen, quod æquum fuit, Cuiacius
lib.XX. Obſeru c.XXXVIII. conceptum de eo, qui ordine motus fuit, edictum
ad relegatum non pertinuiſſe. Antonini edictum, quod Vlpianus laudat, ho-
die legitur in l. I. C. De his qui in exilium libro x. At cuiuſnam Antonini? VII.
Nam in huius legis inſcriptione Marcus Antoninus vocatur: in lege autem
VIII. De poſtulando, ſimillimi cuiuſdam reſcripti Titus Antoninus fertur
auctor. Sed diuerſus omnino eſt Titus Antoninus Pius qui reſcriptum de-
dit, ab alio M. Antonino Caracalla cuius edictum eſt. Reſcripſerat enim
Diuus Pius olim de ordine motis, vt non perpetuò eſſent infames: reſcri-
pſerat Hadrianus ſimile quid de relegatis; quod etiam Papinianus refert in
eadem l.VIII. Sed adhuc ex reſcriptis his duobus non inualuit ius; ideoque
opus fuit edicto Caracallæ: quod quidem conceptum eſt de ordine, mu-
nereúe ad tempus motis: nec ad relegatos extendendum eſt. Hæc Cuiacius
iterum lib.II. Quæſt. Papin. in d. l.VIII. De poſtulando. Quæ quidem haud
parum meliora ſunt his, in quibus ſibi placet Treutlerus, ſiue auctor reſo-
lutionum ad illius quæſtiones. Volum.I. Diſput. VIII. quæſt.XI.

g *Cuiacius l.20. obſ.38 & in l.15. Ad Municip. Treberius & Ant. Faber apud Hittigerũ l.18.c.8. lit.HH.*

Ergo in tuto poſitum nobis, eum, qui relegatur propter famoſum cri- VIII.
men, tempore etiam pœnæ tranſacto, ignominioſum eſſe: ſicuti de illo, qui
ad opus publicum temporarium damnatur reſcriptum eſt ab iiſdem Impp.
Seuero, & Antonino in l.VI. C. Ex quibus cauſis infam. irrog. quem iam mo-
nuimus relegato ad tempus perpetuo comparari. Planè non niſi alio ex IX.
duobus modis aboleri hæc nota, & infamia poteſt. Prior eſt reſtitutio Prin-
cipis in ſpecie impetrata; de quâ non eſt hic opportunum tractare, cum pro-
prium habeat locum in tertio libro. Altera & poſterior eſt, ratio & modus
pœnæ legitimæ inſuper habitus. Quod rurſus aliter, & aliter contingere
poteſt. Si per exceſſum Iudex legi non obtemperet: puta ſi ſeueriorem, X.
quam debuit ex lege, impoſuit pœnam: vel per defectum ſi legitimam di-
minuit. Circa exceſſum, in ſuperioribus iam fuit animaduerſum, duriori
ſententia cum damnato tranſactum de exiſtimatione videri, ex Vlpiano, Pa-
piniano, Macro, & Auguſtis in L.XV. D. Ad Municipalem l.XIII. §.VII. De
his qui not. infamia l. IV. C. ex quibus cauſ. inf. l.V. D. De Decurionibus,
l.X. § vltimo De pœnis: Siue Iudex imperitia, aut impotentia, & animi ſæ-
uitia modum legis exceſſit, ſiue ex iuſta cauſa exacerbauit ſupplicium, vt
nimirum exemplo prodeſſet, ex præcepto l.XVI. §. IX. & X. D. de pœnis, l.
VIII. Tit. XXXI. Partitæ VII. Vbi Iudex pœnam auget, lex minuit ſuam: &
quaſi plus acceperit à reo quàm ſibi ab eo deberetur, remittit inuicem reo XI.
aliquid, quod reus legi debebat: quæ verba ſunt Scipionis Gentilis in hac re
dilucida, & apta ſatis. Id planè ſignificat locus alius Arrij Menandri, cum
ait in relegato ad tempus, qui expleto pœnæ ſpatio militem ſe dedit, cau-
ſam damnationis quærendam eſſe, vt ſi contineat infamiam perpetuam re-
moueatur, ſi tranſactum de futura ſit, in ordine eſſe, & honoribus militiæ
fungi non prohibeatur: l.IV. §.IV. De re militari. Idem eſt ſi Iudex arbitrium
excedat boni viri; aut quod in conſuetudine eſt talium iudiciorum: quod
maximè notandum: propterea quod ætate Iuriſconſultorum abolitis iudi-

*L. 1. de Iuriſdict. c.35.*

ciorum formulis pœnæ demùm, & iudicia omnia extraordinaria, facta ſunt, vt ex l. VIII. D. De Publicis iudiciis, & lib. XIII. De Pœnis admonent neoterici ſcriptores *h*, Quam obſeruationem hodie inutilem eſſe, vt ſcilicet maiori pœna cum cæteris damnis tranſactum videatur, neſcio quâ ratione motus dixerit Antonius Mornacius in obſeruationibus ad Digeſtorum libros *i*: cum & æquiſſima ſit, nec noſtris hodiernis moribus, & Iudiciorum legibus abſona: Vt ſi flagellis cæſus publicè fuiſſet is, qui non ſic puniri, pœnaue, quæ infamiam importat, qualis ea eſt verberum, coërceri debuit, quare non videbitur duriore ſententia tranſactum cum infamia fuiſſe?

XII. Tranſigitur vtique exacta maiori quam æquum fuit corporali pœna; non pecuniaria; quod idem Vlpianus notat opportunè in l. XIII. §. VII. De his qui not. infamia: De quo fuſius plures *k* tractant, deque tota hac re. Excipiunt aliqui *l* tamen, tum ſolum operari Seueriorem ſententiam, ne infamis ſit damnatus, quando à ſententia ipſa infamia infligitur: at ſi à lege, & à iure ipſo, nullas eſſe partes Iudicis, nec vllo modo mederi eum poſſe contractæ iam infamiæ: quod magis eſt.

XIII. Diminutione legitimæ pœnæ, ſi iuſta aliqua intercepit cauſa, infamiam euitari recipiunt non minùs nouiores: quoniam Iudex pœnam minuens propter circunſtantiam oſtendit reum dignum non eſſe nota: quæ videtur eſſe ratio illius reſcripti Augg. Seueri, & Antonini in lib. III. C. Ex quibus cauſ. infam. irrog. Vt ſaltem iſtius legis cauſa neceſſarium non ſit recurrere ad Antonini edictum, quod Vlpianus laudat: ſi quidem aliud ab iſto eſt. Imò de hoc Antonini reſcripto cenſent quidam, eâ nimirùm ratione ad tempus motos, exacto eo, Antoninum admittere; quia vel maiori pœna de infamia tranſactum, vel minori propter cauſam irrogata pronunciatus fuiſſet nocens indignus nota. Eâdemque regulâ metiuntur Vlpiani reſponſum in l. II. principio. D. De Decurionibus. Hæc tamen mera diuinatio eſt. Aptius quidem explicant de hac diminutione pœnæ l. IIII. C. Ex quibus cauſis inf. &c.

XIV. Diminutio autem pœnæ, ſine vlla circumſtantiæ ratione, ſed gratia tantùm facta, nihilominùs infamiam irrogat; quod affirmat Papinianus in l. XV. D. Ad Municipalem. Hæc fermè Duarenus, Eguinarius Baro, Petrus Caballus poſt antiquos Accurſium, & Bartolum, Baldũque in re cenſent *m*.

XV. In cauſis quidem pœnæ minuendæ, propter quas fit, vt infamia euitetur, eam regulam conſtituunt: cauſæ minuentes delictum, puta in homicidio minor ætas, iniuria accepta, prouocatio, æſtus iræ, aliæ, quæ crimen ipſum pertingunt, ita vt valent temperandis corporalibus ſuppliciis, æquè auertunt à damnatis infamiæ notam. De his cauſis plena ſunt Iuris *n* commentaria.

XVI. Adiungendæ ſunt illæ etiam, quæ quidem non minuunt facti malitiam, ſed tamen pondus aliquod habent, vt leuior pœna reo imponatur: quales inprimis ſunt hominis dignitas, ſiue artificij, aut doctrinæ exiſtimatio: quod (tametſi Bartolus in d. §. pœna grauior lib. XIII. aliique non recipiant, imò contrarium potiùs) non leuiter ſeſe nobis in eo commendat, quod probis, & honeſtis viris maior vtique fiat in calamitate ignominia, quàm in aliis pœnis ſenſum lædentibus, grauiorque iactura. Cur autem clementia iudicij in temperanda illius pœna, qui conſpicuum ſe propter ingenium, aut dignitatem dedit, atque extra ſortem communem poſuit, circa minora hæc, & leuiora, quæ corpus affligunt, non autem circa ea verſetur, aut ea non temperet, molliatúe, quorum præcipua cauſa eſt apud honeſtos viros, quæque animum altiſſimè vulnerant? Et quare indulgebimus ingenio, aut nobilitati, honoriúe geſto eius qui cauſa dicit, in his tantum quæ

h Gotof. in d. l. 8. Cuiacius in l. 15. Ad Munic. Caballus Reſ. criminal. cēt. 2. caſu 172. nu. 38. Renuſſus ad Tit. De his qui not. infam. n. 3. & Cuiacius iterũ in l. 8. depoſt. l. 2. qq. Papiniani.

i In l. 13. §. pœna grauior. De his qui not. infamia.

k Scipio Gētilis de Iuriſd. l. 3. c. 35 Hilliġ. cum Donelo ſuo l. 18. cap. 8. Caballus Reſ. crim. cent. 2. caſu 172. Amaja in l. Vn. ex n. 23. C. De Infamibus l. 10.

l Ita Ang. in l. 13. §. 7. De his qui not. infam. Greg. Lopez in l. 6. n. 6. tit. 6. Part. 7 Amaya vbi proxime n. 20.

m Accurſ. & Bartolus in his omnibus legibus Baldus in l. 13. §. 7. D. De his qui not. infam. Duarenus ad eũ tit. Baro in l. 13. eodem Cauallus D. Caſu 172. n. 22.

n V. Tiraq. de pœnis tēp. Lucam de Penna ad tit. C. De Deſertoribus l. 12. ex

quæ nobilis homo, & ingenioſus, munereúe ſpectatus præ beneficio illibatæ exiſtimationis facilè contemneret. Satius profectò eſſet, quandoquidem, in altero tantùm, reo indulgendum fuit; exiſtimatione ſeruata, pœnæ reliquum omne, quo ſenſus læditur irrogare. Taliter factum in Polonia cum Samuele Sborouio parricida ſcribit Thuanus Hiſtoriarum lib LXXX. Cui exilium perpetuum, at ſine infamiæ nota, vt ſic nobiliſſimæ familiæ decori parceretur, irrogatum fuit. Sequitur ergo quamcumque leniendi ſupplicij cauſam quæ iuſta ſit, damnatique gratia recepta ſufficere vt intelligatur ſimul remiſſa infamia cum legitima pœna: Illæ autem cauſæ pœnæ re- XVII.
miſſionis nihil operantur in negotio tuendæ famæ, quæ iniuſtæ ſunt, vel aliunde quàm ex æquitate in conſcientiā Iudicis veniunt: puta ſi exgratia, & amicitia, aut alia neceſſitudine, ſiue vt roganti amico morem gereret, aut Principem virum obſequio iſto demereretur, leniorem pœnam irrogauit. Et hanc quidem ſummam diuiſionem iuſtæ, & iniuſtæ cauſæ, vt ſcilicet iuſta quælibet famæ parcat, iniuſta quælibet non parcat, aſſerere videtur Ius Hiſpanum, quod quidem apertè ſcriptum eſt de hac quæſtione in l. VI. Tit. VI. De los Enfamados. Part. VII. Vbi de hac infamiæ remiſſione ait. *Eſſo miſmo ſeria ſi el Iudgador dieſe maior, o menor pena a alguno en el cuerpo, que las leies mandan, mouiendoſe a facerlo por alguna razon derecha* &c.

Hac tamen regula, non ſatis ſuadetur, quouſque conſtet, in ſententia XVIII.
ipſa fieri mentionem cauſæ, quā Iudex motus pœnam remiſſa infamia temperauit. Non enim vt planum fiat nobis de integra damnati fama, conſcientiam Iudicis, ſed concepta ſententiæ verba conſulemus, aut malè proſpicitur hominis exiſtimationi, ſi non publico inſtrumento conſignetur, quo ad omnes perueniat, cauſa indulgentiæ. Atqui neceſſum non eſſe in ſententia exprimi cauſam, neque propter damnatum, neque propter Iudicem ipſum, poſtremoque neque vt ſententia valeat, Bartolus probat o. *In pleriſque locis* (ait p Innocentius III. ſummus Pontifex) *in quibus copia prudentum habetur,* id moris eſſe, *quod omnia quæ Iudicem mouent, non exprimantur in ſententiis proferendis.* Aut ſaltem id ſufficit, quod aliis q placere video, vt Iudex dicat propter cauſas propoſitum animi ſui inducentibus ita ſe decernere. Verùm licet non requiratur, vt exprimat (quod & in cauſis criminalibus pariter dicendum) poteſt quidem, imò debet Iudex, ſi reſeruare velit famam, ſententia comprehendere, quidquid in cauſa eſt, ne ſolidam legis pœnam, aut quàm ex arbitrio irrogari mos eſt, imponat reo, quamquàm nec ſine controuerſia inter ſcriptores r vel hoc tranſigatur. Aliam regulam Donelus tradit, vt euitetur infamia damnati: lib. XVIII. Comment. cap VIII. quam apud ipſum videre eſt.

XIX. Nos ſatis, poſtquam colligamus hucuſque dicta. Iure veteri motos ordine ad tempus ſimiliter atque vrbe pulſos, quæ ſemel affecit, perpetuò comitabatur infamia. Placuit deinde Antonino id mutare in ordine motis; antiquo relegatorum intacto iure; vt illis temporaria eſſet ignominia, duraretque quandiu remotionis pœna. Equidem ſi ius vigeret antiquum, vtrorumque res in ea quæſtione verteretur, quomodò euitare poſſet ille notam, qui famoſi criminis damnaretur. At quia ordine motos exactò pœnæ tempore famæ ſuæ reſtituit Imperator, quæſtio hæc in relegatis tantum, vtiliter habetur. Conſtatque ſeueriore, quam æquum fuit, pœna, videri tranſactum de relegati infamia; vt finito illius tempore non amplius hæc duret: præterea mitiori condemnatione ignominiam penitus euitari; ſi iuſta cauſa interceſſerit adhibendi clementiam, eamque ſententia exprimat, aut liquidò aliàs conſtet. Interea regulare illud eſt, propter famoſum crimen relegatos ignominiam incurrere. Et vt illuc redeamus, vnde quæ- XX.

*n. 41. Gailium 2. de Pace, ca. 9. n. 24. Gentilem de Iuriſd. l. 3. c. 35.*

o *In d. § pœna grauior. n. 4.*

p *In c. ſicut. 16. de ſent. & re iudicata vbi Abbas & DD. V. Gailium l. 2. de pace c. 6. n. 12. 13. & cap. 9. n. 23.*

q *Apud Gailium d. c. 9. n. 23.*

r *Videndus omnino Ferdin. Menchaca 1. I. cont. c. 14. necnon & Boërius deciſſ. 64. Auendano in capita Pretorum l. 2. c. 16. n. 9. Auiles in eadem capita, cap. 1. verbo* Derechamẽte *n. 9.*

 ſtio

ſtio nata eſt, dicendum prorſus alterutrum, vel Pomponium, cum ſtatuas, & imagines relegatis concedit, eos ſignificare voluiſſe, qui ſine infamiæ nota in exilium abierunt: vel ſaltem, quod magis credo, eum honorem ſtatuarum, & imaginum non ea exiſtimatione cenſeri ſolitum Pomponij ætate, ad quem ignominioſi nuſquàm admitterentur: quod ex l.IIII.C.De ſpectaculis lib.XI. palam fit, exindeque obſeruat Petrus Faber lib.I.Semeſtrium cap.XIII.ſ Extra patriam apud exteros quid mirum honorari exulem ſtatuis? Vt Hermodorus ille Epheſius: de quo in l.II. §.Poſtea D.De orig. Iuris, Plinio auctore lib.XXXIV. cap.LI. t.

*ſpag. 216. t V. Baldũ, Cagnolum, Zaſium in ind. l.2. Barboſam de Iudiciis in l.Heres abſens §. proinde n. 36.37.*

# CAPVT DECIMVMQVINTVM.

## Secunda differentia relegationis ac deportationis à publicatione bonorum.

I. *Differentia alia inter deportationem & relegationem. Deportatio ſemper cum bonorum publicatione irrogata: relegatio non ſemper.*

II. *Exprimebatur tamen aliquando in ſententia deportationis, quamuis eo non eſſet opus, hæc publicatio.*

III. *Bonorum ademptio interdictis quando primùm irrogata.*

IV. *Verba deportationis, & bonorum ademptionis in lege Cornelia de Sicariis non Syllæ ſunt auctoris, ſed Marciani* I. C. *de ætate ſua loquentis.*

V. *Nullius olim legis pœna fuit bonorum hæc ademptio.*

VI. *Ciceronis locus ad rem expenditur ex lib.*I. *De Inuentione.*

VII. *Parricidæ bonis omnibus, alij delinquentes dimidiâ parte mulctati à Cæſare.*

VIII. *Parricidæ inquam, hoc eſt homicidæ, non parenticidæ.*

IX. *Aliter Auguſtus, qui portionem certam deportatis reliquit.*

X. *Cæteris bonis, aut cognationi, aut fiſco illatis.*

XI. *Permiſſâ tamen in deportatione, eiſque relictâ teſtandi facultate: quam demum eis Tiberius abſtulit.*

XII. *Atque inde bona in Fiſcum, aut ærarium infuſa.*

XIII. *Inter Hebræos Ius hoc publicationis obſcurum.*

I. DIfferentia inter relegationem, deportationemque alia eſt, non minus nota, & ſpectanda. Deportatio natura ſui bona adimit, etiam ſi nulla horum mentio facta ſit in ſententiâ: relegatio non aliter, quàm ſi expreſſum ſit de bonorum publicatione. *Deportationis ipſum per ſe nomen* (ait Conſtantinus l. vlt. §. vlt. Cod. de ſent. paſſis.) *rerum omnium ſpoliatio eſt.* Et Vlpianus, *Magna* (inquit) *differentia eſt inter relegationem, & deportationem: nam deportatio ciuitatem, & bona adimit; relegatio neutrum tollit, niſi ſpecialiter bona publicentur.* l. XIIII. ex Baſſilicis latina facta D. hoc tit. De Interdictis. Græci περιορισμὸς ἐπάγει πᾶσαν (ἄλλας πάσης) τῆς προτέρας καταστάσεως ἐναλλαγὴν, καὶ ἀπώλειαν τῆς οὐσίας. *Deportatio inducit totius antiqui ſtatus mutationem, & bonorum*

*norum publicationem*. Confirmant plures alij loci: l. vlt. inf. D. eodem tit. l. I. in principio, De bonis damnatorum l. III. D. Ad leg. Iuliam peculatus, lib. VIII. C. De pœnis. Attaliata in Synopſi tit. I. Expreſſum tamen aliquando, quamuis neceſſarium non eſſet, veluti deſcriptiuè, de bonis in deportationis, ſiue aquæ & ignis interdictionis ſententiâ. Taciti hæc ſunt lib. III. Annal. *Cedat tamen vrbe, ac bonis amiſſis aqua, & igni arceatur*: vt hoc exemplo culti, preſſique ante omnes ſcriptoris non nimis nauſeam moueat alterum Imperij ſæculum, Aſiaticum ſermone factum ex Romano. Conſtantius. *Exutus* (ait) *omni patrimonio, ac fiſco vindicato in inſulam deportetur*. l. VII. C. De his qui ſe deferunt, lib. X. Similer eſt in C. Theodoſ. l. I. Ad legem Iul. de ambitu l. II. C. Ne ruſticani &c. lib. XI. Senecæ illud conuenit ex epiſt. LXXIV. *Occurrent acti in exilium euoluti bonis*, oratoriè quidem dictum. Et Græcis ſæpè coniunguntur hæc duo περιορισμός, deportatio, καὶ πλείων δήμευσις *plena publicatio*. II.

Pungit ſtatim curioſos rerum antiquorum, quo primum tempore, aut conſtitutione inducta ſit Romæ bonorum publicationis pœna, ſeu pœnæ acceſſio. Planè hanc exilij pœnam haud ab origine ipſa comitata eſt ea neceſſitas δημεύσεως, mendicitaſque, & egeſtas: conſtat hoc ex Marci Coriolani exilio recente adhuc republica apud Halicarnaſſeum in ſeptimo. ἄλλο δὲ οὐδὲν οὔτε φιλοφρονησάμενος, οἷς εἰς τὴν φυγὴν χρήσεσθαι ἔμελλεν, ἐξῄει κατὰ σπουδὴν ἐπὶ τὰς πύλας, οὐδενὶ δηλώσας ὅπου τὴν ἀπαλλαγὴν ποιήσοιτο: hoc eſt, *alias nihil immoratus affectibus, nec ſumptis vllis exilio neceſſariis, properauit ad portam, nemine ſciente quo tenderet*. Non igitur publicabantur bona, ſi licitum fuit damnato partem aliquam, vnde ſe tueretur, deferre ſecum. Tempore hoc reipublicæ, non ex lege aliqua, ſed extra ordinem, & ad populi arbitrium habebantur omnes fermè quæſtiones: litiſque mulctam, ſeu capitis, ſeu pecuniæ, quam populus ſuffragiis ſuis comprobaturus erat, Tribuni plebis inſcribere conſueuerunt. Fuit, & cum in exilij, ſeu damnationis appendicem bonorum inſcriberent publicationem; vt in cauſa Poſthumij publicani apud Liuium libro XXV. *Bona eius venire; ipſi aqua, & igni placere interdici*. Et in Spurij Melij, qui regnum affectauerat: *Iubere Quæſtores vendere ea bona, atque in publicum redigere*. Similiter ei, qui ſacer eſſet propter violatum quidquam ſacroſanctum, bona adempta ſunt, & conſecrata. Sancitum olim (ait Liuius idem in III.) *vt qui Tribunis plebis, Ædilibus, Iudicibus nocuiſſet, eius caput Iouis ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret*. De quâ re planius Dionyſij antiquitates. *Bonaque eius Cereri ſacra ſunt*. Propoſitis deinde à Sylla Dictatore quæſtionibus publicis, præſcripta eſt delictis quibuſdam interdictionis aquæ & ignis pœna: ſed, vt exiſtimo, ſaluis damnati facultatibus. Nam quòd Marcianus Corneliæ legi de Sicariis latæ ab eodem Sylla, pœnam tribuit bonorum ademptionis in l. III. D. eo tit. non ad priorem legis ſanctionem, ſed ad id pertinet, quo ei ſupererogatum eſt Imperiali æuo. Hæc homicidas igne arcebat aquaque: Sed quia illa interdictio transformata eſt in deportationem; placuitque deportationem non intelligi, quin bona damnatis auferrentur, inde eſt, quòd legi Corneliæ adiudicantur, cùm deportatio ignotum Syllæ tempore nomen pœnæ, tum bonorum ademptio. Eadem licentiâ Iuſtinianus gladij pœnam adulteris denuntiat ex lege Iuliâ; & ex eâdem Corneliâ Sicariis, propter ſui temporis conſtitutiones, quæ quidem prioris, ac liberâ republicâ inuenti Iuris moderationem magna ex parte abrogauerunt. III. IV.

Et confirmabo illuſtri teſtimonio nullius legis pœnam fuiſſe, quòd bona adimerentur. Quomodo *ex ratiocinatione*, vt vocant, controuerſia naſcatur, Cicero Tullius tractat ſecundo libro De Inuentione: fereque iiſdem V.

verbis

verbis ad Herennium ſcriptor lib. I. Quæſtionem mouent in Publicio Malleolo, qui matrem necauit (quod præter hos refert Liuiana epitome libro LXVIII.) an ſcilicet hic ritè, iureque teſtamentum fecerit, poſtquàm iudica-
VI. tus eſt tantum ſcelus perpetraſſe. Sed audire præſtat Syreuen Romanam. *Quidam iudicatus eſt parentem occidiſſe. Et ſtatim, quòd effugiendi poteſtas non fuit, ligneæ ſoleæ in pedes inductæ ſunt; os autem obuolutum eſt folliculo, & præligatum: deinde eſt in carcerem deductus, vt ibi eſſet tantiſper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Intereà quidam eius familiares in carcerem tabulas afferunt, & teſtes adducunt: hæredes, quos ipſe iubet ſcribunt: tabulæ obſignantur: de illo pòſt ſupplicium ſumitur. Inter eos, qui hæredes in tabulis ſcripti ſunt, & inter agnatos de hæreditate controuerſia eſt. Hîc certa lex, quæ teſtamenti faciẽdi iis, qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem, nulla profertur. Ex cæteris legibus, & quæ hunc ipſum ſupplicio huiuſmodi afficiunt, & quæ ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinet, per ratiocinationem veniendum eſt ad eiuſmodi rationem, vt quæratur, habueritne teſtamenti faciendi poteſtatem.* Hæc Cicero. Qui quidem verum, & viuum Malleoli exemplum adducit ad quæſtionem; idemque ad regulam legum tunc temporis vigentium ab oratore ſuo examinandum. Exinde autem duo deducimus ad coniecturam noſtram: alterum apertiſſimè; bona eius, qui parricidium commiſiſſet, tam nefandi criminis rei, non publicari: ſiquidem non quæritur de fiſci iure vſquam, ſed inter legitimos, & ſcriptos hæredes controuerſia proponitur. Alterum ſub obſcurè innuitur: ſed vtique non minùs certum, aut clarum verba rimantibus: non vllam proponi legem potuiſſe de bonorum nocentis publicatione ſcriptam, vnde traheretur exemplum ad Melleoli cauſam. *Certa lex, quæ teſtamenti faciendi iis, qui in eo loco ſunt* (in carcere, & in eo ſtatu damnationis) *adimat poteſtatem* (Tullius ait) *nulla profertur.* Planè ſi lex aliqua poteſtatem adimeret condendi teſtamentum reis cuiuſquam criminis iudicatis, facilè erat, ad manumque Ciceroni, argumentum ab eâ lege ad cauſam parricidij deducere. Quare ergo tam remotè generalia iſta perſequitur, quæ per ratiocinationem ex legibus ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinentibus colligenda ſunt, niſi quia nullum exemplum iſtius prohibitionis in proximo erat? Aut quomodo admittemus publicationem facultatum damnati; necdum de teſtamenti iure huic ablato, aliquid ſcientes? In exule quidem certò conſtat non manere Ius teſtamenti: ſed tamen bona eius non tangi, videtur mihi Tullius idem indicaſſe: cùm in Topicis negat, *ſecundum exulum tabulas poſſeſſionem ex edicto* dari; quemadmodum nec *ſecundum mulieris, quæ ſe capite nuſquam deminuit,* & in perpetua tutela eſt ante nuptias, *nec ſecundum ſeruorum, aut puerulorum.* Atqui hi, quorum comparatione denegat edicti auxilium exuli, bona quidem habent, ſed partim non iuſtâ ætate, partim defectu iudicij, & concilij repelluntur à teſtamento: vt idem prorſus, aut ſimile quid intellexerit adiungens exulis cauſam.

VII. Iulij quidem Cæſaris Imperio nouum quid circa hanc rem introiuit in mores Romanos; & forſan vſurpata fuit tunc primùm ſolennis bonorum ademptio ex præſcripto Iuris. Nam iniquiſſimum repertum proſcriptionis Syllanæ, quam imitata eſt Triumuiralis, nihil moror: quæ quidem, vt numeros omnes auariſſimæ crudelitatis explerent, bona etiam cuncta ciuium proſcriptorum priuatis perſequutoribus addicebant. Hæc deliria furentis Romæ ſunt, non concilia ſanæ ſibique conſtantis Reip. De Iulio ſcilicet auctorem laudo Suetonium: *facinorum pœnas eum auxiſſe: & cum locupletes eo facilius ſcelere ſe obligarent, quòd integris patrimoniis exulabant, parricidas (vt Cicero ſcribit) bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctaſſe.* Quo ite-
VIII. rum loco mirè ſuadetur mos contrarius æui ſuperioris. Sed parricidij ver-

bum

bum, propter ὁμωνυμίας *a* ambiguitatem, deperditûque Ciceronis teſtimonium hic laudatum (ſi non vt gloſſema furcillis eiiciendum ſit, quod nonnullis placet) ſubmouent quidem, nec apparere ſinunt auctoris ſententiam, conſiliumque illius Principis. Parricidium de quouis homicidio liberi hominis propriiſſimè iam à decemuiralibus tabulis vſurpatur: ſicut & de parenticidio non ſemel. Doctiſſimus Torrentius parricidarum nomine hîc intelligit, qui ſcientes liberum hominem occidiſſent, ex quadam nimirum Numæ lege: reliquos vero interpretatur qui non occidendi animum habuerunt. Alij parentum occiſores hîc cenſent bonis omnibus ſpoliari. Sed diſplicet verba Suetonij generalia, & laudem facto vniuersè tributam, conſiliumque coërcendi exiliorum lautitiem, quæ hic præſumpſerat, in vna causâ homicidarum deinceps, reſtrictèque attineri. Verum in primis moneo hîc non tractari de parenticidij crimine, ſed frequentioris aliûs delicti. *Hoc quidem tam atrox, & ſingulare maleficium eſt, atque ita raro accidit, vt ſi quando auditum ſit, portenti, ac prodigij ſimile numeretur*, vt Cicero inquit. Nec exilio vſquam punitum fuit, cuius cura erat Cæſari. Sed inter eos, qui dolo malo ciuem occidiſſent, & cæterorum criminum reos, (quæ ſcilicet atrociora non eſſent homicidio) differentiam ex mente illius conſtituo ſolidæ, ac dimidiatæ publicationis. Hoc ſenſu aptum eſt, Cæſarem cauiſſe, ne in poſterum locupletiores ſceleribus faciliùs ſe obligarent conſcientia inuiolabilis patrimonij. VIII.

*a Æquiuocationis.*

At pœnarum hoc augmentum non lege ſcriptâ, ſed conſuetudine, ac tenore iudicandi Cæſar, credo, induxit: propterea que Suetonius vtitur teſtimonio coæui Ciceronis: alioqui monumentum quo conſignauiſſet eam rem Princeps, laudaturus. Conſtat ſanè Auguſtum ſucceſſorem non ſeruaſſe hanc differentiam in ſanctione illa, quâ interdictos ſub nouâ deportationis appellatione, inſulæ incluſit. Conſtitutum namque in genere, *ne plus quingentis millibus poſſiderent* in loco exilij, vt alibi ex Dione palàm factum eſt: ſcilicet quingentis millibus ſeſterciûm, ſiue nummûm: quæ ſumma quinque millia & ſeptuaginta aureorum Romanæ monetæ, quorum ſinguli vndetriginta noſtratibus nummis regalibus reſpondent, conficit. Quod plus autem eſſet in bonis, vel Fiſco, vel cognatis inferendum fuit: quod poſterius magis conuenit moderationi illius Principis. Sed tamen hanc ſummam ei ſeruatam, cui vellet, moriens relinquebat: quod denique Tiberius, eodem Dione auctore, ius ſcilicet integrum teſtamenti, & poteſtatem, arbitriumque rerum ſuarum abſtulit. Et hoc tam ad tempus damnationis refero, quàm ad mortis in exilio: ſi quidem ſuæ ætatis hunc morem eſſe, vti olim fuit, ſcriptum, notatumque voluit Græcus Romanarum rerum ſcriptor *b*: libro nempè LVII. Ἀπεῖπε δὲ ὁ Τιβέριος τοῖς πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθεῖσι μὴ διατίθεσθαι καὶ τοῦτο καὶ νῦν φυλάττεται. h. e. *Prohibuit etiam iis quibus aqua & igni eſſet interdictum; teſtamenti compoſitionem: quod & hodie obſeruatur.* Iam ab hoc tempore frequens factum, quòd ſequela eſſet publicatio bonorum, & tanquàm pars pœnæ deportationis. Iure quidem; nam (vti ait Triphoninus in l. LXXXI. Depoſiti) *malè meritus publicè, vt exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet.* Damnatis tamen à ſe ius teſtamenti Nero tribuit, ne ſcilicet, (vti Dio aduertit) quæſtus cauſa eos interfeciſſe videretur. Extat huius teſtimonium in excerptis de vitiis & virtutibus noſtra ætate repertis *c*.

IX. X. XI.

*b Dio Caſſius.*

Publicabantur ecquidem bona damnatorum, conferebanturque, vel in ærarium populi; quod olim factum liberâ vrbe, quoties ita de reis placuiſſet: nec mutatum ſub moderatis, & popularibus Dominis. Hadrianus (auctore Spartiano *d*) *damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit, omni ſumma* XII.

*c Pag. 692.*

*d In Hadriano.*

*mâ in ærario publico recepta.* Similiter M. Antoninus de bonis cauit Auidij Caſſij, Vulcatio Gallicano teſte in Auidio. Non ſic ſub Tiberio, cui adulatoriè id Senatus detulit, ne in pœnâ Seiani antiquus mos publicationis ſeruaretur. *Bona Seiani* (ait Tacitus initio lib. VI.) *ablata ærario, vt in fiſcum cogerentur.* Diuerſa ſunt *ærarium* abſolutè, ſiue *ærarium publicum*, Δημόσιον quibus nominibus populi rationes ſignificantur; & *Fiſcus Principis*, ſeu *priuatum ærarium, priuatus Fiſcus* Spartiani, τὸ βασιλικόν, propriæ facultates Principis ab illis Reip. ſeparatæ. Quandoque militari ærario, quod inuentum bellicæ rei tuendæ, aſſignata, atque illata ſunt. In bonis Agrippæ Planaſiæ inſulæ mancipati ab Auguſto, auctores mihi huius rei ſunt Dio Caſſius lib.
XIII. LV. & Zonaras in rebus Octauiani. Dignum obſeruatione eſt apud Hebræos obſcurum valdè fuiſſe hoc ius publicationis, ſiquidem ipſi etiam Rabbini ſuper eo digladiantur, Regione iuſſu occiſorum bona Fiſcus, an hæredes lucrarentur: cùm aliàs conſtet, in bona eorum, quos Senatus iuſſiſſet ſupplicio affici, hæredes ſuccedere; Apparet hoc ex Gemara Talmudica, Tit. Sanhedrin cap. VI. tinemate VIII.

## Capvt decimvmsextvm.

### Deportatus agit vtilibus actionibus.

I. *Iura Patronatus & quidquid deportati eſſet publicabantur: deinde illa Iura filiis conceſſa.*

II. *Quæ non à parente, ſed à genere, à rerum natura filiis veniebāt, ea non publicabantur.*

III. *Vti Hiſpaniarum Primogenia, quæ remoto exule peregrino facto ad ſucceſſores deoluuntur.*

IV. *At non peregrini facti nomine fiſcus poſſidet.*

V. *De dote coniugis, & bonis profectitiis filiorum deportati.*

VI. *Ea ad Fiſcum tranſeunt, quæ ad extraneum ſucceſſorē trāſirent.*

VII. *Morientis deportati bona, quæ poſt primam publicationem acquiſiuit, iterum publicantur.*

VIII. *Obſtare videtur Paulus in lib.* XXII. *§.* V. *D. Mandati.*

IX. *Quam de publicatione bonorum ſine deportatione & peregrinitate quidam interpretantur.*

X. *Alij magis aptè de publicatione deportationis.*

XI. *Deportatus retinet, dum in deportatione eſt, bona ibi quæſita.*

XII. *Eaque petit, & vindicat vtilibus actionibus, ſiue Iuris gentium.*

XIII. *Sunt enim actiones iſtius Iuris.*

XIV. *L.* XXV. *D. Rerum amotarum de his explicata*

XV. *Quas & exercuiſſe eos qui Romæ peregrini eſſent, credimus.*

XVI. *Apud Prætorem ſcilicet* Peregrinum. *ſiue* Inter ciues & pergrinos *appellatum.*

XVII. *Vlpianus ait conueniri deportatum vtilibus actionibus, in l.* IV. *§. vlt. de Interdictis.*

XVIII *Ergo & aget vtilibus.*

XIX. *Exponitur l.* X . *§.* I. *Ex quibus cauſis maiores &c.*

XX. Item *aliæ leges, de actionibus deportatorum.*

XXI. *Vtiles hæ actiones quo ſenſu dicantur.*

I. Deportatorum omnia bona, repulſis liberis, quæ ſcilicet ad ipſos peruentura erant à parentibus, ſi inteſtati morerentur in ciuitate, publici

Iuris

Iuris ex vi ſententiæ ipſius fiebant: veluti hæreditas, libertorum iura, & ſi quid ſimile fuit in hoc genere: quod totidem ferè verbis Alphenus ſcripſit I. libris Epitomarum, in l. III. D. De Interdictis. Cuius quidem lectio illa in Florentino codice, *Liberos* pro *Libertos* præferente iam diu eſt, quòd aliorum codicum auctoritate, receptoque Interpretum omnium iudicio, &, quod præcipuum eſt, ratione ipſa, & ſerie ſcriptionis improbatur. Quod tamen Ius deinde mutatum eſt; conceſſaque iura patronatus damnatorum filiis benignitate Reſcriptorum; l. IV. D. De Iure Patronatus l. IX. Ad leg. Iul. Maieſtatis. At infit ex contrario Alphenus, *ea quæ non à patre, ſed à genere* (puta ſepulchra familiaria, libertorum auctorum iura, Primogeniorum Hiſpanienſium ſucceſſionem, quæque alienari ſunt prohibita, ſimiliaque) *à ciuitate à rerum natura* (hoc eſt à legibus ciuitatis, mutuúe ipſius naturæ) *tribuerentur, manere eis incolumia.* In Maioratibus ſpeciatim Hiſpaniæ, certum hoc II.
eſſe, remoto nempè eo, qui incapax efficitur exilio, & peregrinitate, ſuccedere in eius locum proximiorem vocatum, docet Ludouicus Molina noſter, vir in paucis clarus, grauiſſimique argumenti grauiſſimus, & diligentiſſimus enarrator lib. I De Primogeniis Hiſpanorum cap. IX. n. 27. & qui poſt eum ſcripſerunt *a*. Diuerſum quid erit, ſi non incapax, ſed indignus ob delictum ſit effectus: namque eo caſu non ſtatim ſucceſſio proximiori defertur, ſed aufertur quidem ab indigno commodum, redituſque Maioratus, fiſcoque inferuntur, quandiu is viuit; nec niſi poſt illius mortem ſequens ſucceſſor admittitur: vt ex l. Statius Florus XLVIII. §. vltimo D. De Iure Fiſci confirmat idem Molina in proximè antecedentibus pleneque de vtraque parte, in lib. IV. cap. XI. cui quidem, ij qui additiones compegerunt, plura ex variis contribuunt. Sixtinum etiam ad eas moneo in Tractatu de Regalibus lib. II. cap. XII. n. 44.

III. IV.

a *Meres de Maioratibus 2. p. 4. n. 8. & ſeqq. Caſtillo tomo 6. Controuerſ. c. 160. n. 8. Additiones ad Molinam dicto loco.*

Dotem præterea reſeruat coniux, cui quidem inter creditores alibi *b* actionem dabimus aduerſus Fiſcum. De Peculio profectitio, vt appellant, V.
aduentitioque & caſtrenſibus bonis filij damnati an in præiudicium proprietatis, vel vſusfructus, vel ſolatij pro amiſſa prole, quæ parentibus conſignari ſolent, publicentur; item quatenùs omnia hæc ſequuntur, aut euitent in fiſco integro parẽtis condemnationem, locus non eſt hic quærendi. Rem tractant cum pluribus Vincentius Carocius in Tract. De excuſſione bonorum, X. quæſt. principali: Didacus Cobarrubias II. Var. cap. VIII. ex l. III. § IV. inf. D. De Minoribus, vbi Claudij Sanctio laudatur prohibentis peculium filij cum bonis damnati parentis publicari: de quâ moneo doctiſſimum conſulas Fabium in Rationali. Planè de his omnibus, quæ damnatus VI.
amittit, ſcripta eſt illa Regula, quamuis ſubobſcura, Hermogeniani: ea ſola nimirum auferre ſententiam deportationis, quæ ad Fiſcum perueniunt, in l. XCVII. De R. L. *c* Fiſcus extranei ſucceſſoris vicem gerit; nec ad eum tranſeunt, quæ ad extraneum ſucceſſorem non tranſeunt. Hæc Regulæ mens; de qua Sixtinus lib. II. De Regalibus, cap. XII. *d* qui latè in his verſatur, quæ ad filij confiſcati bona pertinent: ſicuti & Menochius adeundus eſt de quæſt. illa an occupantis fiant bona exulum, qui impunè offenduntur; in conſ. C I. *e* Alpheni autem ſuperiorem differentiam confirmat in Suillij pœna Cornelius lib. XIII. Annalium. *Igitur adempta bonorum parte, (ait) nam filio, & nepti pars concedebatur, eximebanturq́, etiam, quæ teſtamento matris, aut aui acceperant, in Inſulas Baleares pellitur.*

b *Cap. 15. huius libri.*

c *Videris Ludouicũ Vitalẽ l. 2. Variar. c. 17. Clarũ l. 5. §. vltimo q. 78. n. 11. Azeuedum in l. 3. n. 135. Tit. 10. l. 4. cõpil. Ecregrinũ de Iure Fiſci l. 5. c. 1. ex n. 124.*

At non ſatis vnica publicatione factum legibus, & Iuſtitiæ vindici; bonis puta ſemel ademptis ſententiæ tempore, ſi non etiam morientis exulis VII.
ſucceſſioni Fiſcus ſimiliter impenderet; earum ſcilicet rerum, quæ in exilio in iure ſibi permiſſo acquiſiuiſſet, dominium ſibi vindicans, rationibuſque

d *N. 37. & ſequentibus & n. 46. cum iis qui ſequuntur.*

e *n. 29. 30. 38.*

ſuis inferens tanquàm peculij iure. Omnia hæc ad Fiſcum pertinere mortuo deportato ſcriptum reliquit Paulus, ex Græco Baſilicorum Latinus factus in l.VII. §.vltimo. De Bonis damnatorum; quem intulit, vendicauitque Pandectis Cuiacius lib. VI. Obſeruat. cap. XXIII. Reſcriptumque eiuſdem ſententiæ Alexandri Imp. continet l.II. C. eodem tit. quod iiſdem verbis, ſed Græcis, reddidit Attaliata in Synopſi Tit. LXXIX. §. v. *Deportati bona* (inquit Imperator) *nec earum quidem rerum quas poſt pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere poſſunt; ſed & hæ publicabuntur.* Nollem tamen huic, & ſi-
VIII. bimet Paulum alibi turbas mouere, & ἀνθιωθλῶαι f. Videntur enim non in eodem pectore nata hæc, quæ ſequuntur: *publicatis bonis, quidquid poſteà adquiritur, fiſcum non ſequi:* quod ille ſcribit in l.XXII. §. v. D. Mandati. Sed adiungit (quo penetrare poſſimus ad eiuſmet regulæ ſententiam) hac de cauſa eum, cuius bona publicata ſunt, alicui mandare poſſe, vt ea emat; deinde aduerſus iſtum, ſi non præſtet fidem, actione agere mandati. Hac ſanè regulâ, & themate legis nil magis aduerſari laudatis anteà eiuſdem Pauli, Alexandrique teſtimoniis, iam ab Azone, Accurſio, & Bartolo conqueruntur Interpretes.

f *Contradicere.*

IX. Nouiores ſibi multùm placere diſtinguentes publicationem hanc in lib. XXII. à Paulo intellectam ab alia publicatione, quæ deportatione coniuncta eſt. Vt illa ſit abſque eo quod ciuitatem damnatus amittat: poſſunt enim bona eius, qui non deportatur nec ciuitatem amittit, publici iuris fieri, vt conſtat ex l.VII. §.IV. De Interdictis l.LVII. §.I. De Admin. tutorum. Quidquid ergo adquirit damnatus poſt hanc publicationem, mirum non eſt eum ſequi, non fiſcum: & is, qui ciuitatis iure ſpoliatus non eſt, ritè vtitur actione mandati: quæ quidem, dominiumque bonorum illorum poſteà aquiſitorum, ſi deportatus alioqui fuiſſet, minimè ad ipſum pertinerent. Sic explicant Paulum alibi de eo, cui ſine deportatione res ſuas fiſcus abſtulit, eundemque alibi, & Alexandrum de publicatione deportationis, Anton. Faber in Rationali huiuſmet l.XXII. Cuiacius in l.VIII. D. Qui teſtam. facere poſſunt. Treutlerus diſpenſatione XXVII. De Mandato, theſi I. Lyklama VIII. Membranarum ecloga XXXVI. & laudati ab Hilligero lib XVII. Comment. Doneli cap.IV. lit.G. & à Genoa Patauino in conciliatione legum, & ab Amain lib.I. Obſ. cap.XI. n.27. & in comment. l.IV. n.33. C. De Iure Fiſci libro X. qui nouiter eandem differentiam deprehendere ſe gloriatur, & confirmare poſt varias Interpretum explicationes, ex l. Statius Florus XLVIII. §. Cornelio. De Iure Fiſci; quod ipſum in antiquis Salicetus excogitauit ad leges iſtas Pauli conciliandas. Interrogatique, cur non directis, ſed vtilibus actionibus eum hominem, qui deportatus non eſt, & ciuitatem, ciuiliaque omnia iura retinet, vſurum ait Paulus; reſpondent vtiles hoc loco non opponi directis; ſed ita appellari, quæ efficaces ſint, vt in l. XXXVII. D. eodem tit. l. XI. §. VI. De Action. Empti: Principio Inſtit. De vi bonorum raptorum.

X. Hæc illi: quorum tutò poteris, lector, Caſtra ſequi. At quia pro ingenio ego me liberum eſſe (vt cum Comico g loquar) ſatis ſcio, in eâ ſententia, non vnquam riualem me iſti, faxo, habebunt. Aſperior alia via, & minùs frequens incedenda, & calcanda eſt; aliuſque ſenſus verborum Pauli aliis arridens, aperiendus, & exornandus, quem inuidebunt fortaſſe nobis aduerſæ partis ſectatores. Res ita habet. Verè quidem, opportuneque Paulus monuit, ea quæ poſt publicationem bonorum à deportato acquiruntur,
XI. fiſcum non ſequi: hoc eſt interim non ſequi medio illo tempore, quo deportatus viuit: publicari autem & fiſco cedere tunc denique, cùm nondum reſtitutus moritur in calamitate deportationis. Ita Scipio Gentilis De

g *Plauto in Trinummo A.1.Sc.2.*

donat.

donat. inter vir. & vxor. lib. 2. c. 32. Pinolus de bonis maternis in Rubrica parte I. nu. 3. Pacius ἐναντιοφανῶν cent. 5. Genoa in conciliatione. Olanus noſter demum lib. 4. Paralipomenon. c. 13. n. 40. qui fortiter ſuperiorem Interpretum ſententiam refellit. Summâ quidem ratione; nam ſententia deportationis in præſenti causâ verſatur: nihilque tale Iuris ad futura bona Fiſcus interim ſibi adſcribit, vt incapacem quærendi, aut poſſidendi damnatum reputet. Diſſimile eſt, ſi quis iurauit ſuam eſſe hæreditatem: vtique enim ea non tantùm repetet à poſſeſſore illius, quæ illo tempore apud hunc eſſent, ſed ſi quæ poſteà cœperit poſſidere: quod dicitur in lib. XI. §. III. D. De Petitione hæreditatis. Aliud eſt circa præſens caueri; aliud naſci generale ius, & abſolutum, quod omnia temporis momenta pertingit. Et intererat nos id ſcire, priuſquam de mandati actione doceremur, ſtatimnè ad fiſcum deuoluerentur, nec in damnati eſſent rationibus, medio illo tempore quæſita: an verò penes hunc manerent, & ab ipſo poſſiderentur vſque ad mortis tempus; vt inde dignoſci poſſit, cuiuſnam, fiſci, an deportati actione repetenda eſſet ab eo res, qui mandati cauſa emit: nam quem bona, actiones etiam ſequuntur l. XLIX. De V. S.

Duo igitur poſuit Paulus in hac l. XXII. alterum eſt, deportatum ſibi adquirere, nec fiſcum ea bona ſequi, dum is minuit, quæ poſt ſententiam iure ſibi permiſſo lucratus eſt. Alterum, & conſequens adiungit, eundem XII.
poſſe actionibus ex contractu de his ipſis bonis poſt publicationem adquiſitis planè vti: imò etiam de facto mandato, cuius eadem ratio eſt, etiamſi nulla bona ſit lucratus: nam & facta mandari poſſunt. Actiones prorſus ad eos pertinent, quorum præcipuè intereſt rem habere *h*; ad eoſque, qui de rebus ſuis contrahunt. Retinet ergo deportatus quæ de nouo quærit; actioneſque harum rerum nomine ritè inſtituit: ſed eas vtiles: namque vtilem tantum mandati actionem Paulus concedit ei in hac lege. Directis vteretur, niſi peregrinus eſſet factus, experſque omnium ciuilium actionum. Sed quia contrahit, obligaturque eodem ipſo iure, quo contrahit, atque adeò conueniri poſſe iudicandus eſt, actione iſtiuſmet Iuris vtitur, eius contractus nomine, qui Iuris gentium, æque vt ipſa actio, eſt. Actiones ciuiles ſunt, quæ ex legibus ſub certâ formâ præſtantur. Sunt & actiones Iuris gentium, quæ, quòd vtilitatis causâ in medio etiam Romano foro, ac legum conſpectu, in ciuilium defectum, locoque ipſarum reciperentur, aptiſſimè vocantur vtiles: etiamſi aliæ actiones vtiles ſimul, & ciuiles eſſent, quæ ſcilicet ex ſententia legis, non ex verbis deſcenderent, quod libentes damus D. Franciſco Amaiæ *i* & Lyklamæ Friſio *k*. Planè actiones quaſdam ex Iure gen- XIII.
tium dici conſueuiſſe, Marcianus I. C. idoneus teſtis eſt; ne in actionis Iuris gentium appellatione offendamus. Hic exiſtimat res ab his, qui non ex iuſta cauſa poſſident, gentium iure condici poſſe, in lib. XXV. D. Rerum amot. hoc eſt, ſuccurrendum ei, qui actionem ciuilem non habet, ne illi ſua res pereat, auctoritate Iuris omnium gentium: cuius quidem nutu iniquum eſt res apud eos manere, qui non iure poſſident. Sed quomodo ſuccurrendum? permittetur ne huic accedere ad iudicium ſine actione aliqua ciuili, vniuerſali dumtaxat iure, ſiue gentium armatum, & inſtructum? Non puto. Senſus equidem Marciani eſt; quanquàm ciuilis actio rerum amotarum ei deſſiciat, cuius in matrimonio res ab vxore amotæ ſunt, admittendum nihilominùs eum à Prætore ex ſententiâ ſcilicet ſcriptæ actionis rerum amotarum, dandamque ei, ſiue actionem vtilem huius nominis, vt in l. XXI. principio D. eodem titulo, ſiue aliam ſubſidiariam quod Accurſius, & Bartolus in ſuis explicationibus huius legis, quæ plures ex more ſunt, videntur recipere. Marcianum tamen opportunè adduximus, vt

h *l. 4. Nauta, caup. &c. l. 29. principio De inoff. teſt. l. 2. ſi quad. paup. fec. &c. l. 3. §. 1. Si menſor falſ. mod. &c.*

i *d. cap. 11. n. 29.*

k *d. eclogæ 36.*



agendi

agendi verbum, ſiue condicendi ex illo Iure gentium, non tam nouum,
aut abnorme videatur eorum auribus qui nauant operam Iuri Romano.
XV. Sed enim à ciuium cauſa veſtigium promouentes, quid aliud factum in ho-
mine peregrino exiſtimabimus, quicum Iuris ciuilis, actionumque illius
commercium non erat? Profectò is inferebat, excipiebatque actiones Iuris
naturalis, ſeu gentium, qui ciuiles non poterat. Haud quidem inſtruebatur,
vt agere, aut capax reddebatur, vt conueniri actione aliqua poſſet ciuili:
ſed vtilibus, quæ non Romanis tantùm, ſed vniuerſis competunt homini-
bus, nec tam præſtari, quàm admitti videntur, vtebatur. Ita Ius peregrinis,
hoc eſt aliarum gentium legatis, cæteriſque alibi natis Romæ de gentibus
dici conſueuiſſe, argumento eſt munus ipſum ſpecialis Prætoris, qui ex re
XVI. appellatus *Peregrinus*, ſiue *Inter ciues, & peregrinos*: quod ex Liuio, Pompo-
nioque noſtro, atque priſcorum lapidum inſcriptionibus paſſim *l* notum
eſt. De hoc triceſimus liber Labeonis laudatur ab Vlpiano in l. IX. §. IV. D. De
dolo malo: quod opus ſi extaret magni Iuriſconſulti, leuaret, credo, nobis
laborem hunc quærendi, quo vterentur iure, aut quomodo ius peregrinis
redderetur. Hoc ipſo iure, quod peregrinis commune erat fingebantur de-
portati, agebantque, vt ſuſpicor, excipiebantque actiones, fortaſſeque per
Procuratorem Romæ apud eum Prætorem. Obligantur vtique deportati
naturaliter, cum ciuiliter non poſſint, propter ſuam conditionem, ſcilicet
ſtatum peregrinitatis deportationi inhærentem: atque adeò nil in cauſâ
eſt, quòminùs hi, æquè vt cæteri peregrini inſontes, & indemnati, commu-
ni omnium hominum iure vtantur.

*l V. Zaſiũ & alios in l. 2. de Orig. Iuris.*

XVII. Sed exemplis deinde aliis, librorumque noſtrorum locis, affligenda eſt
inficiantium traditio, Pauloque ſententia ſua aſſerenda. Germanus quidem
huic eſt, & geminus ſententiæ Vlpianus; ex quo validum munimentum
confirmandæ rei deſumimus. Hic ait in l. XI V. §. vltimo D. De interdictis, à
Græcis accepta. *Qui ciuitatem amiſit, & bona detinet; vtilibus actionibus tene-
tur*. Græca verba nihil minus continent, quæ iam aurea Baſilicorum editio
Pariſienſis Caroli Fabroti viri clariſſimi nobis ad manum offert. ὁ τῆς πολιτείας
ἐκπεσὼν, καὶ τὴν οὐσίαν κατασχὼν οὐτιλίαις ἀγωγαῖς ὑπόκειται. Hominem planè il-
lum hîc intellexit Vlpianus, qui deportationem paſſus eſt, bonis, aut parte
bonorum non adempta: de quo more nos latiùs tractamus alio loco *m*. Et
ecce (ait) non ciuis, peregrinus pœnâ factus, qui bona, aut partem eorum
retinet, ne actionibus interim deſtituatur, quibus ſcilicet quæruntur bona,
& conſeruantur, actionibus tenetur, & conuenitur vtilibus. Puta, ne res ſua
pereat deportati creditoribus, ſi nulla aduerſus hunc, eorum nomine, quæ
adempta non ſunt, vti actione poſſint, æquum fuit vtilibus agi, hoc eſt Iu-
ris gentium actionibus, quæ vinculum illud inter ſe ciuium Romanorum
non deſiderant. Quod ipſum deducitur ex Papiniani quodam reſponſo in
XVIII. l. III. D. De Sententiam paſſis, & reſtitutis. At prorſus idem, quod in exce-
ptione actionum, reſponſurus erat Vlpianus in illatione; vana enim, ac ſine
effectu eſſet indulgentia illa non adimendi vniuerſam ſubſtantiam depor-
tato, niſi tuendæ rei ſuæ causâ is agere poſſet. Ponamuſque adempta fuiſſe
huic omnia bona; vt argumento hinc deducto fiat Paulo noſtro lux & tute-
la. Nonne omnia etiam bona in deportatione quæſita, tempore mortis de-
portati Fiſcus abſorbet? Maximè. Creditoris namque vices Fiſcus adim-
plet eorum nomine, quæ à damnatis interim habita ſunt, mortis vero tem-
pore inſtauratâ, & recidiuâ publicatione lucratur. Et putabimus ſani, & ſo-
brij hoc olim factum, vt in Fiſci commodum actionibus deportati non vte-
rentur, quibus in aliorum creditorum vtilitatem conueniebantur? Vtiles
ergo tribuuntur non ciui ex Paulo, & Vlpiano: quæ ſcilicet, cum ex æqui-
tate

*m Libri huius capite 2. & ſequenti.*

tate deſcendant, præſtare, & competere debent peregrinis hominibus, ne nullæ competant. His conſideratis non eſt cur aliquis ſecundùm verba Vlpiani deportatum teneri credat vtilibus quidem actionibus, verum inficietur his eum vti poſſe, ac ſuum ius tueri. Certè his confirmare ſenſum iſtum XIX. Vlpianus videbitur in l. XL. §. I. D. Ex quibus cauſis maiores &c. *Quod eo tempore* (ait) *quo in Inſula aliquis fuit, ex pœna ei irrogata cuius reſtitutionem impetrauit, ab alio vſurpatum ex bonis, quæ non fuerant adempta, probatum fuerit, ſuæ cauſæ reſtituendum eſt.* Apparet vtique non vllas eum, qui in inſula erat, habuiſſe actiones ad recuperandum quod ſibi fuiſſet ablatum; ſi quidem tempore reſtitutionis hoc damnum reparari opus eſt. Profectò verba hæc Vlpiani ſimpliciùs, & ex facto ipſo interpretanda ſunt. Potuit quidem deportatus neſcire quod in rebus ſuis procul conſtitutis dolo factum eſſet: potuit non minùs, quamuis ſciret, hactenus non egiſſe; adeò vt neceſſe haberet reſtitutus ciuili actione vindicare quod etiam in inſula poſitus, at quidem Iuris gentium actione, vindicare potuiſſet. Tandem Inſulæ mentio ab Vlpiano facta non eò neceſſe trahenda eſt, vt deportatio ſubintelligatur: cum & Inſulæ relegatio non minus frequens pœna eſſet, huiuſque magis germana indulgentia illa non adimendi bona, damnatis, quâ de Vlpianus meminit.

Similiter interpretari oportet Iuris aliud caput, in quo actiones accommodantur deportato. Id eſt Vlpiani in l. V. §. I. D. De bonis damnatorum. XX. Dicitur hîc, deportatam matremfamilias, cùm primum diſcedere velit à marito, poſſe de dote agere: *quaſi humanitatis intuitu* (infit ille) *hodie*, id eſt tunc temporis, *nata actione*. Deportatæ, niſi ratio hæc humanitatis reciperetur, neque actio naſci, neque ius res dotales perſequendi competere potuit. Sed naſci actio dotis non ideo dicitur, quòd ciuilis præſtatur: quî enim poterat deportatæ? Sed quia naturalis, ſeu gentium Iuris perſequutio, quæ naturâ competit, Romæque, & inter leges ciuiles expeditur, effectuque ſuo donatur, ſubidem tempus naſcitur. Et perduci etiam commodè huc poteſt l. VIII. D. de capite minutis. Tandem doctiſſimorum cenſione deportatus fuit Lyſias ille, qui pro parte, quam retinet, (namque pars tantum ei adempta eſt) creditoribus obligatus manere dicitur in l. I. C. de Fideiuſſoribus: Cuiacij nempè lib. XV. obſeruationum XXXV. (etiamſi aliter in Recitationibus Papiniani) quod probat Merillius lib. II. Variantium ex Cuiacio cap. XV.

At Salmantinus Interpres Tituli Digeſtorum De Interdictis, & relegatis, ciuiles etiam & Romanas, tribuit deportato actiones exceptis his tantum, quæ ius continent propriè dictum, determinateque Romanis ciuibus, nempè teſtamentorum, patriæ poteſtatis, connubiorum. Sed quia de XXI. nomine iam ferè diſceptatio eſt, an ciuiles idoneè appellentur actiones, quæ deportato competunt, non multum allaborabitur nobis, (iuxta conſilium Ciceronis *n*) cùm intelligamus quid ſignificetur. At magis eſt, vt ciuiles actiones omnes ſub certis formulis propoſitæ ad ciues tantùm pertinuerint: hoc enim ponebat ſuper antiquam, & vniuerſalem Iuris omnium hominum actionem ratio iſta, ſeu facultas Iuris ciuilis adiuncta, & inhærens, quòd agendi poteſtatem, atque æquitatem naturalem liberi vſus, & exercitij non iam permiſit tam liberè euagari, ſed ſub certis verborum formulis, & iuxta præſcriptum iudiciorum morem vſurpandas edixit ciuibus, non extraneis, actiones: quiſquis excideret, iure ſuo cadebat. Iniquum verò eſſet ita Ius dici peregrinis hominibus non in eo natis, vt ſillabas omnes, & ſtata vrbis Iura tam anxiè aucuparentur, quos naturale ſuum æquitatis ius ad perſequendum quomodocumque res ſibi debitas vbilibet inſtruebat.

n *In Topicis.*

Imò

Imò ſuas vnumquemque actiones Iuris vniuerſalis exercentem, nullis legibus, aut ſolennibus iudiciorum addictum mos illius Reip. ad Prætoris peregrini intra vrbem & ad propriorum Magiſtratuum Tribunalia in Prouinciis admiſit. Cur autem, & quàm appoſitè ciuiles appellabimus eas, quarum peregrinis vſus eſt, ex eo dumtaxat quod apud Magiſtratus Romanos exeruntur? Cùm id totum inſuper habere poſſint, quod ſcriptæ vrbis leges ſimplicioribus naturæ actionibus addiderunt; itemque ab eius conditionis hominibus exerceantur, qui ciuilia nec norunt, nec noſſe debent. Hæ igitur naturales actiones, ſiue Iuris gentium vtiles interdum, nec impropriè, appellantur; quia eandem, quæ ciuilibus conſignata eſt, reuera, & in effectu ſcilicet, vtilitatem continent. Quemadmodum enim vtiles ſunt vulgari appellatione, quas ex ſententiâ legum ciuibus tribuere Prætor ſolet, ſed tamen ciuiles; ita non incongruum eſt vtiles dici, quanquàm ciuiles non ſint, quæ ex æquitate naturali, etiam in ipsâ vrbe, & foro vrbis, & ſub tutelâ Romanarum legum à peregrino quoque vtiliter exercentur. Non igitur vtiles quia poſſident medio tempore adquiſita hi, quibus competunt; deportati nempè in propoſito huius legis; quod Græci enarratores aiunt in laudata l. XIV. De Interdictis: ſed quia vtilitatem important ciuilium abſque ciuilibus formulis.

## CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

### De bonis deportato non ablatis: ac de quæſitis ei ex teſtamento militis.

I. *Deportatus cui bona non adempta ſunt, liberè de his in morte diſponit.*

II. *Quod nullo Iuris loco, ſed rectâ ſolum ratione ſuadetur.*

III. *Verus intellectus l.* XCVII. *De Regulis Iuris.*

IV. *Idem in portione bonorum non adempta*

V. *An de his etiam diſponere poßit, quæ ex teſtamento militis accepit.*

VI. *Capiendi verbum quid ſignificet in lib.* VII. *§.* I. *D. Delegatis* 2.

VII. *Capere cum effectu quid ſit in l.* LXXI. *D. De verborum ſignificatione.*

VIII. *Capiendi verbum ius exprimit magis quàm factum.*

IX. *Ratio dubitationis in dictâ l.* VII. *§.* I. *Latens indagatur.*

X. *Refellitur ea, quam Antonius Pichardus conſiderauit.*

XI. *Non omnium in Iure ratio reddi poteſt.*

XII *Quia in fragmentis, non integra legimus veterum Iuriſconſultorum ſcripta.*

I. DVo quidem nobis, dum hîc verſamur, diſcutienda ſuperſunt, quæ nuperus Paralipomenon Iuris auctor Athanaſius Oteiza, vir alioqui doctus atque eruditus, Primariuſque in Pincianâ nobiliſſimâ Academiâ legum Anteceſſor, minùs rectè, aut conſideratè affirmauit lib. IV. cap. XIII. Alterum eſt; deportatum, cui bona ſua relicta ſunt (vti non ſemel contigiſſe

giſſe admonemur exemplis) adeò liberâ rerum ſuarum adminiſtratione gaudere, vt alienare ea omninò, & in morte per fideicommiſſum relinquere poſſit. Hoc tam certum habeo, quam quod certiſſimum eſt; Non tamen video quo Iuris noſtri loco ex multis, qui ab auctore hic operosè concutiuntur, hic mos ſubindicetur. Planè abſque ea ratione fuiſſet, quam ſtatim confidero, ipſeque Athanaſius prudenter vidit, non vllum ex libris noſtris argumentum idoneum rem conficeret. Ratio talis eſt. Fiſcus, qui priori publicationi olim pepercit, in conſequentiam renuntiaſſe videtur poſteriori, quæ in morte fit: aliàs foret; quare nocentem, paupertatiſque calamitate dignum poſſeſſione rerum ſuarum interim ſineret; prolem verò, aut cognationem innocentem, reliquaſue neceſſitudines, ad quas peruenire bona debuerunt, inſuper habitâ, ſeu potius violatâ, quam ſequi, & amplexari debet, normâ æquitatis, ſpoliet? Deportationis nomen ipſum omnium bonorum ſpoliatio eſt: ſed expreſſo, ſiue excepto illo, *bona non adimi*, deportatio ſtatum perſonæ tantùm, non bona contingit, & afficit: peregrinum, & exulem reddit, ſed cum liberâ rerum ſuarum adminiſtratione deſtinat exilio inſulæ. At quia regulariter adimebantur deportatis bona, quæ ſolida & propria deportatio fuit, in genere concepta ſunt Iuris auctorum enuntiata: nempè *adquiſita fiſcum accipere*, quod Paulus *a*; & *publicari*, quod Alexander *b* ſcripſerunt. Quapropter hi duo, Caiuſque in l. VII. De teſtamentis reſponſa ſua ſecundùm naturam, & conſuetum deportationis morem formantes, minùs aptè ad argumenta ex contrario perducuntur. Nec item Marcianus in l. XV. D. de Interdictis; cuius accommodatam verbis ſententiam inferiùs proprio magis loco *c* dabimus. Poſt hæc Hermogeniani regula in l. XCVII. De R. I. quidquam proficeret, ſi verba inuerterentur hoc modo, *ea ſola ad fiſcum perueniunt, quæ deportationis ſententia aufert*: ſed quomodò ex vulgari ſcriptura idem confici poſſit, planè non capio. Huius Regulæ explicationem illam probo libenti animo, quam ex Bartolo Philippus Decius *d* protulit: nimirùm ea ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad Fiſcum, hoc eſt ad quemlibet extraneum hæredem, aut ſucceſſorem, qualis fiſcus eſt, peruenire poſſunt: illa non auffert, quæ ſic adhærent perſonæ damnati, vt non alteri debeantur, veluti ſunt officia libertorum, de quibus tractabat Hermogenianus lib. III. Iuris epitomarũ, vnde hæc regula deſumpta eſt, iungenda prorſus his, quæ docet in l. XXI. D. De Iure Patronatus. De parte publicata non importunum eſt monere hoc loco, dumtaxat eam Fiſco adquiri: quod autem relictum eſt deportato, & quod deinde pœnæ tempore quæſitum, Fiſcum non tangere; ne indulgentia dimidiatæ publicationis, tempore mortis ſubuertatur. Si velimus tamen hoc adiuuare aliquo Iuris teſtimonio, non plus promouebimus, quàm hucuſque in ſolidâ indulgentiâ promotum eſt ab auctore Paralipomenon. Idemnè prorſus exiſtimemus, licet in qualibet portione damnato relictâ, ſiue viatici, ſiue alimentorum nomine; liberam nempè eius partis adminiſtrationem vel in morte conceſſam videri? Non credo: nè quod tuendæ vitæ permiſſum fuit, poſt mortem exulis adhuc eroget Fiſcus, qui de ſuo eam ſummam indulgebat.

II. (margin, beside "Planè abſque ea ratione")

a L. 7. fine. De bonis damnat.
b L. 1. C. eodem tit.

III. (margin, beside "Poſt hæc Hermogeniani")

c Cap. 18. huius lib. 2 & cap. 19.
d In hac l. Vbi & Cagnolus.

IV. (margin, beside "De parte publicata")

Difficilius eſt, quod ibidem adiungitur, etiam publicatis bonis omnibus, ſi quæ deportatus ex teſtamento militis acceperit, hæc nuſquam Fiſco, nè quidem in morientis rebus adquiri. Nempè in ardua hæc Athanaſium coëgit Vlpianus; quem vita, & ſpiritu, aut, quod idem eſt, causâ dubitationis, frigidum alioqui, & iacentem, ſic poſſe donari ſubtiliter magis cenſet, quàm exquiſitè, & compertè. Locum illius appoſui ex l. VII. § I. De legatis, ſecundo. *Si miles deportato fideicommiſſum reliquerit, verius eſt, quod & Marcellus probat, capere eum poſſe.* Capiendi verbum de ſolidâ, & perfecta adquiſitione V.


interpre-

interpretatur Athanaſius, vt exceptionem quandam ſuperioris regulæ, vnde ſcimus Fiſcum fuiſſe deportati hæredem, in hoc ſaltem fideicommiſſo militari, quod nequeat id Fiſco adquiri, conſtituat. Verùm profectò quid inconcuſſum, certumque erit in his ſacroſanctis Iuſtitiæ tabulis, ſi exploratæ, & apertæ notationis verba, ſtatim atque in compoſitione non ſatis expeditâ eſſe videntur ſententiâ, extra Latinitatis regulas, & librorum Iuris vſum ſignificare, atque adeò capere, fas, & æquum putemus? Equidem ſatius fuerit, & honeſtius compertam, præiudicatamque aliis locis ciuilium verborum ſignificationem amplexantes, hinc veluti compoſito prœliantis, ac peruicaci ſtatu, repugnantium vndique argumentorum, quo meliori modo potis eſt, Interpretes eludere impetum, aut declinare. Fateor plura in his libris καταχρηστικῶς, & impropriè poni: ſed in ſolutione ipsâ quæſiti, & in ipſis, vt ita loquar, verbis oraculi non ſolent Iuris auctores Rhetorum more, ac licentia ad hæc laſciuientis ſermonis ſchemata diuertere. Capiendi verbum de eo dicitur perpetua notione, qui ſibi rem in teſtamento relictam, vel alteri adquirit: l. CXL. De verb. ſignificatione. At capere (inquit) *cum effectu accipitur*, vt ait Vlpianus in l. LXXI. D. eodem tit. quaſi ſine effectu deportatus capere videatur, quod liberè, & ſolido iure Domini non poſſidet. Sed Vlpianus *capere cum effectu accipi*, vt excluderet eum, dixit, qui rem ſtatim reſtituturus eſt, nec ex eâ commodũ aliquod habiturus: at deportatus verè capit cum effectu. qui Dominus earum rerum toto vitæ ſpatio fit quæ Iure ſuo gentium lucratus eſt: (ne Pichardo noſtro *e* credamus, qui capacem eum exiſtimat, ſed quem Fiſcus ſtatim quæſitis rebus ſpoliet) adeoque Dominus ſit, vt alienare ipſa, & permutare, dummodo abſit dolus; & ſi mereatur indulgentiam vel generalis illius abolitionis, quæ ſtatum nocentis dumtaxat, non bona reſtituit, planè omnia illa retinere reuerſus poſſit, quæ in exilio quæſierat. *Capere poſſe* ferè dicunt Iuris auctores de capacitate, ſeu facultate accipiendi, quam leges partim concedunt, partim denegant iis, quibus delictum, aut ſtatus impedimento eſt. *Capere poſſe* ius magis explicat, quàm factum, hoc eſt Ius, quo admittimur, etiam ſi factum, ſiue effectus ille perpetuo retinendi non ſequatur. Sed exprimamus veram ex contrariâ Vlpiani ſententiâ. Pone Vlpianum ſic ſcripſiſſe: *Verius eſt quod & Marcellus probat, capere eum non poſſe.* Quis ſanus hæc ita acceperit, deportatum ex teſtamento militis fideicommiſſum capere non poſſe (qui verè accipit, relictum, quandiuque viuit, poſſidet) quoniam videlicet eius rei, quam fideicommiſſo accepit hæredem fiſcum omninò habiturus eſt? Hoccine erit *capere non poſſe*, quod ab hærede rogato acceperis, interimque poſſidere; bonâ fide adminiſtrare; adeo vt vendere, permutare, ſiue, generali verbo, alienare poſſis; quod item abolitione impetrata integro, nec obnoxio iure tibi habiturus es?

VII.

*e* Princ. n. 58. Inſt. De Fideic. hæredit.

VIII.

ἡμᾶς δ' οὐ πείσεις, οὐδ' ἂν πείσῃς *f*.

*Non nobis perſuadebis, vel ſi perſuaſeris.*

*f* Ariſtophanes.

Capere non poſſe is ſermone Iuris dicitur, qui iure impeditur, ne ſibi quidquam ex teſtamento præſtetur. Redeamus nunc ad vulgarem ſcripturam, quæ affirmat: *Verius eſt, quod & Marcellus probat, capere eum poſſe.* Porrò is conſequenter dicitur capere poſſe, qui iure admittitur ad commercium teſtamenti. Contraria hæc ſibi collata, & commiſſa inuicem clareſcunt, & explanantur. Capere poſſe, aut non poſſe vt contraria ſint, eodem ſenſu accipiamus oportet, alias contrarietatem, ſiue oppoſitionem ſoluemus. Igitur ſi capere non poſſe is quidem videtur, qui nullo temporis momento ſibi adquirere poteſt; cur capere poſſe non è contra is videbitur qui relictum ſibi quæſitum per integrum vitæ ſpatium dominij iure retinet? At hoc ipſum-

met

met eſt, quod deportatus habet: & de quo monere nos voluit Vlpianus in militis fideicommiſſo; ius nempè id capiendi habere deportatum, nec impediri conditione ſtatus ſui, quominùs accipiat.

Sed cur in controuerſiam vocatur ab Vlpiano; nec niſi aduocato ad rem IX.
Marcello tanquàm ſponſore, ius iſtud accipiendi ex militari teſtamento, de quo nulla ratio erat dubitandi, deportatis aſſeritur? Iure quidem hîc pes figitur à propugnatore alterius partis: nam ſi compertiſſimum nobis eſt, qui deportatos ex Iure gentium accedentes ad fideicommiſſa teſtamento etiam relicta libenter admittimus (de quâ re non indiligentem diſputationem continebunt ſequentia capita) quodquumque illud ſit teſtamentum, legibus ſcilicet, ac regulis Iuris ciuilis conditum; exinde prorſus capere fideicommiſſi nomine deportatum: ineptè quidem, importuneque adducitur in quæſtionem; an ex militis teſtamento, quod ad ciuile Ius non pertinet, ſed naturalibus, gentiumque omnium legibus definitur, deportatus capiat: vt neceſſe etiam Vlpianus duxerit Marcelli auctoritate reſponſum ſuum tueri, & confirmare. Præſertim cum in principio huius legis VII fideicommiſſorum capacitatem (vt videbimus) deportatis conſignauerit. Planè hîc Græcis Interpretibus aqua non minus hæſit; ſi quidem vertentes ſuperiora Vlpiani verba, loco *fideicommiſſi*, quod eſt in Latinis, tanquam declinato ſignanter obice, *delatum* ſubſtituerunt. Ἀπὸ στρατιωτικῆς διαθήκης καὶ ὁ περιωρισμένος λαμβάνει λεγάτον. Quæ verba ex eadem ſynopſi, quam Athanaſius vidit, Baſilica ipſa iam edita publico Iuriſprudentiæ bono, pleniùs, planiuſque repræſentant. Antonio Pichardo noſtro, quô principium legis, X.
& hunc paragraphum conuenienter exponeret, olim viſum g, in eo differre fideicommiſſum deportato relictum in teſtamento pagani, ab eo, quod in militis teſtamento relinquitur, quod alterum, ſcilicet militis, verè, & cum effectu, deportatus capiebat, & retinebat: alterum ſibi poteſtate, ſiue intellectu Iuris quæſitum, protinus in fiſcum regerebat. Sed poſteriorem huius diſtinctionis partem omninò refellit Paulus in diſcuſſa iam lege XXII. §. V. D. Mandati: ne iam ſollicitemur poſt ibi adnotata, de his ſigillatim expugnandis. In re ipsâ multa nos proximè ſcribemus. Clara res in Iure, vt XI.
exiſtimo, atque illius temporis moribus, fideicommiſſi capacem eſſe deportatum: ſed ſiue ſimpliciùs, ſiue in tranſcurſu Marcellus ſcripſerat, idem Iuris eſſe in militari fideicommiſſo; fortè, vt à pœnæ ſeruis, qui nec à milite quidem capiunt h, deportatos occaſione datâ diſtingueret; lecto Marcello Vlpianus eodem ſcilicet conſilio rem ſtylo ſignauit. Demum Tribonia- XII.
nus monumenta doctiſſimorum hominum, quæ ſi integra extarent, filum ſermonis, tenoremque doctrinæ perpetuum legentium mentibus aduerterent, in fruſta hæc, ſiue leges & paragraphos, vt Græco verbo appellant, breuitati ſtudens laborioſa opera diſſecuit. Fragmenta ſunt hinc inde collecta, vt compactorem libuit Digeſtorum. Non paragraphus paragrapho ſemper hæret, connectiturque; non lex legi. Veterum librorum facies mutata prorsùs eſt: ſententia ſua cuique parti conſtat. Nec omnia tam fuit vſui annotaſſe, vt non aliqua parum neceſſaria ſint. Sed immenſum opus leuiculæ iſtius incuriæ quâ fronte expoſtules? Deinde contrarij ſenſus argumenta, his conſideratis, quæ prudentibus viris facillimo negotio adprobari poterunt, eneruia ſunt ſæpiſſimè in Iure, imbelliaque: quandoquidem non ex ſingulis orationibus, ſeu periodis ſeorſim poſitis, ſed ex ſolidâ cuiuſque ſcripti textura tenoreque ad intimum, & perfectum auctoris ſui ſenſum admittimur. Qui ſuperſtitioſiùs colendum ſibi ius cenſet, quàm à prudentibus ſolet, in ordinem, œconomiamque, ſeu exactiſſimam, nullaque ex parte ceſſantem operis formam, pro qua & Triboniano, tanquam pro aris,

g In Principio Inſt. De fideic. hæredit.

h l. 13. §. 2. D. De Teſtam. militis.


& focis

& focis quod dici ſolet, depugnauerit, vel tantillum culpet, is nempè latinitatem omnem, & regulas illius, verborumque Iuris proprietatem per me contemnat, dummodo viris doctiſſimis huius ſtudij cenſoribus conſilium ſuum adprobare poſſit. Nos ſatiùs ducimus cum his aliqua neſcire, quædam imbecillitati humanæ operæ, quædam incuriæ tranſcriptionum in his libris tribuere; quàm, ne alicubi pedem referentes, difficili, atque arduo loco temperanter cedamus, monumenta illa veterum, ſolennemque verborum, & ſermonis formam, præpoſterâ ac priuatâ auctoritate licentiùs, quàm par eſt, accipere, & contrectare. Video ſubtilitati, alacritatique in his litteris ſuam laudem eſſe: at niſi prudentiam, iudiciumque præcipuè aduocemus ad partes, ingenio non omnia indulgentes, totum Iuris ſtudium facilè corrupimus. Hucuſque non magis alienam ſententiam oppugnandi, quàm noſtram propugnandi gratia à nobis dicta, nolim vir doctus alio, quam quòd antiqua, & præcipua mihi fert modeſtia, conſciuſque inopiæ ſuæ animus, magnâ meâ iniuriâ referat. Hæc libertas, hoc priuilegium eſt ingeniorum, non vllius extraneum neceſſario ducatum ſequi; ſed quodque ſibi auctorem comitemque viæ in multis eſſe, remque ſuam ſedulò, ſtrenuèque ab impreſſione repugnantium protegere: quod animi mei conſilium perpetuò à me ſeruandum ſemel dictum hoc loco, nec aliquo indictũ eſto.

## CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

### An fideicommiſſum ſeruo deportati relictum valeat.

I. *Medio tempore quæſita bona retinet, & adminiſtrat deportatus.*

II. L. XV. *De* I*nterdictis exponitur.*

III. *Et alienare poteſt, ſed nõ in fraudem Fiſci, qui ei ſucceſſurus eſt.*

IV. I*deo manumittere ſeruũ nequit.*

V. L. VII. *in principio de legatis* 2. *quæ de fideicommiſſo deportati ſeruo relicto eſt, in examen vocatur.*

VI. Pertinere *ad nos quæ dicatur?*

VII. *Seruo alienato ante mortem teſtatoris, non ad fiſcum, ſed ad nouum dominum pertinet fideicommiſſum.*

VIII. *Quid in alienato poſt mortem teſtatoris?*

IX. *Non fraudat creditores, qui non vult adquirere.*

X. *Similiter nec fiſcum.*

XI. *An ſeruo deportati fideicommiſſum validè relinquatur?*

XII. *Affirmant quidam: accipereque aiunt capacitatẽ à ſe ipſo ſeruũ.*

XIII. *Alij, accipere ab eo, qui dominus ſperatur.*

XIV. *Aliis placet de eo loqui Vlpianũ, qui poſt relictum ſeruo ſuo fideicommiſſum deportatus fuit.*

XV. *Aliis, à Fiſco ſeruũ reddi capacẽ.*

XVI. *Nõnulli de fideicõmiſſo ſine teſtamẽto relicto Vlpianũ capiũt.*

XVII. *Antonij Fabri ſententia valere fideicommiſſum incapaci adſcriptum, ſi certum ſit capaci aliquando adquirendum.*

XVIII. *Qui tamen in hoc non tribuit capacitatem adquirendi ſeruo deportati.*

XIX. *Petri Gilquenij alia explicatio huius legis* VII.

I. ERgo is qui deportatus fuit, bona retinet poſt ſententiam, & publicationem adquiſita: horum tamen habere nequit hæredem; ſed moriente eo publicanda

publicanda reſcripſit, vt notauimus, Alexander. De Iure illo medii tempo-ris Marciani fragmentum eſt, quod ſeruauerunt nobis Græci libri; lex ſcili-cet XV. D. De Interdictis. *Emit, & vendit deportatus, conducit, permutat, fœnus exercet, & cætera ſimilia : & poſtea quæſita pignori dare poteſt : ſed excipitur : Niſi in fraudem fiſci, qui ei mortuo ſucceſſurus eſt, ea obliget, nam priora bona, quæ publicata ſunt, alienare non poteſt.* Hanc meliorem eſſe lectionem eâ, quæ tol-lit negandi aduerbium in vltimis verbis, res ipſa oſtendit, & Græca legis verba, vnde latina ſunt nata, quæ nobis ad manum : *τὰ γὰρ τοιαῦτα πράγματα τὰ καὶ δημευθέντα ἐκποιεῖν οὐ δύναται.* Vbi & ſcholiaſtes hunc ſenſum agnoſcit. qui talis eſt. Alienare deportatus poterat bona interim poſſeſſa; nempè his contractibus alienare qui cauſam, vti appellant, oneroſam continent, & mutuam præſtationem (Græcorum *συναλλάγματα*) dummodo fraus non fie-ret fiſco : quare nec manumittere, nec donare: hæc etenim nuſquam fient, quin fiſco fraus creetur : Si qua tamen bona tempore publicationis iam quæſita apud ſe retineat, ea nullo modo alienare poteſt, vtpote fiſcalia, nec ſuæ adminiſtrationi permiſſa. Vtique non licet deportato manumittere, aut donare. Manumiſſionem inhibuit & potiſſimùm D. Pij reſcriptum, quod eſt in l. II. D. De Interdictis. diuerſum prorſus ab alio eiuſdem, quod eſt in l. VIII. De Manumiſſionibus; vt colligere datur ex verbis, notiſque vtriuſ-que loci. Alterum damnato, eivè, qui damnationem veretur, manumiſſio-nis ius interdicit; quod ſimiliter faciunt in d. l. VIII. tum Senatuſconſultum, præterea aliud Hadriani reſeriptum. In hac autem lege II. cauiſſe reſcri-ptum iudico ſuper ſeruis in deportatione adquiſitis manu non mittendis. Anteà licuit ſeruum liberare; hoc eſt liberum, non ciuem reddere : quod opportunè obſeruat Petrus Faber lib. III. Semeſtrium cap. XIII. *a* imò nec la-tinum ex Norbana lege cuius expers eſt; vt etiam notat doctiſſimus Pithœus in Notis ad collationem Hebraici iuris cum Romano. Nec opponitur alie-nationem à deportato factam ſcribi ab Vlpiano in propoſita l. VII. princi-pio D. De legatis ſecundo: quâ quidem contractum inuicem obligatorium, veluti emptionem, aut permutationem non iniquè, aut dolosè celebratam ſignificari certus ſum. II. III. IV.

a Cap. 95.

Siſtendum tamen eſt in hac l. VII. excipiendumque obfirmato animo, magnæ cuiuſdam quæſtionis pondus, quod quidem ſubire Interpretes il-lius ſolent magno numero : etenim vereor, ne nouæ alicuius, & fortioris operæ etiamnum indigeat Vlpianus legis auctor. At non tanti ſum, aut vi-deor mihi eſſe, vt promittam : ſed tamen abſque nota leuitatis, temeritatiſ-que ſpero fore, quòd huic rei, quæ vires ingenii ſunt, commodare, ne vi-cem meam contemnerem, auſus ſum. *Si deportati ſeruo* (ait ille) *fideicommiſ-ſum fuerit adſcriptum, ad fiſcum pertinere dicendum eſt.* Scilicet, ne offendamus in limine, peruenturum id ad fiſcum cum reliqua morientis bona publica-buntur; quod notant rectè Fabii duo, Petrus, & Antonius, alter lib. II. Se-meſt. cap. XIII. *b* alter errore VIII. Decadis LXXIII. Pertinere ad nos ea dici notauit Pomponius in l. LXXXI. de V. S. quæ in ea cauſa ſunt, ex qua ad nos pertinere poſſunt: cui regulæ multis exemplis prælucet P. Faber. Quod Vlpianus deinde ſcribit, obſcurius eſt; ita nimirum dicendum : *niſi eum de-portatus viuo teſtatore alienauerit, vel fuerit reſtitutus: tunc enim ad ipſum debe-bit pertinere.* Hæc ille. Breuiter ergo expediemus vtramque exceptionem, vt quod neceſſe eſt, nunc de his diſcuſſo, illud quod latet, & aperiendum eſt, ſequamur. Priore loco ait ille, fideicommiſſo rem ſeruo deportati reli-ctam, ſi ſeruus ante mortem teſtatoris alienetur, in fiſcum non eſſe peruen-turam : eâ ſcilicet ratione, quòd cedente die fideicommiſſi à morte teſta-toris, ex l. V. §. I. Quando dies legat. &c. iam ſeruus alienus ſit, non depor- V. VI. VII.

b Ca. 199. edit. Lugd.



tati :

tati: ante hunc diem non vllum ius quæſitum eſt ad fideicommiſſum: ſed cum primum quæritur, nouo Domino quæritur.

VIII. Antonius Faber, eâ ſubtilitate ingenii quâ omnes caſus etiam veteribus omiſſos ſubſidiariâ Interpretis operâ determinat, in eo quoque, cui venditus, vel in quem quoquomodo alienatus eſſet ſeruus, mortuo iam teſtatore, ac poſtquam ceſſit fideicommiſſi dies, diſputat, cenſetque, neutiquam pertinere ad ipſum, adquiriúe cum acceſſione fideicommiſſi ſeruum: ſed quia ſeruus iure à deportato modis ſibi permiſſis alienatur, noui quidem Domini eum futurum: at fideicommiſſum, quia quandocumque deportatus moritur, vel reſtituitur, retrò fiſcus, aut ipſe fingitur Dominus olim ſerui, cùm dies cederet, fuiſſe; alteri horum, potiùs quam emptori adquirendum. Hæc conſiderauit vir acutiſſimus, vt obicem declinaret, cui explanando paulò pòſt intenti ſumus. Interim magis videtur, tam ſeruum, quàm fideicommiſſum cum ſeruo emptorem lucraturum, cùm ſcilicet alienatio hæc ex cauſa emptionis, & ſimilium συναλλαγμάτων permiſſa deportato ſit in primis: deindeque nullam videatur fiſco fraudem feciſſe (quod

IX. alterum caueri debet) qui tantùm noluit per ſeruum adquirere, non ſuum proprium patrimonium diminuit, vti fert Vlpiani regula in explicando edicto. *Ne quid in fraudem creditorum fiat*, l. VI. §. II. D. eo titulo. Quare is qui ſeruum hæredem inſtitutum alienauit, vt iuſſu emptoris adiret, nullam videtur fraudem feciſſe creditoribus, puta ex eodem Vlpiano in d. l. VI. §. V. D. eodem tit. l. Non fraudantur CXXXIIII. D. De Regulis Iuris l. LXVII. §. I. D. Ad S. C. Trebellian. Scio, idem non ab omnibus receptum in Fiſci cauſa: nam & oppoſita videntur de hac re Iuriſconſultorum Pauli, & Vlpiani reſponſa in l. Cum quidam XXVI. & l. In fraudem XLV. in principio D. De Iure fiſci. Sed cum indubitata res ſit, non videri priuatos creditores ab eo

X. fraudari, qui adquirere noluit, vt anteà diximus: rurſumque in pœnarum, qualis deportatorum publicatio eſt, perſequutione Fiſcus priuatis creditoribus cedat, l. Vnica C. Pœnis fiſcal. credit. præferri lib. X. proculdubio mihi videtur non vllum in ea cauſa priuilegium Fiſco tribui poſſe, vt creditoribus, qui ex onere, non ex lucro veniunt, præferatur. Quare ſi qua in re Paulus dictæ legis, *In fraudem* XLV. auctor, certum, & conſtans Fiſci ius reuocandi ea, quæ in eius fraudem non quæſita ſint, proponere voluerit, id maximè ſubintelligendum exiſtimo, in quo priuatis creditoribus is præfertur, nempè cùm agit ad ſortem ſibi ex contractu, hoc eſt onerosâ ex cauſâ debitam: quam rem perſequenti Fiſco cæteros creditores poſtponi, docet eadem l. Vnica C. Pœnis fiſcalibus &c. Rem controuerſam breuiùs determinare opus fuit: de quâ pleniùs alij *c* tractant. Accedit, quod libens Faber recipit, Fiſcum medio illo tempore, bonorum deportati Dominum non eſſe; ſed ſi placet, creditorem in tempus mortis, & ſub conditione, ſi reſtitutus non ſit. Placet igitur vti diſtinctione illa lucratiuæ, & oneroſæ cauſæ in nouo ſerui Domino; vt ex priore cùm ſeruum, tùm id quod ſeruo fuit relictum, regerat, Fiſcoque reſtituat: ex poſteriore totum adquirat. Altera exceptio noſtræ l. VII. ſi deportatus reſtituatur, fideicommiſſum ſibi habiturum, ſimiliter atque habiturus eſt ſeruum, cui relictum eſt fideicommiſſum, non vlla eget explicatione.

*c Telles Fernandez in l. 4. Taurin. 62. & alij quos laudat Thomas Sāchez De Matr. l. 6. diſp. 4. n. 8. Larrea deciſſ 55. n. 1. & 27. omnino vidēdus.*

XI. Sed rem geramus. Seruonè deportati, (quod Vlpianus ſupponit) fideicommiſſum poteſt relinqui? Non vtique, ſi ad regulam toto iure receptam oculi aduertuntur. Cùm enim ex perſona Domini, ſeruus, cui quid relictum eſt, intelligatur *d* capax die cedente: deportatus autem ex teſtamento nequeat capere; dicendum potius videtur, pro non ſcripto debere eſſe fideicommiſſum hoc ſeruo relictum, cuius Dominus die cedente incapax relictorum

*d L. 12. §. 12. De leg. 1. cum ſimilibus.*

relictorum non vllam potuit ſeruo ſuo capacitatem accommodare: vti pro
non ſcripto habetur, qui (qualis deportatus fingitur) in rebus humanis non
eſt; l. IV. De his qui pro non ſcriptis habentur: & vti fieri, quoties deporta-
ti ipſi nominantur hæredes, Antoninus reſcripſit in l. I. C. De hæred. inſtit.
Hoc tam vrget Iuris Magiſtros, vt ferè neuter alij, ac ne vix ſibi, vt credo,
multum placeat. Antiquiores non ſatis Iuris regulas ſequi, aut obſeruare XII.
voluiſſe videntur, eò deducti, vt credant, ex perſonâ ſerui hoc fideicom-
miſſum conſiſtere (cum perſona Domini, qui pro mortuo eſt, non inſpicia-
tur) fiſcoque adquiri: pluſque capacitatis in ſeruo, quàm in Domino de-
portato conſiderant. Sic Bartolus ante alios, quem ſequuntur Baldus, Ca-
ſtrenſis, Laſo hîc *e*. Sed abſurdum in Iure hoc continet: cum ideò magis
verum ſit, quia perſona Domini capacis apparet nuſquàm, ſeruum ex ſe
hoc ius capiendi, quod à Domino accipere ſolet, non habere. Vltra quidem XIII.
Caſtrenſis *f*, vbi locus non eſt à vero Domino, capacitatem ſeruo quærit ab
eo, qui ſpe tantùm Dominus eſt: quemadmodum (ait) ſeruus duorum, quo-
rum alter incapax eſt, alteri Domino ſolidum adquirit legatum in l. XXIII.
D. De adquir. rerum Dominio. Sed verè non multum pertinet eius exem-
plum, qui ex parte, Dominus tamen reuera eſt, atque inſuper adiuuatur
accreſcendi iure, ad deportatum, qui futurus eſt capax Dominus, ſi reſti-
tuatur, ſiue aliàs ad fiſcum, qui ſimiliter futurus eſt Dominus poſt mortem
deportati.

XIV. Franciſcus Conanus lib. II. Commentar. cap. III. Hunc caſum le-
gis excogitauit, probatus Interpreti Salmantino toties à me laudato Ioſe-
pho Reteſio *g*, Titij ſeruo relictum fideicommiſſum fuiſſe; viuenteque ad-
huc teſtatore Titium deportatum: exiſtimatque ab Vlpiano ſcriptum, fi-
deicommiſſum die cedēte ad Fiſcum pertinere: quod ſi Titius ante damna-
tionem ſeruum alienaſſet, nouo Domino eum adquiſiturum: at, ſi non alie-
naſſet, & priuſquam dies cedit, reſtitueretur, quia non obſtat incapacitas
medij temporis, fideicommiſſum cum ſeruo ad ipſum peruenturum. Hoc
idem placuit olim Petro Fabro, in laudato cap. XIII. *h* Secundi Semeſtrium
libri, quem nollem Ioſephus Retes omiſiſſet tam ſerium, & alacrem rei ſuæ
in explicandi Iuris quæſtionibus defenſorem, magno eius nomine ſuum,
& Conani iudicium tuiturus, commendare. Planè is inuenta & alia huius
dubij ſolutione, quam pòſt edimus, adhuc ſe non pigere ait prioris ſenten-
tiæ; cum per anticipationem multa in iure dicantur: nec durius ſit ſeruum
deportati de ſeruo eius, qui poſteà deportatur intelligi, quàm hæreditatem
de hominis viuentis ſubſtantia in l. XCI. D. De legatis I. Ita per contrarium
(inquit) ſeruus alicuius dicitur, qui libertatem olim ab eo accepit; & patro-
ni etiam Dominorum appellatione notantur, l. LXII. De legatis ſecundo. Ve-
rùm vix credo nouas facturum tenebras figuratâ loquutione Vlpianum rei
alioqui lubricæ, & intricatæ: hoc ſanè eſſet ænigmata, & oracula noua ede-
re: non ea, quæ in rebus ritè, ac iure agendis, & expediendis paſſim naſcun-
tur, ſoluere. Nec ferendus eſt Hugo Donelus, qui putabat *i*, ſeruum ex per- XV.
ſona Fiſci, cuius eſt, etiamſi à deportato poſſideatur, capacitatem habere.
Seruus publicatus Fiſci eſt, non ille, cui publicatio impendet; qui interim
deportatum habet plenè Dominum, atque ei adquirit; alienarique, dum-
modo ſine fraude, poteſt; & manumitti etiam, vt ſuſpicor, ſi prætium ſui
Dominicis inferat rationibus: quæ præcipuè ſunt notæ, atque effectus Do-
minij: quod iure ei opponit Hilligerus in Notis *k*. Aliis arridet hoc loco a-
gi de fideicommiſſo extra teſtamentum relicto, cuius non eſſe incapacem
deportatum exiſtimant. Ita deinde Petrus Faber quæſtionem tentat ſolue-
re. Sic & Antonius Richardus noſter In commentariis Inſtitutionum in §.
ſeruus

*c Similia ferè his ex Fulgoſio probat M. Antonius Aquilinus in l. I. in principio D. De verbor. obligat.*

*f De quâ ſententia videndus Faber decade 74. errore 8.*

*g Lib. I. cap. 7.*

*h Pag. 198.*

*i L. 6. cōm. 17. quē ſequit. alter eorum qui ad Clerum fecit additiones l. 3. §. Teſtamētū q. 23. n. 8.*

*k Lit. V.*

ſeruius autem plurium, de hæredibus inſtituendis *l*. Qui quidem niſi contrarium innuere viderent ur teſtatoris adſcriptique fideicommiſſi appellationes, vero magis ſimiliter de re cenſent.

*l Etiā aliter ad Principium de fideicommiſſar. hæred. n. 17.*

XVII. Subtilis deinde multùm eſt alia Fabri Sebuſiani explicatio, cui capita duo illius operis quo pragmaticorum oſtendit errores, nempè Decadis ſeptuageſimæ quartæ octauum, & nonum conſignauit. Cuius hæc ſumma eſt: Valere legatum, aut fideicommiſſum, quantumuis incapaci adſcriptum, ſi certum iam ab initio habeatur omnimodo futurum vt capaci aliquando adquiratur: taleque iſtud eſſe, de quo Vlpianus quærit, deportati ſeruo relictum; quod planè, omninoque, vel ad deportatum ipſum, ſi reſtitutus fuerit, vel ad Fiſcum ſi non reſtitutus, eſt peruenturum. Suſpendi quidem perceptionem Faber putat; quia incertum eſt, vter horum ſit percepturus: non tamen ſuſpendi validitatem legati, aut fideicommiſſi. Deinde ait, perceptionis tempus retrotrahi (qualis ſit, qui percipit, ſiue deportatus, ſiue Fiſcus) ad diem ceſſionis: vt ſi ſeruus etiam poſt mortem teſtatoris, ac diei ceſſionem, vt anteà dicebamus, à deportato alienatus ſit, is tantùm alienatus cenſeatur, non fideicommiſſum ei adſcriptum: quia nempè nouus Dominus, in quem alienatus proponeretur, ceſſionis tempore, Dominus non erat: quandocumque autem factâ reſtitutione, ſiue non facta, quando deportatus moritur, rem ad priſtinum ſtatum reduci. Ille nimirùm, qui ex deportatione redit, omnia iura, quæ abſtulerat ei deportatio, recipit; Fiſcus verò percepiſſe iam ab initio, ac tempore prioris ſententiæ, bona etiam illa, quæ adquiſita ſunt in
XXIII. exilio: quos effectus cùm Fictio hæc Iuris in acquiſitione ſortiatur, nonvſquã fiet, vt obſit ei alienationis factum. Hæc Faber *m*. Quæ cum tum copioſè, ac dilucidè ab eo ſcripta ſint, valdè miror in nuperâ explanatione Tituli De Interdictis alio ſenſu donari. Non vtique exiſtimauit Faber deportati ſeruum capacem eſſe fideicommiſſi: imò quòd in capacem crederet, ad illam Iuris regulam, quam perſuaſum it, mentis aciem ſequutus confugit. Qui hoc fideicommiſſum à tempore teſtamenti, nec minùs cùm cedit dies, valere ait, non ideo adſcripto tribuit capacitatem adquirendi: re verâ enim non adquirit, vſque dum capacis Domini ſeruus potiatur: ſed magis conſiſtere relictum putat, licet perſona tunc temporis non ſit, cui adquiratur, ex eâ videlicet, quam expendit, regula. Non enim vt valeant quæ relinquuntur, neceſſarium duxit, quòd capaci relinquantur; ſed quòd certum ſit capaci aliquo tempore adquirenda eſſe. Hæc ſumma ratio eſt huius Fabri coniecturæ, quam minùs diligenter conſiderare mihi videtur, qui
XIX. alio abducit.

*m Cuius ſuffragatorem ſededit nuper Don. Franciſcus Merlinus controuerſ. forenſium cent. ſecunda cap. XX.*

Adiungam vltimo loco his, quæ vir acutiſſimus conſiderauit, aliam Petri Gilquenij (nec ſcio an alterius) de hac re cenſionem: quam breuiter is dum ad l. 1. C. De Hæred. inſtituendis, commentaretur, intimauit. Voluntatem teſtatoris Gilquenius prætendit quam ferè ſemper Ius ſequitur. Qui enim ſeruo incapacis deportati fideicommiſſum adſcripſit, eo animo eſſe videtur, vt velit tunc deberi, præſtarique, cùm in poteſtatem venerit capacis Domini. Sciens enim deportato adquiri non poſſe, nec item Fiſco, cuius interim non eſt, voluiſſe creditur diem ſuſpendi, nec à morte ſuâ tabularumúe apertura cedere; ne luſiſſe in tam ſeria re poſtremi, ac non redituri arbitrij videatur: quaſi ita ſcripſiſſet: *Sticho, qui ſeruus eſt Titij deportati, cum primùm peruenerit ad Dominum non incapacem, hæres fideicommiſſum præſtato.* Et iuuare quidem Gilquenium videtur diuerſa fideicommiſſorum à legatis ſiue hæreditatibus, quæ ſolenniter relinquuntur, natura. Hæc vtique, ſi non expreſſa conditione ſuſpendantur, purè relicta videntur: benè tamen eam

eam conditionem, ſiue diem benignitate quadam Iuris admittunt, vt præſtari quid cui debeat, *cum capere poſſit.* vti Modeſtinus docet in l. LXII. principio D. De hæredibus inſtituendis. Fideicommiſſis, quorum laxior intellectus eſt, nec regulas ſtricti, ac ciuilis Iuris conditio attemperata, vt mox videbimus, tacitum diem ineſſe propter coniecturam voluntatis, non temerè affirmabimus. Quandoquidem remotâ ratione Iuris ſtrictâ, quæ aliàs obſeruaretur, id primùm ſpectari debet, quod veroſimile eſt in voto poſitum teſtatoris: hoc eſt, æqui, & boni ratio prorsùs habenda. Sed penſiculatè magis, ac diligenter differentia hæc fideicommiſſum à cæteris præſtationibus capite ſequenti examinanda eſt.

## CAPVT DECIMVMNONVM.

### Relinqui fideicommiſſum poſſe deportato: ad legem VII. De legatis 2.

I. *Deportatus capit à milite relictum.*
II. *Item quod ei relictum in teſtamento, hæres voluntatem teſtatoris ſequutus, eidem præſtat.*
III. *Deportatis non aufertur Ius fideicommiſſorum.*
IV. *Origo fideicommiſſorum non eſt à ciuili Iure.*
V. *Nec item approbatione Iuris ciuilis ciuilia facta ſunt.*
VI. *In hac approbatione reſpectum fuit propriè ad peregrinos homines.*
VII. *In quibus deportati ſunt.*
VIII. *Fideicommiſſa Iuris gentium ſunt.*
IX. *Quæ vel ex teſtamento capere potuiſſe videtur deportatus.*
X. *Examinatur Antonini reſcriptum quod eſt in ſcholiis Baſſilicon.*
XI. *Et in Baſilicis ipſis aliter refertur.*
XII. *Argumentum Reſcripti oſtenditur.*
XIII. *Sæpè duo aut plura reſcripta confundere in vnum ſolent Iuris auctores.*
XIV. *Anteceſſoris Salmantini clariſſimi explicatio quædam verborum reſcripti.*
XV. *Probatur magis alia explicatio.*
XVI. *De Reſcripti auctore.*
XVII. *Argumento ex* §. I. *huius l.* VII. *Satisfit.*
XVIII. *Vis argumenti à maiore ad minus in Iure.*
XIX. *Item argumenti à contrario.*

QVæris quid habeam ex penu mea ſuperioribus doctiſſimorum hominum reſolutionibus adiungere. An cogitauerim ſatis (quod in Trinummo eſt Plautina.)

*Vtram mihi potiùs harum partem expeteſſam?*

Poſſum vtique verbo rem decidere, (mirumque videri debet, nulli, quod legerim, in mentem veniſſe, cùm in medio poſitum hoc reſponſum ſit) ſeruo deportati relictum fuiſſe fideicommiſſum à milite: quod quidem capere deportatum poſſe vel ſibi ipſi adſcriptum, ex Marcelli ſententiâ paulò I

X pòſt

II. poſt in eâdem lege Vlpianus probat. Deinde non minùs poſſe dubio fieri ſatis, ſi iuxtà id, quod factum proponitur in l. II. C. De Fideicommiſſis, à quo non exorbitat valdè Plinij epiſtola x. ad Sabinam libri quarti epiſtolarum, relicta ſeruo deportati per fideicommiſſum præſtita fuiſſe dicamus ab hærede, quamuis ex inutili fideicommiſſo non deberentur ſcripturam ſcilicet ſequuto, & ex conſcientia voluntatis defuncti rem gerente.

III. At quod maioris curæ, atque operæ eſt, tentemus ſcilicet, non iure arceri à fideicommiſſis deportatum. Simile eſt veri profectò, deportatum capere potuiſſe quæque ex fideicommiſſo ſibi relinquerentur: non tantùm extra teſtamentum, (quod quidem Petrus Faber, Antonius Pichardus aliique non inuiti dant) ſed etiam ex teſtamento. Peregrinum, ais, capere ex teſtamento poſſe. Ita ſcilicet: obtendamque tibi Lucretianum illud in primis.

*Deſine quapropter nouitate exterritus ipſâ*
*Expuere ex animo rationem, ſed magis acri*
*Iudicio perpende: & ſi tibi vera videtur,*
*Dede manus: aut ſi falſa eſt, accingere contra.*

Coniecturæ rationem ſi priùs dedero, argumenta deinde, quæ ex contrario aduerſantur, ſoluere conabor. Arduum nempè habent fateri inter pretes, fideicommiſſum quantumuis origine Iuris gentium eſſet, ex quo tamen in aſſiduam iuriſdictionem ob neceſſitatem præſtationis conuerſum fuit, obnoxium factum Iuris ciuilis regulis, vtiliter ei, qui iuris huius non eſt capax, teſtamento relinqui. Atqui non tam arduum hoc eſſe vt omnes fateantur, in me ſuſcipio. Planè alterum oportet; aut quòd peregrinitatis generali ratione aut quòd ſpeciali pœnæ deportationis, capere nequeat ex teſtamento fideicommiſſum deportatus. Si ex priore illâ eſſet, proculdubio peregrini omnes non caperent. At capiunt quidem: & imo propter hos accommodata olim fideicommiſſis ciuilis auctoritas. Res ſic ſe habet.

IV. Si qui Romanis legibus prohiberentur capere bona ex teſtamento; interpoſita hæredis fide, & quaſi manu longa, ditari, ornarique ſolebant re ipſa hæreditatis, aut legati: Quod præterquàm quòd multi loci confirmant priſcorum ſcriptorum, Iuſtinianus Imperator principio Inſtitutionum de fideicommiſſariis hæreditatibus teſtatum reliquit. Hunc morem tam his cauiſſe, qui propter peregrinitatem, ſiue naturâ, ſiue damnatione contingentem, iure teſtamenti prohiberentur, quàm his, quos ſpeciales leges partis, ſolidiúe adquiſitione arcerent, non malè ſuſpicamur. Exempla prioris ordinis ſunt deportati. Latini liberti ex lege Iunia, dedititij, atque in genere omnes peregrini nominis: poſterioris mulier, quæ Voconia lege non potuit hæres ſcribi: orbi, cælibes in ætate nuptiis præſcripta, qui ſolidum poſt legem Papiam non capiebant. Hæc, ideo quod fide hæredis ſcripti, æquitateque, ac verecundia, ſeu pacti, ſeu iuriſiurandi, non ſcripturâ aliquâ, aut legis vinculo ſuſtinerentur, fideicommiſſa appellata, placuit non ſemel Auguſto rata facere, atque interpoſitâ Conſulum auctoritate ſuſtentare. Nimirum gratiâ perſonarum, ſiue iuratâ ſalus Imperatoris, aut nè quibuſdam lucro cederet inſignis perfidia, iuxta id quod ſcribit Iuſtinianus, in cauſâ fuit ciuilem obligationem accommodandi, atque adiungendi tacitæ, atque obligatæ fidei, quæ tamen Iure dumtaxat æquitatis, & gentium fuerat olim liberanda. Sed animaduerſione dignum in re eſt, non eo fidei-
V. commiſſa reducta fuiſſe ad exequutionem ciuilis Iuriſdictionis, quæ his conſulerent, quos ſpeciales leges teſtamentorum illibato iure interdicebant. Hoc enim re vera eſſet legum paulo antè rogatarum fraudatoribus, non tam conniuere Magiſtratus, quàm auxiliari. Huiuſque ſententiæ eſſe

Paulum

Paulum in l. LXXXVII. De legatis tertio, interpretatio ibi adducta verbi *legatum*, vt etiam contineat fideicommiſſum, inſcriptioque ipſa, quæ ad leges eſt, nempè ad leges Iuliam & Papiam, apertiſſimè oſtendunt. Et ſanè quidquid liberum concedatur arbitrium militibus, quibus voluerint, relinquendi, excipiuntur tamen hi ſemper, quos lex ſpecialiter prohibuerit, vt in reſcripto eſt Alexandri in l. V. C. De Teſtamento militis. Imò tacita fideicommiſſa toto iuris corpore ſic eapropter appellata, & reprobata, in horum vtilitatem vſurpari conſueuiſſe ſcio, ad quos non pertineret iuriſdictio fideicōmiſſorum nouè recepta. Reſtat ergò ad eos tantùm pertinuiſſe indulgentiam prædictam, qui, quòd peregrini eſſent, ex teſtamento alioqui non capiebant: in quibus moris huius, atque iuris exemplum Theophylus & ipſe conſtituit Inſtitutionum Paraphraſtes. Sed admittent aliqui dumtaxat peregrinos, hoc eſt, alibi quàm Romæ, aut vbi ius eſſet ciuitatis, natos: item libertos nondum ciues, puta Latinos, & qui Dedititiorum eſſent numero: ſummâ illa æquitatis ratione, ne ciuium Romanorum liberalitate excluderentur, quos non culpâ aliquâ, ſed naturæ, aut manumiſſionis deſtinatio in ſedem peregrinitatis innoxiam conſtituerat. Pœnæ autem cauſa peregrè euntes remouebunt ab hoc ordine, & Iure. Attamen quia non ſummâ peregrinitatis ratione hi excluduntur, quod hactenùs oſtenſum eſt; nunc contendimus, neque ratione damnationis, aut in pœnam excludi. VI.

Planè hic tantùm in fraudem Iuris fidem accommodare dicitur, qui reſtiturum aliquid ei promiſit, qui legibus ex teſtamēto capere prohibetur, iuxta Caij regulam in l. X. De De his quæ vt indignis &c. Deportatus nulla lege ſpeciali prohibetur, vt capiat; ſed ſummo Iure, & conditionis peregrinæ ratione, in quam reducitur. Ciuile autem ius, & ſcriptæ leges hoc etiam cautum habent, ne fraus ſibi fiat tacitis fideicommiſſis, ac nè vtilitati publicæ rei per fidem ſecretò interpoſitam illudatur. Pœna verò deportationis in eo ſe continet, vt nolit hominem illum vltra eſſe ciuem, nudumque mittat aliquo in exilium: de reliquo non eſt curioſa: imo reuireſcit demùm, ac veluti in appendicem prioris publicationis, rem morientis abſorbet. Tantum abeſt, vt Iuri ſuo Fiſcus obſit, cuius ſolidè intereſt deportatum incapacem non eſſe ſaltem eorum, quæ Iure gentium accipere poteſt. Quis enim affirmare auſit, deportatum, qui vxorem in exilio acceperit, dotem capere non poſſe? hoc nempè modo quò peregrini coniuges dotem accipiunt? Ciues legibus prohibentur dote, quæ ex iniuſto data ſit connubio. l. III. De Iure dotium; §. pen. De nuptiis; l. VIII. De Ritu nuptiarum; l. VI. C. De Inceſtis nuptiis: ſed ad peregrinos factos leges non pertinent. Manent ergò eis, quæque aliàs, & ſine Iuris ciuilis ope quæruntur. VII.

At huiuſmodi eſſe fideicommiſſa, originiſque ſuæ proprias dotes, & liberam naturam, vel poſt ciuilis Iuris confirmationem retinuiſſe, exceptò tantùm quod ea improbata ſunt, ſi quibus fraus fieret aliis legibus, certò certius exiſtimo. Aliàs fauor, & indulgentia imperfecta eſſet, ſi tam magna pars eorum hominum, ad quos olim ſpectabant, quibuſque conſulebant priſtina fideicommiſſa, quales deportati ſunt, à priuilegio iſto accipiendi per Prætorem, aut ſimilem Magiſtratum, cogendique ſcriptum hæredem extra habiti, non eodem ac cæteri peregrini iure cenſerentur. Et quonam loco hæc tam vtilis diſtinctio peregrini per pœnam facti, & peregrini nati in fideicommiſſis capiendis, aut non capiendis intimatur? Fideicommiſſa Iuris gentium vel hodie ſunt: eoque Iure accipiuntur. Nam ecce Latini Iuniani legatorum, & Iuris ciuilis incapaces, non arcentur fideicommiſſis, ab Vlpiano in Fragmentis Tit. XXV. Et quacumque lingua, & quibuſcumque verbis; etiam nullis, ſed nutu relinquuntur, vt ſcribit ibidem VIII.


Vlpianus

Vlpianus, confirmatque l. XIX. §. I. D. Ad Trebellianum: quæ duo ſimul rem Iuris gentium plenè eſſe maximè indicant: quod inducere eſt ex l. VIII. in fine D. De Acceptationibus. Non petuntur per formulam, hoc eſt per actionem: quoquomodo & parte teſtamenti adſcribi poſſunt; vt idem titulus habet fragmentorum Vlpiani: ſola voluntas teſtatoris hîc inſpicitur, l. pen. De legatis I. leg. LVII. §. I. D. Ad S. C. Trebellianum. Voluntas quidem relinquentis, & obligatio rogati hæredis non infirmantur à Iure ciuili, nè ſuam naturam exuant vagæ præſtationis: ſed accommodantur his vtiliter Iuris ciuilis effectus: quod germaniſſimè fit in obligatione alimentorum, quæ filiis debentur. Hanc, ſi quis vſquam rectè ſenſit *a*, naturalibus adnumerauit: & tamen leges fuerunt, quæ præciperent, & ceſſantes cogerent parentes, vt affirmat Iuſtinianus in l. vltima. §. V. C. De bonis quæ liberis &c. Propterea magis puto deportatis ea capere non licuiſſe, quæ ciuilibus verbis, hoc eſt imperatiuis, & ſolennibus *b* adſcriberentur: quæ autem Iuris gentium maximè, pleneque eſſent ea ſibi adquirere non prohibitum: etiam ex teſtamento; quod vltimum veritus eſt Petrus Faber admittere, nimiùm planè ſuperſtitioſus, nè videretur quid ex teſtamento his, qui ius teſtamenti non habebant, concedere. Teſtamentum verè nomen eſt, & compoſitio ciuilis Iuris: at qui ex æquitate capit, & non directè, ſed ab eo precatiuis verbis capit, cui relictum directè fuerat, non quaſi ex ciuili diſpoſitione morientis, quæ peregrinos non contingit, ſed ex voluntate nuda ſecundum intellectum Iuris naturalis, ſiue ex teſtamento, vt ita loquar, naturali videtur accipere: non iuxta regulas ciuiles teſtamentorum, quomodo capere non poſſe videtur ex teſtamento is, qui propter incapacitatem arcetur. Hîc ludit operam noſter Pichardus; qui vt deportatum admittat ex coniecturâ, ſeruumúe illius ad ius fideicommiſſi (quòd quidem ſagaciter vidit *c*,) falsò adſumit memoriæ prodidiſſe doctiſſimum Cuiacium, Diui Antonini Conſtitutione factum, vt quod fideicommiſſum deportato adſcriberetur in eius perſonâ conſiſteret, ac ſtatim à Fiſco auferretur. Quod ſecùs eſſe verba ipſa Cuiacij, & Antonini reſcriptum quod laudat *d*, poſteà à nobis adducendum non ægrè perſuadent.

*a Videndi quos adducit Hilligerus l. 12. c. 4. lit. A. Molina de Primogeniis l. 2. c. 1. n. 16.*

IX.

*b Vlpian. in fragm. Tit. 25. principio l. 7. principio De vulgari &c.*

*c Conſulẽdus in Prin. Inſt. De fidei. hæred.*

*d In l. III. §. In inſulam. De verb. oblig.*

X. At multùm reſtat laboris, & operæ in tuendis his ab impreſſione, quæ ex aduerſo fieri poteſt, & ſolet. Namque obſtat in primis Antonini Cæſaris reſcriprum, quod ex ſcholiis Baſilicon deſumptum hodie in Pandectis legitur ad calcem huius Tituli Latinum factum cura & opera magni Cuiacij. Ibi inter alia diſertè adnotatum eſt, *deportatis neque legata, neque fideicommiſſa contra mores, & ius publicum relinqui poſſe.* Quapropter impetratâ opus fuit Antonini indulgentiâ, vt liceret in cauſam alimentorum relinquere, quod aliàs non permitteretur. Hinc adeò validum confici argumentum plures credunt aduersùs deportatum; vt non videant quâ arte ipſius impetum eludere valeant. Non autem eſt tam præiudicatum, & ſacrum antiquitatis monumentum hoc reſcriptum, vt minus liceat id ipſum ad rationis regulas, tanquam ad obruſſam, exigere.

XI. Ab Scholiaſte eſt nimirùm quod de fideicommiſſis adiungitur: iam conſtitutiones ipſæ Regiæ hactenùs habent. οἱ περιωρισμένοι οὔτε κληρονομίαν, οὔτε ληγάτον λαμβάνουσι· καταλιμπάνεται δὲ αὐτοῖς ἐν διαθήκαις τὰ πρὸς ἀποτροφὴν, καὶ τὰς ἄλλας ἀναγκαίας χρείας ἀρκοῦντα: hoc eſt: *Deportati neque hereditatem; neque legata capiunt; relinquitur tamen eis teſtamento quod ad victum, & alios vſus neceſſarios ſufficiat.* Videtur ſerio mihi rem conſideranti vidiſſe is, qui iuſſu Leonis Imperatoris, Baſſilicam iſtam collectionem ordinauit, reſcriptum hoc, ſi quod fuit, Antonini, ſeu potius reſcripta: cum eâdem regula in medium propoſita incapacitatis deportati, eandem met deinde, quæ in reſcripto eſt apud ſcholiaſtem in cauſa alimentorum

mentorum exceptionem iiſdem verbis commendet. Quare ergo non expreſſit de fideicommiſſis Baſilicorum auctor (quod vtique debuit fidus interpres) ſi de his nominatim reſcriptum cauerat relinqui deportatis non debere? Dices, forſitan propter exæquationem inter legata, & fideicommiſſa ſuperiori ætate factam à Iuſtiniano, neceſſarium non duxit Græcus Magiſter legatis nominatis adiungere fideicommiſſa; quorum vtrorumque iam eadem ratio dudum eſſet, natura quæ præſtationis. Vereor tamen nè ſcholiaſtes eâdem ratione inductus fideicommiſſa temerè intexuerit reſcripti verbis, quo non niſi hæreditates, & legata eſſent prohibita; ſecurus ſcilicet, quod minimè debebat, manentis in naturæ ſuæ dotibus illibatæque, vt vidimus, fideicommiſſorum conditionis.

Sed argumentum aperiamus fragmenti. Refert hic, quiſquis notæ huius auctor eſt, confusè licet atque implicatę duo reſcripta, (diuerſone, an eodem tempore data non liquet) eiuſdem ſententiæ ab Antonino Imperatore de his emiſſa, quæ deportatis teſtamento relinquuntur. Non alia eſt idonea horum ſententia. *Cùm Vlpianus Damaſcenus rogaſſet Imperatorem, vt ſibi permitteret matri relinquere ad victum neceſſaria.* Hæ ſunt priores preces. Deinde ad libellum pertinent alium quæ ſequuntur: *& mater per libertum* (id moris erat, vt per libertum preces offerrentur quod colligitur etiam ex lib. LVII. De Ritu nuptiarum) *vt quædam ſibi liceret filio deportato relinquere.* XII.

Vt e miſeræ matres ſollicitæ ex animo ſunt, cruciāturque. Hæc ſi de vnâ tantum causâ, & cognatione accipiantur inepta, nec vero ſunt ſimilia: nempè matrem, & filium in deportatione manentes, aut ſaltem filium deportatum ciuis, atque integræ matris inuicem ſibi proſpicere voluiſſe in teſtamento, alterique alterum dare, in quo illius indigeret auxilio. Nec ſine exemplo eſt hæc duorum reſcriptorum habita latenter inſimul mentio *Diuus Antoninus, & Pertinax* (quos Cæſares quis vnquam collegas audiuit?) *reſcripſerunt* (ait Modeſtinus in l. XII. inferiore. De fideicom. libertatibus) *hæreditate Fiſco vendicata* &c. Sed vt procedamus, *Imperator Antoninus eis reſcripſit in hunc modum*; (altero, & altero reſcripto) *Neque hæreditas, neque legatum, neque fideicommiſſum contra mores, & ius publicum huiuſmodi perſonis relinqui poteſt, nec conditio horum perſonarum mutari debet.* Hic Magiſter meus Anteceſſor Salmantinus, Regius nunc Senator quondam interpretabatur, *τοῦ δημοσίου νομίμου, iuris publici* mentionem, prohibitionemque ad hæreditatem, & legata referri debere, quorum ius venit ex XII. Tabulis, competitque ciuibus dumtaxat Romanis: quod autem *συνήθειαν, Conſuetudinem* prætendit, ad fideicommiſſa ſpectare; moribus enim factum aiebat, ne alioqui pœna non capiendi deportatis dicta illuſoria eſſet, & fideicommiſſorum adquiſitio eodem Iure ciuitatis cenſeretur, nec ad peregrinos pertineret. Fruſtrà quippe foret hæreditatis, legatique prohibitio, quæ legibus deportato intimata eſt, ſi aliâ viâ eidem conſuli, nempè adſcriptis fideicommiſſis, infundique tota res hæreditatis aut legati poſſet. Veniâ eius dixerim, non multum vrget ratio hæc ab inconuenienti. At quòd in ipſius verba non iuro, cui quidem omnia, quæ ſum in litteris, acceptum referre ſoleo; cùm præcepto eius, qui ad Piſones ſcripſit de Poëtica Arte tum verbis Quintiliani excuſare poſſum. *Bonum præceptorem non minùs diſcipulum laudare debere* (inquit) *ſi quid pro eodem diuerſa, quàm ſi quid pro ſua parte acriter excogitauit.* Profectò quamuis rationes expeterent publicæ rei tuendæ, ne ciuium facultatibus peregrini homines locupletari poſſent, indeque fluxerit hæreditatis, ac legatorum intra ciues coercitum lege decemuirali commercium; non vtique in deportatis locum habet, ad quos ita res ciuium peruentura

*e Plautus in Trucu-lento.*

XIII. (margin, beside "teſtamento, alterique alterum dare…")

XIV. (margin, beside "relinqui poteſt…")



erat

er at per fideicommiſſum, vt nec viuis, nec morientibus liceret eis à Fiſcò ab alienare, quæ tam magna portio eſt reipublicæ. Cuius conditionis deportatorum conſcij hi, quorum animus in egeſtate eorum cruciaretur, parentes puta, cognatiuè, hac ipsâ ratione deterrebantur, nè vltra ſummam
XV. alimentorum obnoxiis Fiſco hominibus quidquam relinquerent. *Mores* ergò & *ius publicum*, de Iure dixit, vt puto, moribus confirmato, nec contrariis abrogato. At quòd mutationem harum perſonarum fieri non debere ſubiunxit, propter ciuilia iura, & præſtationes, non quidem propter naturalia, & gentium, quæ manent mutatis etiam, ac diminutis capitibus, adnotauit. Sequitur in Reſcripto: *quod verò piè rogaſtis, liceat vobis vltimâ voluntate eis ad victum, & alios vſus neceſſarios ſufficientia relinquere, eiſque ex hac causâ relicta capere.* Si verum amamus; cur ſibi Antoninus imputat benignè id ſe indulgere, de quo impetrari opus non fuit Principalem indulgentiam? Planè deportationis pœnâ non dudum inuentâ refert Tacitus dictum à Tiberio in causâ Vibij Seueri, *iniquum eſſe vitæ vſum negare ei, cui vita conceditur*: & D. Pij reſcriptum pœnæ etiam ſeruos non excluſit à legato alimentorum, vt auctor Marcianus in l. III. §. I. De his quæ pro non ſcriptis habentur. Ad quod & Paulus reſpexit reſpondens annua alimenta relicta eum, cui damnatio contigit metalli, rectè cœpiſſe in loco pœnæ: l. XI. D. De alimentis legatis. Et ſanè plus eſt capere ſeruos poſſe id quod in alimenta relictum eſt; quàm deportatis legata, ſiue per fideicommiſſum relicta alimenta præſtari: nempè ſeruos, quorum non eſt alius Dominus, quàm pœna ipſa, non Fiſcus, non Cæſar. (vti ait Marcianus in dicta lege III. §. I.) qui capacitatem his tribuat. Deportatis namque obeſt quòd peregrini ſunt, deinde, vt interim id demus, quòd inuiſi ſunt propter delictum, & damnationem. At hi qui metallo traduntur, præterquàm quòd grauiori odio ſubierunt, cui capiendi ex teſtamento facultas maximè repugnat, & quidem ſeruitutis abſque Domino, à quo alias habet, vt capere alieno nomine ſeruus poſſit. Quare ergo id, quod in ſeruis pœnæ, Antonini cognomento Pij ætate, qui Antoninus reſcripto ſuo non tam ſancire rem de nouo, quàm confirmare, aut in memoriam reducere videtur, maximè vigebat, dubio nunc vertitur ſub Antonio Caracalla, in honeſtiore cauſa deportatorum?
XVI. Nam certè Caracalla hic eſt, cuius reſcriptum expendimus; ſi in commentariis Græcis eâdem notâ dignoſcendus venit hic Princeps, atque in Latinis Iuris auctoribus: qui quidem nunquàm non hunc intelligunt, Antoninum abſolutè nominantes. Conſideratio iſta non leuiter oppugnat reſcripti fidem, quod per Græcos tramites deriuatum vereor ne multum nos premere, aut ſollicitos reddere debeat.
XVII. Altero loco Vlpianus obtenditur: qui in §. I. huiuſmet legis VII. ſic ſcribit: *ſi Miles deportato fideicommiſſum reliquerit, verius eſt quod & Marcellus probat, capere eum poſſe.* Nam promptum eſt inde argumentari: ſi in eo fideicommiſſo quod miles ſcripſit, (cuius quidē liberrimum eſt arbitrium teſtamenti, vt quibus velit, relinquere poſſit *f.*) adhuc de capacitate deportati liquidò non conſtabat, temerè ipſum ad quodcumque relictum etiam non
XVIII. militis admittemus. Sed reſponderi poteſt, non ſemper, quò volumus, peruenire ex loco iſto, quem vocant *à maiori*, deſumpto argumento. Iuris auctores omnia tractarunt etiam nota, & comperta: & ſi extarent integri libri, quos peſſum Tribonianus dedit opere Digeſtorum edito, quid quæque verba ferrent veterum, quid magis, aut minus eſſet ex eorum ſententiâ, ac totus tenor diſputationis eorundem, atque argumentationis palàm haberetur. Nunc non multum exhibere debet negotij, quòd Marcellus ex eoque Vlpianus fideicommiſſis deportato relicti in teſtamento militis vires

*f* L. 5. C. de Teſtamento militis.

tractauerint. Quid namque ibidem ipſi, quid alio loco, in altero teſtamento, quod tam benignè non acciperetur, ſiue alius aliquis diſputauerit, aſſequi non datur. Planè quia lex ſeorſim quoſdam habuit, quibus quid relinquere, nec etiam militi permiſſum eſt, ſcilicet pœnæ ſeruos, vt videre eſt in l. XIII. §. II. D. De Teſtamento militis, non prorſus inutile fuit oſtendere diuerſum ius in his, quæ à milite deportatis relinquuntur, ſeruari placuiſſe.

Tandem expediamus nos ab Vlpiani aliâ regulâ, quam in fragmentis tradit g. Nempè *fideicommiſſa iis dari poſſe, quibus legari poteſt.* Ex contrario namque argumentum non multam vim habet: vt *fideicommiſſa non dentur, quibus legata non relinquuntur.* Nam præſtò eſt contradictio ab eâ exceptione: quòd Latini Iuniani fideicommiſſum capere poſſunt, qui legata non capiunt, Vlpiano ibidem loci h auctore: & confirmatum eſt ſuperiùs (quod Theophylus apertiſſimè docet) ea, quæ propter diuerſum ius ciuitatis modis ciuilibus relinqui non poterant, peregrinis hominibus per fideicommiſſum adſcribi conſueuiſſe. Præ his ecquidem non alia mihi adeò improbantur, vt ſuperbè cum Vulcatio ſe digito ridiculo illo Comicorum Poëtarum cenſore vſurpem rotundam illam iactantiam, XIX.

g Tit. de fideicom. §. 6.

h Eodem tit. §. 7.

*Vt contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat:*

Sed modeſtè, vt moris mei eſt, cum Venuſina illa Muſa, corrigere paratus:

*Sic placet: an melius quis habet ſuadere?*

## CAPVT VIGESIMVM.

### Deportatus relinquere fideicommiſſum non poteſt.

I. *Examinantur quædam traditiones Anteceſſoris Pinciani cuiuſdam.*

II. *Deportatus non tantum accipere fideicommiſſum, ſed & petere poteſt.*

III. *Quod ipſe Vlpianus ſatis innuit,*

IV. *Neceſſitas præſtationis eorum rerum, quæ Iuris naturalis, aut gentium ſunt, an veniat à Iure ciuili eas approbante.*

V. *Quædam cauſæ transformantur omninò in ciuiles, cùm à Iure ciuili approbantur; quædam non.*

VI. *Ex quibus vltimis fideicommiſſa ſunt.*

VII. *Fiſcus in fouendo Iura deportatorum, ſuo lucro fauet.*

VIII. *Quare deportatus fideicommiſſum, quod Iuris gentium eſt, relinquere nequeat.*

IX. *Expenditur ratio, quâ Vlpianus in re vtitur in l. I. §. Hi quibus. De legatis 3.*

X. *De codicillis deportati reſtituti; ad Vlpianum in eiuſdem l. I. §. I. & V.*

XI. *De fideicommiſſo ſine teſtamento, aut codicillis relicto Vlpianus loquitur.*

XII. *Quod rarum eſt, ſed non impoſſibile.*

XIII. *Differentia eorum quæ in teſtamento, aut codicillis, ab iis, quæ aliàs relinquuntur.*

MAnus iam de tabula, & ad vmbilicum vſque tractatum hunc perduxeramus, contenti maximè in quæſtione hac Deportatorum capacitatis I.

quærendi

quærendi ſibi fideicommiſſi, viam non ſatis expeditam quomodocumque complanaſſe; remque ſuperioris temporis Interpretibus arduam fortaſſe primi ad æquam, nec abnormem Iuris rationem deduxiſſe; cùm in *Paralipomena, & electa Iuris* incidimus laudati à me anteà Pinciani Anteceſſoris; quem hominem rumor diu ferebat noui quidquam ad Vlpiani reſponſum legis VII. de legatis tertio, deportatique capacitatem ſedulò meditari. Ex cuius lib. IV. non vna res nobis mantiſſæ loco ad ſuperiorem diſputationem producenda, & in examen vocanda eſt.

II. Primùm ſcilicet exigi oportet ad rationis trutinam ex huius libri capite vndecimo ſtricta illa, & diminuta capacitas deportatis tributa in cauſa fideicommiſſi. Verè dum priorem partem tranſirem, vbi capacitas hoc genus hominum fideicommiſſa capiendi ex teſtamento, tam ſtrenuè defenditur; verbis Plautinis,

*Onuſtum pectus portabam lætitia, lubentiaque.*

Reperto nuper, opportuneque tam alacri huius viæ inuiæ comite, ad quam non priùs aliquod auctoritatis veſtigium, ſed ipſa veritas ex aſperis, etiam, & confragoſis emicans ingenium noſtrum inuitauerat. Sed quàm tergo imminet lætitiæ mœror! Concepto priùs, admiſſoque intùs gaudio ſtatim decidimus, ex quo beneficium eximium deportatis à ſe hactenùs conceſſum adiecta poſteriore parte corrumpere, ſubuertereque Athanaſius voluit: quam inibi ab eo dictam his hominibus conditionem non credo ipſorum nomine accepturos, ſi in ſuperis eſſent, Iuris auctores. Probat ſcilicet Paralipomenon ſcriptor, capacem deportatum capiendi ex teſtamento fideicommiſſum fuiſſe: Sed ita capacem probat, vt accipere poſſit, ſi det hæres ſponte, non tamen petere ab eo, ſi nolit dare. Planeque exiſtimat fideicommiſſum adſcribi deportato, eidemque dari ab hærede rectè poſſe, quin Iuris gentium, vnde fideicommiſſum eſt, fines excedantur: attamen conueniri hæredem, cogique inuitum neceſſitate, quam creber vſus Fori moribus Romanis inuexit, non ſine intellectu Iuris ciuilis tranſigi poſſe: ſicut hæreditas matris. v. g. ex quo Senatuſconſultum Orphitianum factum eſt, non iam vt anteà fiebat, Iure naturali, ſed ciuili debetur, & petitur: pactumque Conſtitutæ pecuniæ, quia vires à Prætoris iuriſdictione accepit, inter ciuiles contractus numeratur. Hæc ille.

III. Sed nonnè in primis Vlpianus in hac noſtra lege diuerſum quid ſentire deprehenditur, cum ait: *Si deportati ſeruo fideicommiſſum fuerit adſcriptum, ad Fiſcum pertinere?* Vtique ſi non debetur, nec peti poteſt, quantumuis adſcriptum, reformari oportuit ſic ſcripturam: *Si deportati ſeruo fideicommiſſum fuerit adſcriptum, & præſtitum* &c. Cùm non ante ſpontaneam hæredis præſtationem ius Fiſci naſcatur: & vero ſimilius fuerit, hæredem non daturum deportato rem fideicommiſſo relictam, aut ſeruo deportati (ſiquidem voluntatis fuit dare) nè eam Fiſcalium rationum iugo, & iuri ſubmitteret: quinimò clàm, & tacitè fidem ſuam, ſiue alimentorum, ſiue alio nomine, ſpecieque approbaturum deportato, quin Fiſcus fraudari ſe cognoſceret, aut quæri poſſet: cùm in primis liceat hæredi non præſtare hoc relictum; nec minùs liceat deportatum alimentis, ſeu viatico tueri, atque exhibere.

IV. Deinde non multùm promouet illa ratio, neceſſitatem præſtationis à Iure ciuili eſſe, cuius verè partem mores faciunt *a*. Ecce enim alimenta perpetuum naturalis Iuris intellectum, & conditionem acceperunt: ſi quidem metallo etiam addictis, hoc eſt ſeruis, relinqui non minùs teſtamento, ac præſtari poſſunt: quod ex Marciano, & Paulo notum iam alio loco fecimus. Quis autem ſanus dixerit, alimenta, quia iſtius Iuris ſunt, peti non poſſe? cum verè præſtandi hæc neceſſitas, non alio, quàm ad ciuile Ius, &

*a* §. *Conſtat Inſt. De Iure nat. &c.*

leges referenda ſit; quarum legum mentionem fecit ipſe Iuſtinianus in lau-
datâ iam alibi à nobis l. vltima §.5. C. De Bonis quæ liberis &c. Sed ex pri-
uilegio dices, hoc placuiſſe in alimentis; quemadmodùm ex priuilegio mili-
tari hoc etiam placuiſſe annotat ipſe quem laudamus, Paralipomenon Scri-
ptor; ne ideò remoueatur à iudicio militis deportatus, quòd illius teſtamen-
to ciuile ius vires, & poteſtatem tribuat. Quare tamen in cenſum non refe-
ras earum rerum, quæ priuilegiis fouentur, fideicommiſſa, hoc ipſum eſt,
quod approbari omninò debet. Planè immenſum diſtant petitio hæredi- V.
tatis maternæ ex Orphitiano, pecuniæque conſtitutæ, ſimiliumque ex au-
ctoritate Prætoris, ab relicti fideicommiſſi petitione, quam mores inuexe-
runt. Priores illæ ex integro factæ ſunt ciuilis Iuris, ex quo ſiue Senatus de-
creto, ſiue Prætoris edicto ſuſtentari cœperunt: nec ſapiunt vel in mini-
mo iam naturalis iuris licentiam, & libertatem; ſed formulis legum, regu-
liſque cenſentur: quare legitimæ hæreditates audiunt in l.1. §.IV. & inte-
gro tit D. Ad S.C. Tertyllianum: capitis minutione perimuntur l.1. §.VIII.
D. eodem tit. At fideicommiſſa non lata lex, non Senatuſconſultum, non VI.
Prætoris edictum confirmauit; ſed quæ naturali obſeruatione, arbitrioque
dumtaxat rogati hæredis reputabantur, primus Auguſtus non in vniuerſum,
ſed ſemel, atque iterum gratiâ perſonarum motus, Conſulibus auctor fuit,
vt præſtari iuberent *b*: quod vtique licet conuerſum ſit paulatim, quia po-
pulare, & iuſtum fuit, *in aſſiduam iuriſdictionem* (hoc eſt conformantibus ad
Auguſti exemplum decreta ſua in adiuuandis fideicommiſſis ſequentis
temporis Magiſtratibus) Prætorque proprius, qui de his ius diceret, crea-
retur; planè ſiue fauore hoc placuit manifeſto (quem huius rei magnum
factum eſſe Iuſtinianus ipſe non diſſimulauit *c*) ſiue conniuentiâ quadam Iu-
ris ciuilis, illibata, intactaque omninò manſit antiqua conditio, & licentia
fideicommiſſorum; vt etiam Iure ſuo Gentium omnium peti, atque exigi
per ciuilem Magiſtratum poſſent. Sed non quemuis Magiſtratum; cùm
Prætor ſuus eſſet fideicommiſſis, fortaſſe ad id creatus; vt promiſcuo ſcili-
cet iuri præeſſet: eaque etiam deportatis, & quibuſlibet peregrinis repræ-
ſentari faceret: pariter atque is, qui inter ciues, & peregrinos ius redde-
bat, Prætor, Iuris gentium actiones peregrinorum hominum, quibus hi ci-
ues Romanos conueniebant, expedire, atque ad exitum perducere conſue-
uit. Et vides priuilegia Iuris gentium omnia minimè abrogata eſſe fidei-
commiſſis: quorum priuilegiorum nè minimum quidem legitimæ illæ hæ-
reditates, & contractus, qui ad exemplum ciuilis neceſſitatis adduceban-
tur, poſt adiunctam Iuris auctoritatem conſeruauerunt. Quæ igitur ad ſe
tranſtulit Ius ciuile regulis ſuis per omnia conformauit: quæ vero ſuæ cu-
iuſque rei naturæ, atque origini, gentiumque circa ipſam legi fauorabiliter
reliquit, hæc extra regulas, neceſſitatem, ac fines ſibi præſcriptos in om-
nibus habuit. Quod in fideicommiſſis innuere videtur Vlpianus, tot annis
poſt illorum confirmationem ſcribens: titulo XXV. Fragmentorum. *Fideicom-
miſſum non ex rigore Iuris proficiſcitur, ſed ex relinquentis voluntate.*

Repeto; quòd Fiſcus in deportatorum ſaltem fideicommiſſis; quæ lu- VII.
cro ipſius tandem ceſſura erant, committere non debuit, vt denegatâ his
petendi facultate, atque hæredem cogendi, commodo ipſe ſuo refragare-
tur, obſtaretque. Manet ergo veroſimilius eſſe, ſi quidem nulla in contra-
rium valdè vrget ratio, capacem deportatum non fruſtrà, ſed cum effectu,
& ſub tutela ciuilium Poteſtatum fuiſſe: quod ſuperioribus capitibus in
matrimonio, atque item in actionibus deportatorum ſemel & iterum con-
firmauimus.

Sed cùm in aſſerendâ fideicommiſſorum hac iuris gentium conditione VIII.

b *Princip. Inſtit. de fideic. hæred. & de Codicillis.*

c *d. principio de fideic. hæred.*

d Cap. 19 hoc libro. perpetuâ nunc verſemur: priuſquam diſcedamus, propellendum nobis eſt recidiua opera, de quo iam alibi *d* ſollicitabamur, natum ab Vlpiani quodam reſponſo argumentum aduersùs fideicommiſſi memoratam conditionem. Si nempè Iuris gentium eſt fideicommiſſum, atque ea, quæ huius propria ſunt, perpetuò habet, exercetque deportatus; planè hic fideicommiſſum relinquere non prohibebitur, æquè vt capere non prohibetur. Sed in promptu eſt differentia, nullo iure impediri vt capiat; impediri Iure ciuili, vt relinquat: quoniam bonis in exilio quæſitis imminet poſterior publicatio; nec habiturus eſt vſquàm deportatus alium hæredem, quàm Fiſcum in ſolidâ hæreditate. At eſto quidem, ſi eâ ratione auctores noſtri vtuntur.

IX. Vlpiani verba. In l. 1. §. Hi quibus. De legatis 3. *Fideicommiſſum relinquere non poſſunt, quia nec teſtamenti faciendi ius habent, cum ſint ἀπόλιδες id eſt extorres.* Imò potiùs, quia bonis omnibus ſpoliati ſunt, nihilque habent relinquere. Hæc propria, & germana ratio; non illa Vlpiani: aut fruſtrà poſitum eſt fideicommiſſa regulis gentium Iura citra ciuilis captum cenſeri, adſcribi, præſtari. Vt reſpondeam, repeto quod alibi placet: nam amplecti opus non eſt eam differentiam fideicommiſſorum Iuris ciuilis, & Iuris gentium, quam ſibi huic modo, & aliis ſoluendis præſumpſit vir doctus. Propoſitum fuit Vlpiani, vt confirmaret pluribus exemplis eam regulam, *cui teſtandi ius non eſſet, nec fideicommittendi eſſe:* hoc eſt, nec fideicommiſſum quidem ex eo teſtamento valere, quod is fecit qui ius faciendi non habebat. Primum exemplum in eo, qui incertus eſt ſuæ conditionis: Planè is facto teſtamento, nec in fideicommiſſorum deſtinatione, quæ tam magnum fauorem continent, voluntatem ſuam ratam haberi ſentiet. Secundum in filiofamilias, & ſeruo: fideicommiſſa nempè hos fruſtra relinquere, quia nec teſtamenta ipſorum valent. Tertium in deportatis, ſeu priſci temporis Interdictis: non ſcilicet his licere fideicommiſſum relinquere, nempè teſtamento: de quo perpetuus eſt ei ſermonis tenor: *quia nec teſtamenti faciendi ius habent, cum ſint ἀπόλιδες.* Tria hæc exempla ſuperiori regulæ confirmandæ ſunt propoſita; deque fideicommiſſis in teſtamento relictis omnino accipienda. Ea propter cum in filiofam. & ſeruo diſputare vellet Vlpianus, fideicommiſſum nè ab his relictum, qui ipſi deinde iam manumiſſi deceſſerunt cum eadem voluntate, ratum ſit; poſtquam reſpondit ratum eſſe quaſi nunc, non olim datum; illicò ſe ad confirmationes regulæ, ſibi præcipuè, quaſi aliud interim egiſſet, reducit per hæc verba: *Hæc vtique nemo credet in teſtamentis nos eſſe probaturos; quia nihil in teſtamento valet, quotiens ipſum teſtamentum non valet: ſed ſi aliàs fideicommiſſum quis reliquerit.* Manet ergo ex Vlpiani ratiocinatione, vt ita dicam fideicommiſſum, quod deportatus facto teſtamento reliquiſſet, irritum eſſe: quia deportatus ius teſtamenti non habet; & quotiens teſtamentum non valet, nihil ex ipſo valet. Hæc ad rem idonea ratio eſt: ſed & alia non minùs idonea eſt, quam non omiſit, ſed loco ſuo remiſit Vlpianus iſtius partis impropriam: quoniam ſcilicet impendentis ſecundæ publicationis hic eſt effectus, ne quid deportatus, vel etiam fideicommiſſo, in fraudem Fiſci alienare poſſit.

X. Sed quia commendatur valdè nobis ab eodem auctore Paralipomenon interpretatio quædam ad Vlpiani ſequentia verba in §. v. eiuſdem legis; a-geſis, videamus, an alia via tutior, & planior eligenda à nobis ſit. Hæc verba ſunt, & intertexta iis noſtra paraphraſis. *Si quis planè in Inſulam deportatus codicillos ibi fecerit*: (quod minimè poterat: nam codicillorum, & teſtamenti factio eiuſdemmet Iuris eſt *e*) *& Indulgentiâ Imperatoris reſtitutus iiſdem codicillis durantibus,* hoc eſt facto ipſo extantibus, nec per aliam voluntatem re ipſa abrogatis, & reſciſſis, *deceſſerit*, *poteſt defendi fideicommiſſum valere.*

e L. 6. §. 3. l. 8. §. 1. l. 11. D. De Iure Codicillorum.

Idem

Idem probauerat prius, in ſimili cauſâ; nec alia ſententia eſt, licet verba alia
ſint in §. I. huius legis. *Si filiusfamilias, vel ſeruus fideicommiſſum reliquerit, non
valent: Si tamen manumiſſi deceſſiſſe proponantur, conſtanter dicemus fideicommiſ-
ſum relictum, quaſi nunc datum, cum mors ei contingit, videlicet ſi durauerit vo-
luntas poſt manumiſſionem.* Iniurioſi ſunt diſertiſſimo Vlpiano qui non vident
alio, & alio modo eandem rem intimari poſſe. Nec tamen diffiteor aliqua-
lis differentiæ indicium vtriuſque exempli ex eo deprehendi, quòd in fi-
lio familias, ſeruoque *Conſtanter affirmatur f*, (nam ita Vlpianus loquitur) f *In d. §. I.*
quod in deportato ſubdubitanter *g* dicitur *defendi poſſe.* Planè ſi attendi- g *In d. §. 5.*
mus, alterum eſt de fideicommiſſo relicto, alterum de codicillis factis. Vt
res plana fiat, tribus modis omninò relinqui poteſt fideicommiſſum; ſcili-
cet teſtamento, vel codicillis ſine teſtamento, vel denique ipſum per ſe
abſque vlla Iuris ciuilis ſolemnitate. Quod in teſtamento relinquitur, ſi
teſtamentum ipſo iure nullum fuit, nullo tempore, aut voluntatis indicio
ſuſtinetur. Hæc Vlpiani mens illis verbis, quæ priùs laudata ſunt: *Hæc vti-* h *De quo*
*que nemo credet in teſtamentis nos eſſe probaturos* (malè in Archetypo Florenti- *l. I. Emmé-*
no, quem vidit Antonius Auguſtinus *h*, *non eſſe* quæ nihili negatio eſt) *quia* *dationum*
*nihil in teſtamento valet; quotiens ipſum teſtamentum non valet.* Sed infit, tunc *c. 2.*
nempè fideicommiſſum videri relictum eadem manente voluntate, ſi fi- XI.
liusfam. vel ſeruus *aliàs fideicommiſſum* reliquerunt. Quid eſt *aliàs*? Vtique
extra teſtamentum. An in Codicillis ſine teſtamento? Non puto, ſed nu-
dè, & ſimpliciter. Porrò valdè intereſt, vtrum in Codicillis adſcribatur fi-
deicommiſſum, an ſine Codicillis. De eo quod relinquitur in Codicillis,
non tam certa res eſt, confirmatum, ſiue tunc relictum videri, cum is qui
olim fruſtrà reliquiſſet, non mutata voluntate ſui iuris conſtitutus mori-
tur. Nam ecce in deportato qui *Codicillos fecit* in inſulâ *fideicommiſſum* in his
relictum *valere* ait Vlpianus, *defendi poſſe, ſi modo in eadem voluntate durauit.*
Ambigua res, ſed tamen in fauorem inclinat. Vnde compertiſſimum fit
non de huius generis fideicommiſſo, quod relinquitur in Codicillis, Vlpia-
num loquutum in ſuperiore §. I. ſiquidem vtitur his verbis, *conſtanter dice-
mus*, quæ certum animi iudicium indubiè ſignificant.

Planè relinqui fideicommiſſum poſſe quin Codicilli facti videantur, il- XII.
lud ſuadet, quòd vt Codicillos intelligamus factos, debet quid eo propoſito
eſſe, vt Codicillos facere velit. Non quidquid temerè, & ſine ſolemnitate
iuris relinquitur, quaſi ex Codicillis valet, l. I. D. De Iure Codicillorum, l. XI.
§. I. De legatis 3. Certus enim animi quiſque eſſe debet, ne fruſtra ſit. Quid
ſi Codicillo nolit facere, ſed certus iuris ſui hoc non eſſe, qui alieno iuri ſub-
iectus eſt, puta filiusfamilias, eum qui ſibi proximus eſt in parentis ſucceſ-
ſione, aut ſeruus Dominum roget illam rem Titio, v. g. dare? Hoc ſanè fi-
deicommiſſum ſine Codicillis relictum ab eo videbitur, qui de Codicillis
non cogitauit. Non rectè quidem relictum: cum nihil habuerint in Domi-
nio ſuo, qui ſui iuris nō erant, quod alteri relinquerent. Deinde quia fruſtrà
reſtitui rem ab eo deſiderauerint, cui non tantundem de ſuo priùs, ſecun-
dum Iuris regulam *i*, infudiſſent. Sed tamen ſi manumittantur, hoc eſt ſuæ i *§. I. Inſt.*
poteſtatis fiant, & morientes hæredem eum hominem habeant, quem olim *de ſingulis*
fruſtra rogauerant, relictum conualeſcere, quaſi nunc datum, cum in ea- *rebus per fi-*
dem voluntate moriuntur, conſtantèr docet Vlpianus. Nec diſſimulo rarum *deic rel.*
hoc, aut potiùs inuiſum in Iure videri, vt fideicommiſſum non ex teſtamen-
to, non ex Codicillis relinquatur. Maximè cum ex vſu omnes Codicillis ad-
ſcribere ſiquidem licuit, quæ fideicommiſſo præſtari vellent conſueuerint.
Sed naturam ipſam cuiuſcumque rei conſiderantibus, veroſimile fit quan-
doque factum fuiſſe quod fieri potuit: vti de eo credendum, qui Iure ciuili

 prohibitus

prohibitus rem non ſuam ſiue teſtamento, ſiue Codicillis alij adſcribere, Ius gentium ſequutus, quod fideicommiſſa tuetur, quo modo potuit, voluntatem ſuam erga fideicommiſſarium ſignificauit.

XIII. Sed cur relictum teſtamento fideicommiſſum non vllâ manentis in eodem propoſito voluntatis ſignificatione validum redditur? Et cur eius fideicommiſſi, quod in Codicillis adſcriptum fuit, atque eius quod ſine Codicillis deſtinatum, adeò eſt alia, & alia conditio, vt in prioris confirmatione non illâ vtatur Vlpianus, quâ in poſterioris vtitur, conſtanti adſeueratione? Planè in teſtamentis, quæ propter conditionem hominis iniuſta, ſiue nulla ſunt à principio, adeò regulæ Iuris ſtricti ſeruantur, vt nullo tractu temporis, aut voluntatis indicio conualeſcant l. XXIX. l. CCI. l. CCX. De Regulis Iuris l. I. D. De Regula Catoniana. quod quidem aliter placuit benignitatis inſtante ratione in ruptis, aut irritis factis, ſiue alia de causâ iniuſtis, quæ ex teſtantis perſonâ non eſſet l. XVII. D. De Iniuſto, rupto &c. §. Non tamen v. Inſtitutionum. Quibus modis teſtamenta infirmant. Codicilli fauore inducti plus benignitatis, atque æquitatis, quàm teſtamenta, ſortiuntur. Sed tamen Iure Ciuili recepti, & probati hoc ſcilicet Iure cenſentur. Ideò toties valent, quoties ab eo, qui teſtamentum facere poteſt, confecti proponuntur, vt Paulus docet in l. Conficiuntur VIII. §. II. D. De Iure Codicillorum: & vicem teſtamenti exhibent, vt in l. XVI. De eodem tit. Nil ergò mirum eſt, ſi Codicilli à deportato facti, quia iniuſti, & nulli ſunt à principio, nec vllo tractu temporis, aut mutatione ſtatus valeant; neque item in his relicta, ſi ius ſtrictum ſequimur. Argumento ex l. XXIII. l. XXIX. C. De Fideicommiſſis. hac lege I. §. I. Sequuntur enim partes conditionem totius rei l. CXIII. De Reg. Iuris. Sed tamen fauorabiliter defendi poſſe aiebat Vlpianus fideicommiſſa tali modo ſcripta, ſi duret eadem poſt reſtitutionem decedentis voluntas deberi, quaſi nunc data. Cæterum in nudo fideicommiſſo quod neque teſtamento, neque Codicillis relinquitur, & ipſum eſt Iuris gentium, hactenùs vires ſunt Iuris ciuilis, non vt omninò irritet, ſed ne obſtante illo ſubiectionis vinculo filius poſſit quidquam alienare, aut quaſi ſuum relinquere. Fruſtra fuit alienando, quod Iure ciuili prohibebatur alienare: ſed cùm primùm dare poteſt, ſoluiturque illud ciuile vincucum, redit æquo iure prior voluntas, quam à principio ipſo ius gentium ſuſtentabat: nec ciuile interim irritauit, ſed quominus ad exitum perduceretur, ſaltem inhibuit. Codicilli, res Iuris ciuilis, prohibitionibus ciuilibus omninò ſubuertuntur: quæ Iuris gentium ſunt, etiam legibus contraria, quodammodo valent, quamquàm ſine effectu, quem impediunt leges. Hæc ratio eſt tam diuerſi ſermonis ab Vlpiano vſurpati. Qui legis, ſi minùs hæc placuerint, fac ſpongiæ incumbant. Nos finem huic parti fecimus.

CAPVT

# CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

## Exponitur Ciceronis locus de Syllana proſcriptione & iure proſcriptorum capiendi ex teſtamento.

I. *Ad proſcriptos Syllano edicto pertinere non potuit indulgentia hæc fideicommiſſorum.*

II. *Ciceronis locus de hac re producitur ex* I. *Actione contra Verrem.*

III. *Omnia Syllæ acta Cornelia lex rata eſſe iuſſit.*

IV. *Ironia Ciceronis.*

V. *Noluit Verres poſſeſſionem dare liberto hæredi, qui iurauerat ſe proſcriptum teſtatoris fratrem iuuaturum.*

VI. *Iurare quidam homines vſque ad ſuperſtitionem verentur.*

VII. *Reprehenditur factum Verris inciuile.*

VIII. *Ad violationem quarundam duriorum legum conniuere ſolent Magiſtratus.*

IX. *De Tacito fideicommiſſo à ſeruo, aut filiofamilias præſtando.*

ATtamen è re noſtrâ erit ſcire benignitate iſtâ fideicommiſſorum his vti non licuiſse, quos tabulæ illæ proſcriptionum Syllana, & Triumuiralis, non tantum commercio legum, ſed etiam vitæ, naturæque, atque iuribus certis aliàs, & ſolennibus damnatorum prohibitos vellent. Nempè ſcriptum fuit in priore Syllæ proſcriptione, quominùs antiquo, & noto more perferendi ad peregrinos homines ciuium bona tueri ſe fideicommiſſa relicta poſſent, ne quis impunè proſcriptum iuuaret. Nota ſeries eſt, & concepta crudelis edicti forma ex Plutarchi Sylla, & Appiani bellorum ciuilium commentariis. Sed rem pulchrè admodùm confirmat Ciceronis locus alioqui obſcuræ ſententiæ, & propter meritum ſuum capite hoc explanandus. In actionibus contra Verrem prior illa, quæ de Præturâ vrbanâ eiuſdem vulgò inſcribitur, factum hoc, inter alia reprehendit hominis inciuile atque improbum. *Publius Trebonius quidam* (verba Tullij ſunt) *viros bonos, & honeſtos complures fecit hæredes: in his fecit ſuum libertum. Is A. Treboniumfratrem habuerat proſcriptum. Et cum cautum vellet, ſcripſit, vt hæredes iurarent ſe curaturos, vt ex ſuâ cuiuſque parte nè minùs dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proſcriptum perueniret.* Hucuſque mandatum teſtatoris. Adiungit, quod deinde factum, Tullius. *Libertus iurat: cæteri hæredes adeunt ad Verrem: docent non oportere ſe iurare; facturos eſſe quod contra legem Corneliam eſſet, quæ proſcriptum iuuari vetat. Impetrant, vt nè iurent. Dat his poſſeſſionem. Id ego non reprehendo: etenim erat iniquum homini proſcripto, egenti de fraternis bonis quidquam dari. Et ille libertus, niſi ex teſtamento patroni iuraſſet, ſcelus ſe facturum arbitrabatur.* Lex Cornelia hæc eſt l. Syllæ: ſiue Valeria; quâ L. Valerius Flaccus Interex de eo tulit, vt omnia eius acta rata eſſent: quæ fideicommiſſi quidem Trebonio huic proſcripto relicta præſtationem viſa eſt inhibere. Huius quidem legis cum iterum meminiſſet pro Roſcio Amerino agens, incurioſus videri voluit ex compoſito, atque imperitus (quod minimè aliàs decuit ſummum Oratorem, & ciuem de re præſertim ſuæ ætatis) illius ſanctionis, quam iniuſte, ac per vim latam nouerat. Quod obſeruat in huius mentione legis maximus vir Antonius Auguſtinus *a*. Probat quidem

(Marginal numbers: I. beside "Attamen"; II. beside "ciuilium commentariis"; III. beside "Lex Cornelia".)

*a Libro de legibus.*



dem

dem Cicero aut potiùs non reprehendit palàm, quòd Verres Prætor ius hæredibus iurandum remiſerat. Non enim alio modo iniuriam fuit ſcriptæ
IV. legi, viuente adhuc Syllæ factione in Republica, contradicere. Sed profe-
b Ironiam. ctò εἰρωνείαν b continent, latentemque reprehenſionem, aut inepta ſunt iſta: *Id ego non reprehendo; etenim erat iniquum homini proſcripto, egenti de fraternis bonis quidquam dari.* Quo is conſilio, cùm iniquitatis damnare aliàs hæredes vellet, ſi dicto teſtatoris audientes fuiſſent, egeſtatem proſcripti, bonaque fraterna exprimere, ingerereque opus ſibi eſſe exiſtimauit? Certè, vt adductis in medium, quæ miſerationis, & æquitatis rationem præſeferrent, legis odium, Verrinique facti inuidiam Iudicibus commoueret, verbiſque ipſis indicaret, velle ſe per contrarium, quod conaretur, oſtendere: quod quidem Donato eſt, filiiſque Grammaticorum εἰρωνείαν committere. Debuit aſſumere id tantum (ſimpliciter, vt loqueretur) Tullius Cicero, iniquum nempè eſſe homini proſcripto quidquam dari: neutiquàm, quòd egenti, & ex bonis fraternis. Sed quia lex aduerſabatur animi ſui propoſito factum Verris clàm, & artificioſè culpat, non reprehendit apertè; quòd ſcilicet hæredibus ſibi remitti iuriſiurandum poſtulantibus, vt morigerum ſe Corneliæ legi præberet, iniuratis poſſeſſionem is conceſſerat.

V. At libertus ex obſequij religione iurauerat. Quid Verres de liberto? *Itaque* (infit Cicero) *poſſeſſionem hæreditatis negat ſe daturum, ne poſſet patronum ſuum proſcriptum iuuare: ſimul vt eſſet pœna, quòd alterius patroni teſtamento obtemperaſſet.* Patronus vterque dicitur frater, naturæ nomine, non leges: etiam is qui in deportatione eſſet: vel quod communem ſeruum manumiſerant, vel quia patroni frater erat A. Trebonius proſcriptus, ad quem volebat patronus rem ſuam per liberti obſequium peruenire. Hæc omnia latens ingenium continent orationis. Iam Cicero, vt vidimus, priore loco iure factum admittit quod in aliis hæredibus placuiſſet. *Das poſſeſſionem* (inquit) *ei, qui non iurauit. Concedo: Prætorium eſt.* Improbè factum ſciebat à Prætore, ſed tamen ſub ſpecie honeſti, & legitimi dare debuit poſſeſſionem ſcriptis hæredibus. At illi opportunè impetrauerunt abſque eo quod
VI. iurarent, vt daretur ſibi bonorum poſſeſſio. Potuit ſanè iſta remiſſio peti, non tam conſilio fraudandi proſcriptum, quàm quia vererentur iurare; vt ſolent homines diuini numinis vſque ad ſuperſtitionem timidi eſſe, quod ait Vlpianus in l. VIII. D. De condit. Inſtitutionum: fidem ſuam ipſi, quæ ſine iureiurando *tacitum* etiam *eſt ſub pectore numen* vt Poëta inquit, repræſentatâ portione fideicommiſſa Trebonio approbaturi. Cum & Clinias Pithagoreus, nè id quidem quod certum fuit, iuraret, mulctam trium talentorum ſibi inferri paſſus ſit; vt ex Græcis antiquioribus refert D. Baſilius Homilia de libris gentilium legendis. Nam remittit non minùs Prætor iuſiurandum id, quod non eſt aduersùs leges, exceptâ dumtaxat libertatum causâ l. XX. De Condit. & demonſtrationibus l. VIII. De Condit. Inſtitutionum: l. XII. in principio l. XXXVI. De manumiſſis teſtamento l. XIII. §. III. De ſtatu liberis: quod eos ſubſequi, quorum cognitio de fideicommiſſis eſt, oportere Vlpianus docet in eâdem l. VIII. De conditionibus inſtitutionum. Prætorium ergò eſt poſſeſſionem dare; atque ita dare, vt & iuſiurandum remittat, quod inſuper eſt contra legem ſcriptam: quemadmodùm & conditionem remittit in l. VII. De conditionibus inſtitutionum.

VII. Sed infit. *Adimis tu ei qui iurauit. Quo exemplo?* Fauitque quaſi ex aduerſo dici: *proſcriptum iuuat*: hoc eſt adiuturus eſt, qui ſe religione obſtrinxerat, vt iuuaret. Tunc Cicero. *Lex eſt, pœna eſt*: pœna ſcilicet legis, quâ is punitur, qui legis præceptum contempſit: *Quid ad eum qui ius dicit?* Non debuit Iudex conſcientiam ſuam emiſſi à liberto ſacramenti adferre ad tribunal;

bunal; ſed petenti bonorum poſſeſſionem ex edicto quòd ſcriptus eſſet, iuxta l. II. §. Defertur D. De bonorum poſſeſſione ſecundùm tabulas, ſine vlla cognitione ac præiudicio dare. Edictalium poſſeſſionum cauſa, locuſque certus eſt in Edicto, quare ordinariæ appellantur, paſſimque, ac de plano dantur, nec requirunt tribunal, aut cauſæ cognitionem l. III. §. vltimo D. De Carboniano edicto, l. II. §. Dies. D. Quis ordo in bonor. poſſeſs. ſeru. Partes Prætoris hactenùs ſunt, vt cui æquum eſt præſtari ex edicto, auctoritatem huic præſtet rem perſequendi ſine lite, & iudicio; licet non ſine aliquà ſolennitate: quam demùm Conſtantius Imperator conceſſis cuilibet Iudicum Prætoris partibus abrogauit in l. vltima C. qui admitti ad bonor. poſſeſſionem &c. Hoc ergò Prætorium non fuit, quòd factum aliàs ſciret, non interpellatus ſibi prætendere, vt negaret poſſeſſionem liberto. Quid enim ſi falsò allatum fuiſſet libertum iuraſſe? Quid ſi vel iuratum pœniteat, nec fideicommiſſum velit præſtare? Vides vt finibus ſuis determinentur hîc à Cicerone, circumſcribanturque vices, & officium Prætoris! Inſuper quo artificio ſignificet æquiſſimum eſſe ad iniuſtæ, ſæuiſſimæque legis dictata conniuere Magiſtratus, ſummumque ius non ſine ſummâ iniuriâ (quod in ore eſt omnium) exerceri: cùm de iuſtis etiam legibus, vtiliterque adinuentis pulcherrimum ſic Catonis illud. VIII.

*Ipſæ etiam leges cupiunt, vt iure regantur.*

Iure ſcilicet æquitatis, atque honeſtatis. Quò palàm verbiſque diſertis non decuit pertingere Romanum Oratorem, nè in foro, iudicioque nondum abrogatam legem priuatâ auctoritate taxaret, artibus Oratoriis ſe ſiſtit; ac per interrogationes Iudicum elicit, atque inuitat aſſenſum; vt factum Verris non inciuile tantùm, ſed inhumanum quoque, & improbum auerſentur, quo is præpoſterâ ſuperſtitione legis obſequio ſe totum addixerat. Quare rogat Caium Verrem apertiùs iam redarguens: *Vtrùm reprehendis quòd patronum iuuabat eum, qui tunc in miſeriis erat; an quòd alterius patroni mortui voluntatem conſeruabat, à quo ſummum beneficium acceperat?* Hæc Ciceronis ſententia eſt. Cuius hæc vltima verba, legibus ipſis præualere obſequium libertorum debere, palàm oſtendunt: Quod in ſeruili ſtatu ſine controuerſiâ eſt ex Papiniani teſtimonio in l. XIII. D. Ad leg. Falcidiam. *Si tacitum fideicommiſſum ſeruus* (ait) *iniungente Domino ſuſceperit, habiturum eum legis Falcidiæ beneficium, quia parere Domino debuit, conſtitutum eſt: idemq. placuit in filio, qui fuit in patris poteſtate.* Ex his omnibus per contrarium fit; ſi lex non impediuiſſet fideicommiſſi præſtationem, prohibitis qualicumque ciuium auxilio, & iuuamine proſcriptis hominibus quod à Sylla factum, verè is qui damnatus extra vrbem, iuraque vrbis, iret in exilij locum, iure iſto, ac benignitate fideicommiſſorum non prohiberetur. IX.

CAPVT

# CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

## De diſtributione bonorum damnati ſeu deportati ante Iuſtinianum.

I. *Propter genus & maiores relicta non ſemel pars bonorum.*

II. *Taciti locus corruptus veroſimili aſſeritur lectioni.*

III. *Liberis non ſemel pars bonorum damnati parentis indulgenter ſeruata.*

IV. *Quandoque & bona omnia.*

V. *Non enim Iure naturali hæc eis debentur.*

VI. *Reſcriptum Hadriani in l.* VII. *De bonis damnatorum diſpunctione rectâ, & ſenſu donatur.*

VII. *Quinam ex filiis hac digni indulgentia?*

VIII. *Frequenter dimidia pars bonorum iis relinquebatur.*

IX. *De bonis matris deportatæ an pars filiis reſeruari ſolita?*

X. *Sanctio Conſtantini de filiis, & aliis ſucceſſoribus deportati decurionis.*

XI. *Generalis alia Conſtantij, & Iuliani omnia bona conceſſit damnatorum generi vſque ad tertium gradum.*

XII. *Quam paulò poſt ipſi abrogauerunt.*

XIII. *Valentinianus, & Valens integra etiam bona proli conceſſerunt.*

XIV. *Valentiniana lex Gratiani Valentiniani & Theodoſij de diſtributione bonorum damnati.*

XV. *Theodoſij & Valentiniani alia de bonis Decurionis damnati.*

REgulam ab Alpheno accepimus perpetuæ obſeruationis; vt bona, quæ non à parente eſſent, damnatione iſtius minimè filiis auferrentur; Exceptiones alias benignitate Reſcriptorum priùs inductas humanitatis lex in dies promouit; ac per gradus iuri ſummo, ac ſeuero damnatorum ſucceſſio-
I. nis, probato quidquid magis æquum eſſet natura, penitùs derogauit. In primis damnati genus, vt honoris aliquam ſpeciem claris maioribus haberent, moderato publicationis tenore non ſemel Principes reueriti ſunt. Siue quod viris conſpicuis, & nobilibus affatim pœnarum eſſet ab ignominiâ damnationis. Accij verſus a pertinet, reſtitutus ſic à Dionyſio Gotofredo,

*Nam is demum miſer eſt, cuius nobilitat miſerias nobilitas.*

a *Apud Nonium in* Nobilis.

Et videtur quidem Taciti locus confirmare id quod priore loco dicimus indulgeri claritati natalium in filiis damnatorum conſueuiſſe: niſi quòd
II. plagam verbo accepit, vnde prauo malê talo incedit ſententia. *Eadem de Sylano cæteri cenſuerunt*: (ait) *niſi quòd Cn. Lentulus ſeparanda Silani materna bona (quippe alia parente geniti) reddendaque filio dixit annuente Tiberio.* Quæ in parentheſim, tamquam ratio eſſet Lentulijſententiæ, coniecit ſcriptor, partim vt deſperatæ ſanitatis prætermittunt illius enarratores, partim frigidè exponunt. Et neſcio quid diſtinguit Claudius Pichena; quod non magis venit in mentem Tacito, quàm poſſe aliquando ſe tam incongruè explanari. Lipſius non reperit, vbi pedem figeret; ſed tamen ſubodoratus fuit, ideò ſeparari placuiſſe portionem Sillani maternam, quòd ad Auguſtum pertineret

neret ſanguine illius mater; filioque damnati propter honorem auiæ conſignandam. Quod Belgæ ſagaciſſimi iudicium vulſit Nouiorum eo Interpretum aures vt fœminæ cuiuſdam primæ nobilitatis, vnde Auguſtalis ſanguis, ſiue alius primæ notæ in Sillanum deriuaretur, nomen inde aufugiſſe ac reuocandum exiſtimarent. Hugo Grotius ſibi placuit in *Mallia*; quippe huius familiæ fuiſſe matrem Sillani hoc ſuadet, quod mox ſcribitur; *Sororem Sillani Torquatam* &c. idque perpetuum Manliæ gentis cognomen: & confirmat ille multis exemplis conſueuiſſe olim fœminas materno appellari nomine, præſertim ſi latus id generis illuſtrius. Nuper Ioannes Freinshemius proxime ad Grotianam coniecturam, ſed tamen alterius familiæ prælato nomine pro *alia*, reponit *Iulia*: quo nempè confirmetur materno genere Sillanum Iuliæ gentis propinquitate cenſeri. Iunia fuit familia nobiliſſima, & antiquiſſima, in qua natus fuit hic Caius Sillanus; nec indigna Principum affinitate: nam & Marcum quendam Sillanum neptis Auguſti nepotem obtinuiſſe Aſiam Proconſule, Plinius refert lib. VII. Hiſt. cap. XIII. Aliis aliter infixum eſt. Nos alia exempla proferamus non abſimilis indulgentiæ. De Lepida interdictâ idem Tacitus inquit in III. Annalium. *Scauro, qui filiam ex eâ genuerat, datum, nè bona publicarentur.* Hic apparet cùm mariti fauor, III.
tum prolis; cui quidem ſæpiſſimè conſultum legimus ſeruatâ ei bonorum publicandorum parte. Ipſiuſmet ſcriptoris hæc ſunt in Soſiæ cauſa. *Soſia in exilium pellitur* (ait lib. IV. Annal.) *Aſinij Galli ſententiâ; qui partem bonorum publicandam, pars vt filiis relinqueretur, cenſuerat: contra Marcus Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitatem legis, cætera liberis conceſſit.* Id quidem in arbitrio iudicantium fuit. Plinius lib. III. epiſt. IX. *Conſilij noſtri exitus fuit; bona Claſſici quæ habuiſſet ante Prouinciam placuit Senatui à reliquis ſegregari: illa filiæ, hæc ſpoliatis* (Prouincialibus) *relinqui.* Subſtantia igitur omnis, quæ damnati eſſet, non ſemel proli conſignabatur antiquo illo tempore: quod Plato non improbauit lib. IX. De legibus, homicidarum pœnas determinans: defectu filiorum adoleſcentem aliquem ciuem præſtantis generis in filium, ſucceſſoremque damnati adoptandum adiungens.

Et numerus quidem liberorum temperandæ parentis pœnæ prætexitur IV.
in quodam reſcripto Hadriani, quod extat in l. VII. De bonis damnatorum. verba Reſcripti. *Fauorabilem apud me cauſam liberorum Albini filiorum numerus facit; cùm ampliari imperium hominum adiectione, potiuſquàm pecuniarum copia malim: ideoq; illis paterna ſua concedi volo, quæ manifeſtabunt tot poſſeſſores, etiamſi acceperint vniuerſa.* Quem indulgentiæ tenorem huic Cæſari Dio Caſſius adiudicat libro LXIX. vt in excerptis legitur de vitiis & virtutibus. Aliaque ferri exempla, per quæ pluribus liberis omnia damnati bona conceſſa ſunt, refert, vbi reſcripti huius meminit, Paulus I. C. Hîc ſcite per Fabrum V.
*b* refellitur quorundam veterum Pragmaticorum *c* cenſio de liberorum numero, qui ſatis huic humanitati olim viſus: qui & refellit eorum ſententiam qui credebant adeò deberi iure naturali parentis bona, ſiue partem bonorum, quam legitimam, & legitimariam appellant, liberis; vt nec vllo ſtatuto his portio ea auferri poſſit: quod fortiſsimè multis capitibus ſeptuageſimæ quartæ decadis expugnat. Huius tamen doctiſsimi viri emmenda- VI.
tionem poſtremorum Reſcripti verborum nullus adduci hactenùs potui, vt probarem. Torquet ille in eo ſe, vt oſtendat nòn vllum eſſe horum idoneum ſenſum, legendùmque, *quæ minimè ditabunt tot poſſeſſores etiamſi acceperint vniuerſa.* Commodâ quidem ſententiâ, ſi conceſſum Fabro ius eſt (quod ferè credas) deformandi pro arbitrio veterem ſcripturam. At quia non ita ſcriptum eſt, quærendam cenſeo vulgatæ lectionis veram ſententiam. Profectò ſi non aduerbium, *etiam*, ſuperfluè ponitur, vt in l. XX. De contrah.

b *Decade 74. err. 1.*
c *De quibus Peregrinus l. 5. de Iure Fiſcic. 1. n. 38.*

emptione, diſpungenda ſit fortaſsis oratio hoc modo. *quæ manifeſtabunt tot poſſeſſores etiam, ſi acceperint vniuerſa.* Diuitiæ oſtendunt, ac notos faciunt homines; cùm è contrario pauperes delitescant, nec vſquam appareant, iuxta illud Poëtæ,

*Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat*
*Res anguſta domi.*

Cui ſimilis eſt Ennius in Alexandro apud Macrobium lib. VI. cap. I. *Multi alij aduentant, paupertas quorum obſcurat nomina.* Non ergo quæuis portio ex bonis Albini per tot capita filiorum diuiſa, ſed vniuerſa quidem bona poſſeſſores ſuos, etiam qui tot eſſent, manifeſtare poterant. Siue *etiamſi* coniunctiua particula hîc eſt, non aduerſatiua, vt vocant; quemadmodum iſta, *ſedetſi*; quod notum ex Cuiacij cap. XVI. libri XIII. obſeruationem. *Etiamſi* pro *equidem ſi* affirmanter poſitum eſt in l. vltima De Adminiſtratione tutorum: & plenum ius noſtrum hiſce aduerbiis parum vulgatæ acceptionis.

VII. Iam ab eo tempore conceſſas filiis portiones frequenter lego: Paulusque librum ſcripſit de portionibus, quæ filiis damnatorum conceduntur; vnde eſt laudata lex VII. De bonis damnatorum. Conſtitutum certè hoc ius, ac perpetuum fuiſſe ſub tempus ſuum confirmat Calliſtratus; qui liberos omnes damnati, dummodo iuſtis nuptiis natos, hoc eſt habitos, ſaltem conceptos, ante deportationem, ad bonorum partem admittit in l. I. D. eodem tit. non tamen ſuſceptos ex nefariis, aut inceſtis nuptiis, vt in Nouella eſt conſtitutione Iuſtiniani XII. cap. II. Nec naturales tantùm, & in poteſtate habitos, ſed emancipatos etiam, qui conferre velint ea omnia, quæ emancipationis tempore conſequuti ſunt à parentibus; l. VIII. C. eodem tit. atque adoptiuos, ſi non fraudis causâ, deſperatione rerum ſcilicet per conſcientiam metu imminentis accuſationibus adoptio facta eſt; l. VII. §. II. D. eodem tit. Quod ſimiliter reſcriptum fuit ab Antonino, de eo, qui violatæ Maieſtatis pœnam cogitans, ſeruos manumiſerat, in l. XV. D. Qui & à quibus manumiſſi &c. Maioris indulgentiæ id eſt, quòd deportati caſtrenſia bona omnia, parenti ſub cuius erat poteſtate Alexander conceſſit in lib. III. C. hoc ipſo titulo. De quâ lege videndus eſt Ludouicus Vitalis lib. II. Va-

VIII. riar. lectionum cap. XXVII. Partem, ſeu portionem omnes nominant: at nuſquàm monemur quota hæc pars, quæ filiis ſeruatur, fuerit: coniectari autem licet dimidium publicari ſolitum relicto his dimidio: ſiquidem Cornelius Tacitus partem priùs ex Soſiæ bonis abſolutè reſeruandam, ſecundum quod Aſinius cenſuerat, expreſſiſſe contentus, quartæ mox partis mentionem ex cuiuſdam alterius ſententia fecit; quaſi partis nomen, nullo adiecto, dimidiam ſignificet. Sed quid vtimur extraneis teſtimoniis, ſi Iuris regula eſt, *partis appellatione, ſi non ſit portio aliqua ſpecialiter adiecta, dimidiam intelligi.* l. CLXIV. D. De Verborum ſignificatione: quam vulgò recipiunt Iuris auctores *d*: cenſerique hac notatione nominis plura capita Pandectarum commodè poſſunt, l. XXXVIII. §. V. De Pœnis, l. Si Pater XL. (iuxta Hilligeri iudicium) De hæredibus inſtit. l. XIII. in principio, De Iure Fiſci. Nec aliud ſpero ſubindicari à Conſtantino in l. I. C. Theodoſiano de Bonis proſcriptorum, quam ius iſtud, facultatemque dimidium accipiendi filiis conceſſam. Quæ quidem lex decurtata ex magna parte in Codice Iuſtiniani repræſentatur ſub titulo de Donationibus inter virum & vxorem, ordine, vigeſima quarta. Noſtra lex. III. Tit. IV. lib. VIII. Compilationis aduerſus eos, qui Regi maledixerint, huiuſmodi vtitur dimidiata publicatione bonorum parentis, reſeruata filiis legitimè natis altera parte: quibus ſi caruerit damnatus, bona omnia amittit.

IX. Detinet nos ad clementiora exempla properantes quod Diocletianus, &

*d* L. 43. de vſufructu, l. 11. §. 6. De Interrogat. in iure faciendis Vlpianus tit. 15.

Maximianus Gaudentio cuidam reſcripſerunt in l. VI. hoc ipſo tit. in Codi-
ce De bonis proſcriptorum; *de bonis matris deportatæ filiis nihil deberi iuris ab-
ſolutiſsimi eſſe.* An quòd iudicio Maieſtatis deportata mater fuiſſet? Non pu-
tant. Sed generaliter ita ius fuiſſe in bonis matris damnatæ, vt nè quid in-
de filij haberent: nec iniuriam in eo fieri, quòd materna bona adimantur,
cui paterna ſufficere poſſint. Hæc ſaltem, aut horum pars vt concederetur,
ea potiſſimùm ratio fecit, nè innocens egeret damnati proles, quæ non vi-
get in maternis. Accedunt aliæ cauſæ; quòd bona patris quodammodò ma-
gis debita ſunt quàm matris *e*. Paternorum adquiſitio ex antiquiſſimo Iure *e Peregri-*
Tabularum deſcendit: materna autem ex Orphitiano debentur. Deinde *nus de Iure*
filij parentibus maribus agnati ſunt, matribus vero cognati. Sic placet An- *Fiſci lib. 5.*
tonio Fabro Decade LXXIV. errore V. & VI. Cuiacioque in commentariis *c. 1. n. 43.*
ad Codicem in d. l. VI. Iuris ergo abſolutiſſimi erit, (vt Impp. aiunt) nihil fi-
liis deberi ex bonis deportatæ matris etiam extra grauiſſimum crimen ma-
ieſtatis; quod eſto per me, vt volunt, quibus reſiſtere ſine clariſſimis ac ro-
buſtiſſimis rationibus pudor impedit.

Chriſtiano æuo Imperatorum, ſanctio quædam Conſtantini proſpexit X.
benigniſſimè Decurionum ſaltem ſucceſsioni; ad quam non liberos tan-
tùm eorum, qui fuiſſent eâ de causâ damnati, quòd alienæ ancillæ ſe con-
iunxiſſent, ſed & parentes, & vltimo loco propinquos admiſit: in l. VI. C.
Theod. De Decurionibus. Sed generaliter magis Conſtantius, & Iulianus, XI.
emiſsâ conſtitutione, quæ eſt in l. II. eiuſdem codicis, tit. De bonis pro-
ſcriptorum, cuiuſcumque damnati genus vſque ad tertium gradum, filios
ſcilicet, aut parentes, ſolida ſucceſsione, Fiſco penitùs quieſcente, dignan-
tur. Hæc facta Conſtitutio eſt anno vrbis MCVIII. in quem incidit Conſtan-
tij octauus, & Iuliani primus conſulatus. Tertio autem abhinc anno hanc XII.
abrogauerunt iidem Cæſares nouâ ſanctione: ſcilicet l. IV. C. Theodoſ. eo-
dem tit. Habita nempè prioris mentione, quam certâ conditione ſe pro-
mulgaſſe adnotant, bona damnatorum Fiſcali Dominio vindicari nunc de-
cernunt. Generale id, durũq; magis quàm mos ferret æui illius, & ſuperio-
ris, indulgentiaque erga ſobolem tot exemplis præiudicata. Quare dum-
taxat derogatum ſuperiori conſtitutioni eorundem Principum, non aliis,
nec filiorum antiquo iuri, quod ſemper illibatum manſit, veroſimilius eſt.
In ſubſcriptione iſtius l. IV. reſtituendum eſt, (quod nolui te celare) verum
conſulis nomen, qui Titianus, non Decianus: vti ex lapide quodam mo-
nuit ſummus Vir, & qui merito ſuo Pater audit Romanæ Hiſtoriæ Onu-
phrius Panuinus. Sequitur has ſeruato Principum ordine clementiſsima et- XIII.
iam illa Valentiniani & Valentis ad Symmachum vrbi Præfectum; ſub-
ſtantiam damnatorum, præter cauſam Maieſtatis, liberis integram conſer-
uans: quæ eſt l. VI. in eodem Codicis Theodoſij titulo: primo anno ſcili-
cet promulgata Valentiniani & Valentis fratrum, nempè vrbis conditæ,
iuxta Varronis ſententiam MCXVI. humanæ redemptionis CCCLXIV. quo in
locum Voluſiani Symmachus datus fuit vrbi Præfectus. Non mirum ergo
nuper adſcriptos de militiâ ad Imperium conſtitutionum benignitate ſub-
iectorum beneuolentiam demereri voluiſſe. Nihilominus tamen Valens
in Oriente colligendis pecuniis intentus, plures, qui de Imperio quæſiuiſ-
ſe, aut reſpondiſſe falſo inſimularentur, tanquam Maieſtatis reos partim
occidit, partim facultatibus priuauit, liberis & coniugibus, cæteriſq; cogna-
tis extremæ fortunæ relictis; vt Zoſimus narrat in IV. Et mutatis Principibus XIV.
non nimiùm longè inſtauratus eſt mos ille antiquus, vt dimidia nimirum
publicaretur, dimidia filiis diuideretur, conſtitutione Impp. Gratiani, Va-
lentiniani, & Theodoſij in hoc eodem Codice, l. VIII. ex cuius minimâ par-

 te

te formata eſt lex, ſimiliter VIII. Codicis alterius Iuſtinianæi ſub eodem
titulo conſtituta. Hæc *Valentiniana Lex* vocatur ab iiſdem Auguſtis alio lo-
co; ſcilicet L.x. C. Theodoſ. eodem: quia Valentinianus Iunior inter lato-
res; & vterque, Valentinianus ſcilicet, & Gratianus filij Valentiniani Se-
nioris iam defuncti. Summa huius eſt: ſi deportatus liberos habeat, puta fi-
lios, filiaſque, aut ex his nepotes, ſiue in poteſtate, ſiue emancipatos, ſemiſ-
ſe dumtaxat Fiſci rationibus illato, reſiduum ſemiſſem damnato, eiuſque
liberis hac diſtributione ſeruari, vt ipſi ad ſubleuandam inopiam tribuere-
tur ſextans, inter liberos autem in capita triens diuideretur. Si vero non li-
beros, ſed matrem haberet, aut patrem, vel vtrumque; beſſem, id eſt octo
vncias Fiſcum vindicare, vt ex triente reliquo alter ſextans damnato, alter
cædat vtrique, ſiue in ſolidum alterutri damnati parentum: ſi nempè ha-
buerit mater iura liberorum. Aliàs ſemunciâ tantùm contenta ſeſcunciam
viro ſuo permittet. Denique ſi deportetur is, qui nec liberos, nec parentes
in vrbe reliquit, ſextante ſibi in alimenta ſeruato, Fiſcum in dextante ſuc-
ceſſorem habiturum. Hucuſque Valentinianæ Sanctionis edictum. In ſup-
plicio affectis, hoc eſt peremptis, aliter placuit: de quibus eorumdem Augg.
eodem die ad ipſummet Præf. Prætorium Eutropium conſtitutio extat ibi-
dem poſt ſuperiorem. Ad quam & referenda eſt alia Honorij, & Theodoſij,
XV. quæ eſt num. XXIII. eiuſdem tituli. Sequens iam ſtatim altera Theodoſij, &
Valentiniani ſobolem Decurionis damnati maſculam integris fortunis, mu-
liebrem dimidiâ parte fulſit: de qua nil ampliùs quàm examen laudo clariſ-
ſimi Fabri Decade I.XXIV. errore II. nè tranſcriptoris lectorem tædeat.

# CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

## Iuſtinianæum, & Hiſpanum circa bona damnatorum Ius.

I. *Iuſtinianus bona damnatorum deſcendentibus & aſcendentibus conceſſit vſque ad 3. gradum.*

II. *Et vxoribus partem.*

III. *De Inſcriptione & ſubſcriptione Nouellæ* CXXXIV.

IV. *Interpretatio Nouellæ* XVII.

V. *Gloſſema oſtenditur in Authentica* Bona damnatorum. *C. De bonis proſcriptorum.*

VI. *Ex latere venientes nec à Iuſtiniano nec ab iis admiſſi, qui Iuſtinianum exſcripſerunt.*

VII. *Maximè apud nos, qui legem de hoc habemus.*

VIII. *Quorundam damnatorum ſucceſſiones ad vlteriores gradus olim delatas Iuſtinianus ad tertium non reduxit.*

IX. *Exceptum ſemper ab huiuſmodi indulgentiis læſæ maieſtatis humanæ crimen.*

X. *Necnon & diuinæ, hoc eſt hæreſis delictum.*

XI. *De Hebræorum confiſcatione.*

XII. *Taurina lex noſtra, ſiue antiquior alia Fori Caſtellani damnatis conceſſit in Hiſpania Ius teſtamenti.*

XIII. *Quod olim dumtaxat militibus conceſſum.*

XIV. *Iura damnatis Taurina hac lege indulta enumerantur.*

XV. *Satisfit quibuſdam permiſſum damnatis vel à Iuſtiniano ipſo ius teſtamenti credentibus.*

XVI. *Declaratur lex Iuſtiniani in Nouellæ* XX. *cap.* VIII. *ſiue Authentica. Sed hodie. C.* De bonis *damnatorum abrogans pœnæ ſeruitutem.*

XVII. *Iura ciuitatis & libertatis quem reſpectum inter ſe habeant.*

XVIII. *Taurina lex antiquo vniuerſo Iuri in hac parte derogauit.*

XIX. *Iuſtinianus tam legalem, quam Iudicialem abrogauit.*

XX. *In quo hallucinati ſunt Pragmatici legalem adhuc admittentes.*

XXI. *Quos tamen ſequuta fuit lex Hiſpana.*

XXII. *Neapolitana de his ſanctio.*

SEd tandem pleniſſima benignitate Iuſtinianus Imperator, perpetuâ id I.
conſtitutione in mores reuocauit, quod antiquiores illi Conſtantius &
Iulianus breuiſſimi temporis indulgentiâ conſtituerant. Nempè hic Auguſtus in Nouella CXXXIV. cap. vltimo, damnatorum omnia bona deſcendentibus, atque aſcendentibus defert vſque ad tertium gradum. Item vxoribus II.
definitam legibus partem, ſi cum dote, vel abſque eâ nupſiſſent; in Nouella CXVII. cap. V. Huius Nouellæ CXXXIV. Titulus in Græco eſt περὶ τοποτηρητῶν, καὶ μοιχευομένων γυναικῶν, καὶ ἑτέρων κεφαλαίων: quod eſt in Haloandri editione (nam in Charondæ altera diuina multùm inſcriptio affixa eſt) *De Vicariis, ſeu locum tenentibus, item de mulieribus adulterium committentibus, & aliis capitulis.* III.

*capitulis*. In Regiæ Bibliothecæ Pariſienſis Indice, quem promit Latinum Cuiacius, paulò aliter : *De Præſidibus, & de adulteriis, & pœnis*. Cuius conſtitutionis ea verba ad nos pertinent : εἰ δὲ μὴ ὑπεισι καλιοντες, ἀλλ' ἀνίοντες ἄχρι τρίτυ βαθμῦ αὐτὺς ἔχειν : hoc eſt : *ſi quidem habeant* (damnati) *deſcendentes, & aſcendentes vſque ad tertium gradum, eos habere*. Expedit nobis etiam in Subſcriptionem inſpicere. Ea ſic concipitur in editionibus Haloandri, & ſcrimgeri : *Dat. Kal. Maij. CP. DN. Iuſtin. PP. Aug. Baſilio V. C. Conſ.* Sed Cuiacius ita ſupplet. *Data Kal. Maij CP. Imp. Dn. Iuſtin. PP. Aug. anno* XXX. *poſt conſulatum Baſilij V. C. anno* XV. Scriptam ipſe priùs teſtatur ad Petrum PP. deinde reſcriptam ad Monachium P. V. quod vnde ſcit Cuiacius, alium oportet me admonere : niſi Monachius ſit Muſonius, cui non vllibi, quàm apud Cuiacium, non inſcribitur hæc conſtitutio, μυσωνίῳ ἐπάρχῳ πόλεως. Eſt, inquam, cur non perfunctoriè quæramus de hac ſubſcriptione : propterea quod in Nouella XVII. iterùm mentio habetur iſtius de bonis damnatorum indulgentiæ plenioris. Et quidem incurioſi audire nolumus, ſi certiſſimam quatenùs licet, harum conſtitutionum hiſtoriam aliis edendam reliquerimus.

IV. Porrò in dictâ Nouella XVII. quæ eſt *de Mandatis Principum*, cap. XII. ſic reliquit ſcriptum Iuſtinianus : *Oportet autem te* (Tribonianum quæſtorem ſacri Palatij, ad quem dirigitur) *& in hoc omnem ponere prouidentiam, cùm aliquis dignus apparuerit pœnâ, illum quidem punire, res autem eius non contingere, ſed* συγχωρεῖν ταῦτα τῷ γένει, καὶ τῷ νόμῳ, καὶ τῇ κατ' ἐκεῖνον φέρεσθαι τάξει, *relinquere eas generi, & legi, & ſecundum illam ordini*. Νόμος iſte, ſeu *lex*, cuius præſcriptum commendat, non illa eſt Iuſtiniani eiuſdem, quæ habetur in Nouella CXXXIV. priùs adductâ; ſed, ſi placet, Valentiniana, cuius anteà meminimus. Suadet nos, quod hîc ſubſcribitur Beliſarij conſulatus, qui quidem incidit in annum Iuſtinianæi Imperij nonum, ſex integris annis antequàm renuntiatus fuit Conſul Baſilius ille, poſt cuius conſulatum etiam interceſſerunt alij quindecim ad promulgationem vſque alterius ſanctionis : quo modò rationem iſtorum Conſulatuum video ſubducere diligentiſſimos viros Cuiacium lib. IV. obſeruat. cap. XXVIII. & Onuphrium in Faſtis : etiamſi paulò aliter Cuſpinianus velit ex Marcellino Comite. Ergò γένος, *genus* in his verbis, vt credo, filios, nepoteſque, item parentes reſtrictiori notatione, non vlterioris gradus deſcendentes, aut aſcendentes ſignificare poſitum eſt. Quam ſententiam tribuo libens Valentinianæ illi conſtitutioni, quæ non obſcurè ita determinat rem totam ſucceſſionis damnatorum.

V. Hæc cùm ita ſint, atque hactenùs placuerit de bonis damnatorum quærendis; nec aliunde quàm ex Nouella iſtâ deducta fuerit Authentica, quæ incipit, *Bona damnatorum* in C. Iuſtiniani. De bonis proſcriptorum, aſcititium vtique videri debet, Leguleiiſque alicuius commentum, & tanquam gloſſema cancellandum eſt, quod ibidem adiungitur de ex latere venientibus; Irnerij puta, ſiue quis alius Friderici Imp. iuſſu intexuit Codici portiunculas Nouellarum. Irnerium nominant, additionem obſeruantes Bar-

VI. tolus, & omnes ferè neoterici *a*. Planè latinum aliquem hanc fraudem (vt loquar cum Plauto) frauſum eſſe oportet : nam Græci Iuris Commentarij nuſquàm hoc næuo deturpantur, vt videre eſt in ſcholiaſte Βασιλικῶν lib. LX. Tit. LIV. ad legem XV. ac Michaële Attaliata in Synopſi Tit. XCII. Et recepiſſent vtique, ſi ex vero eſſent, Hiſpana iura; quæ tamen aſcendentes tantùm, & deſcendentes, non eos, qui ex latere veniunt, pertingi benignitate ſucceſſionis voluerunt. Diſerta legis XV. tit. X. Partitæ VII. verba ſunt. *E aun decimos que à ningun home por ierroque aia fecho, non deben ſer tomados todos ſus bienes, ſi houieren parientes de loſque ſuben, decienden por la liña derecha del parenteſco faſta el tercero grado*. Similiterque legis VIII. Tit. X. eiuſdem Partitæ

*a* V. Cagnolum in l. ea ſola de Regulis Iuris. Aquilinũ ad l. Gallus de liberis & poſthumis. Sixtinũ l. 2. De Regalibus c. 12. n. 23. Fachineũ 9. contr.

VII. imo

vii. imo aliàs eiuſdem lineæ directæ quartum etiam admittit gradum Lex xxv. Tit. xxii. Partitæ iii.

VII. Sed nihilominus obtinuit conſuetudo, & communis opinio Doctorum eſt *b*, vt qui ex latere veniunt non minùs admittantur. Hæc inter exteros aduersùs leges, & Fiſci iura quis admiſerit: nos vero qui tam clarè domi docemur de admittendis dumtaxat rectæ lineæ deceſſoribus, & ſucceſſoribus, non eſt cur ſententiæ communi, quæ falſo nititur fundamento, audientes ſimus *c*: præſertim poſtquam nouum aliud, & clementiùs in Hiſpaniâ ius inualuit, de quo inferiùs dicimus. Nec argumentum valet pro communi Doctorum de ex latere venientibus, quod deduci poteſt ex l. vi. C. De Inceſtis nuptiis: ea quippè lex ſublata fuit nouiori ſanctione Nouellæ Conſtitutionis xii. memoratæ. Aliquando tamen admiſſa fuit hæc benignitas, fateor, apud Græcos; qui veterem Arcadij, Honorij, ac Theodoſij Iunioris conſtitutionem quæ filios tantùm admiſerat ad hæreticorum bona in l. iv. C. De Hæreticis, & Manicheis, etiam ad collaterales, vt vocant, extendunt in lib. i. Βασιλικῶν ſectione, ſeu tmemate xxiii.

*a* *Stephanum in Nouella 134. n 15. Cuiacium in Nou. 12. Greg. in l. 8. tit. 10. Part. 7. Clarū l. 5. sent. § fin. q. 78. n. 1.*

*b* *Vt ait Clarus l. 5. sent. § vltimo q. 78. n. 1. Peregrinus de Iure Fiſci l. 5. t. 1. n. 4.*

*c* *Vide Gregoriū in dictis legibus Partitarū.*

VIII. Sed quidem quidquid Iuſtinianus ad tertium vſque gradum eas ſucceſſiones, quæ citra hunc ſteterant, extenderit: nihil, credo, induxit in his noui, quæ ſuperiori tempore iam extra tertium gradum proceſſerant, ac deferebantur. Exemplis duobus res palàm fiet. Militis inteſtati bona, qui ex militari delicto puniri meruit, ad cognatos eius pertinere, Pauli & Menandri ſententiam ſequutus Macer ſcribit in l. i. D. De Veteran. & militum ſucceſſione: imo teſtamentum eius firmum eſſe; quod de bonis caſtrenſibus intelligi dumtaxat Imperatores voluerunt Valerianus, & Gallienus in l. xiii. C. De Teſtam. militis. Atque ea quidem ad hæredes legitimos ad finem quinti gradus, ſiue ad proximum cognatum eiuſdem gradus, vt Papinianus loquitur, pertinebant: ſi verum eſt quod Cuiacius alicubi *d* coniectatur, Papinianum in lib. ii. D. De Veteran. & militum ſucceſſione; bona militis condemnati quæ in ſuperiore lege i. Macer expreſſerat, ſubintellexiſſe. Hæc igitur bona, quæ antiquiore benignitate iam tertij gradus ſucceſſionem exceſſerant, ſignificare noluit Iuſtinianus. Nec item Curialium hæreditates, quas etiam deportatorum Conſtantinus liberis, & parentibus (quod vel in infinitum, vel vſque ad tritauum & trinepotem, diſſentientibus Iuris auctoribus *e* recipio) atque etiam propinquis, qui ſecundùm legum ordinem ad eorum ſucceſſionem vocarentur, deferri debere Patroclo cuidam reſcripſit in l. iii. C. De inceſtis & inutil. nuptiis: quæ in altero Codice Theodoſij eſt l. vi. De Decurionibus. Propinqui ſunt ſanguine quinque coniuncti: quare affinitatem, & propinquitatem, Cicero, Cæſar, & alij plures, quaſi de eâdem, aut ſimili coniunctione, dixerunt. Hæc Iuſtinianus non mutauit.

*d* *In l. ſi quis filio D. De iniuſto rupto &c.*

*e* *L. 4. § 2. De in Ius vocando: l. 10. § 7. De gradibus.*

IX. Exceptio ſanè illa, quam facit in conſtitutione huius Imperatoris toties laudatâ crimen Maieſtatis, ab antiquiſſimo tempore fuit recepta. Eorum, qui perduellionis damnarentur, bona omnia publica facta ferè ſemper ſunt l. x. & laudatâ authenticâ *Bona damnatorum*. C. De bonis proſcriptorum l. ii. l. iv. (quæ etiam Magicæ ſuperſtitionis delictum adiungunt) l. vi. l. xxiii. C. Theodoſ. eodem tit. l. v. Tit. x. Part. vii. l. iii. Tit. iv. lib. v. nouæ Compilationis noſtræ. *Ferè ſemper*, ſciens, prudenſque dixi, propter ſuperiùs memoratam Valentinianam legem, quæ liberis, & nepotibus perduellium damnatorum ſextantem hæreditatis attribuerat: dicta l. viii. C. Theodoſ. eodem tit. regulariter puniri conſueuit etiam proles Maieſtatis damnati, ad minus egeſtate, & nuditate; ſiue vt charitas filiorum amiciores reipublicæ parentes redderet, quod putat Cicero ad Brutum ſcribens; ſiue quòd

in filiis etiam paterna exempla metuerentur l. Quiſquis v. & Authent. *Poſt Diui Marci.* C. Ad l. Iuliani Maieſtatis: l. vltima C. Theodoſ. ad l. Corneliam de Sicariis *f*. Adiungitur eccleſiaſticis ſanctionibus maius crimen læ-
X. ſæ Maieſtatis Diuinæ, ſcilicet Hæreſis; ex cap. *cùm ſecundum.* de Hæreticis
XI. lib. vi. *g* Iudæorum lege, ſeu moribus, etiam Fiſco applicabantur bona illius, qui regni cauſa capite plecteretur, quod ex Gemara Babilonica, Leui Gerſonide, & Dauide Kimchi Ioannes Seldenus refert in libello de ſucceſſione iuxta leges Hebræorum, cap. xxv.

XII. In Hiſpaniâ noſtrâ mutauit prorsùs antiquum ius, & conditio damnatorum vel ciuili, vel naturali morte. Nam licet in medio relicta ſit poteſtas publicandi bona, ſeu partem bonorum iuxta legum præſcriptum; in eâ ſaltem portione, quæ his non auſertur teſtamenti condendi poteſtas iis conceditur. Nempè ex l. v. Tit. v. *De las mandas*, lib. III. Fori legum, ſeu Fori Caſtellani, (vt vocant) quem Alphonſus Rex Caſtellæ huius nominis nonus, ante edita iuſſu Alphonſi eiuſdem nominis x. Partitarum iura promulgauit. Aut ſaltem ex ea lege v. Deducto contrarij ſenſus argumento communis noſtræ gentis vſus comprobauit: vt docent, qui commentaria iſtius legum collectionis compoſuit Alphonſus Diaz de Montaluo, & æqualis ei Rudericus Zuarez in l. *Quoniam in prioribus*, decimâ limitatione, ad l. Fori. Sed hanc poteſtatem de bonis teſtandi poſteriore, & aperta magis ſanctione fecit damnatis Lex Taurina IV. vna ex eis ſcilicet, quæ à Ferdinando v. & Eliſabetha coniuge Catholicis Regibus conditæ in Taurina vrbe, promulgatæ demùm ſunt à Ioanna filia, & Carolo nepote: vt gratia illorum id explicem qui noſtrarum legum tabulas, ſiue Regium album cominùs non inſpexerunt. Hæc deinde lex IV. in Compilationem nouam fuit conjecta, vt in eâ ſit Lex III. Tit. IV. lib. v. quam multi ex noſtratibus *h* ſeriò interpre-
XIII. tantur. Inſolens hoc & nouum: nam turba damnatorum, qui vel ſerui pœnæ, vel ſaltem peregrini Iuris à tempore ſententiæ fiebant, toto Iure antiquo, & Romano, lege hac nouâ, & clementiſſima in ſtatu ciuitatis & capacitatis, quem aliàs deperderent, retinerentur: ſaltemque ex illâ portione ſubſtantiæ non publicatæ, tanquam ciues, legitimo iure teſtari poſſunt. Nuſquàm ſanè, præterquàm ſi milites eſſent, damnatis olim conceſſum fuit res ſuas teſtamento relinquere: teſtamento inquam, quod iure ciuili ſuſtineretur; nam de alio, vt naturalis fuit ſignificatio voluntatis, lege omnium gentium cenſenda quod appellauimus alibi teſtamentum naturale, monitum iam à nobis eſt, permiſſum his videri antiquis moribus, quos non totis facultatibus pœnæ nudaſſent. Militem certè damnatum delicti militaris teſtamentum de caſtrenſibus bonis feciſſe teſtatum voluit Macer ex Paulo & Menandro in l. I. D. De Veteran. & militum ſucceſſione l. XIII. C. de Teſtam. militis l. VI. §. VI. D. De iniuſto rupto &c. Paganorum omninò alia fuit conditio: quippe qui peregrini, aut ſerui pœnâ facti, non vllo deinde priuilegio admittebantur ad ius teſtamenti. Niſi quod Neronis decretum laudat in excerptis de vitiis & virtutibus iam alio loco à me laudatus Dio; quo damnatis à ſe ille ſæuus Imperator fecit poteſtatem liberè teſtandi: ſed hoc in ſpeciem, & ſubdolè, qui nihilominùs cuncta, vel pleraque bona illorum inuadebat.

XIV. Ab horum agmine ſeparantur noſtri damnati; atque antiquo, & illibato teſtandi iure vti poſt Taurinam hanc legem poſſunt. Nam teſtamenta ante delictum vel damnationem facta non irritantur; vti refellentes Pauli Pariſij *i* de ſimili ſtatuto contrariam ſententiam benè, ac gnauiter defendunt noſtrates Tellus *k*, & Matienzus *l*. Liberè etiam, tanquam de bonis ſuis noua teſtamenta conficiunt: nec tenentur æquas portiones filiis adſcribere; ſed

*f Videndi Peregrinus de Iure Fiſci l. 5. t. 1. Amaia l. 10. Codicis, tit. 7. n. 37. Clarus l. 5. §. finali q. 78. n. 1.*

*g Iacobus Simancas de Inſt. Catholicis c. 9. Ceruantes in l. IV. Tauri nu. 35. Tellus in eandem n. 34. Afflictis l. 2. Cōſtit. Neapol. Rubrica 7. n. 14.*

*h Tellus ad l. IV. Tauri Aceuedo, & Matiēſo ad d. l. 3. Cōpilationis Greg. in l. 5. gloſſa 6. tit. 31. Part. 7. Couarr. in Rub. de Teſtamētis 3. p. n. 27. Molina de Primogeniis l. 4. c. 12. Solorcano de Parricidio l. 2. c. 19.*

*i Vol. 3. cōſ. 46. n. 15.*

*k In hac l. 4. Tauri n. 1.*

*l In l. 3. gl. 3. n. 4. tit. 4. l. 4. comp.*

ſed meliorare alterũ ex his poſſunt, tum non Fiſcus deferat, ſed pater ipſe bona ſua relinquat: de quo aliter ſibi placuiſſe teſtatus eſt Rudericus Suarez *m*: ſed magis eſt vt rectiùs iudicent laudati nuper Tellus *n*, & Matienzus *o*, Gregoriuſque item Lopezius *p*. Nec ſemel tantùm, ſed & iterum, ac tertiò, deinceпſque mutare, ac renouare quæ priùs condiderant *q*. Vtiliſquè non minùs hæc facultas eſt, vbi publicata ſunt omnia bona: nam tutores vel eo caſu filiis nominant, ſubſtitutionemque iis pupillarem faciunt *r*. Etiam ſi tale ſit perpetratum crimen, ex quo iure ipſo ante ſententiam publicanda veniunt nocentis bona: quod ex verbis ipſis noſtræ legis ſubtiliter deduxit *ſ* Matienzus. Inteſtatorum deinde ſucceſſiones ex legibus deferuntur *t*. Tandem ex teſtamento capiunt: in quo Ciſuentes *u* huius legis ex primis enarrator inficialem partem amplexatus eſt; Gregorius Lupi *x* hæret, deliberandumque eſſe ait: Antonius Gomezius *y* annuit, impropriâ tamen ac remotiore ratione vſus, pro qua potiorem, conditionis nimirùm antiquæ damnatorum, & innatæ capacitatis, quam pœna non pertingit, reliqui laudant *z* Interpretes.

XV. Sed quia dictum anteà fuit, nuſquàm Romanis legibus conceſſum damnatis fuiſſe ius teſtamentorum; id compertiſſimum omnes fatentur, ſi de antiquo ante Iuſtinianum Iure loquimur: res tamen eſt magnæ controuerſiæ, diſcrepanſque auctorum *aa* opinionibus, an Iuſtinianæ ſanctiones hoc mutauerint. Affirmant plures, ea nimirùm ratione ducti quòd nemo ingenuus, ex Nouella XX. cap. VIII. pena ſeruus fieri in poſterum iubetur: vnde deducta eſt Authentica. *Sed hodie*: C. de Donat. inter vir. & vxorem. Ac propterea credunt ius conceſſum teſtamenti hac ipſa videri conſtitutione cum obice remoto pœnæ ſeruitutis, tam is qui mortem naturalem, quàm is qui ciuilem pati debet, priſtinæ conditioni, atque capacitati redditus intelligatur. Maximè cùm ex noſtrâ Nouellâ CXXXIV. bona etiam non auferantur damnatis. Planè hoc diſputant in cauſa mortis naturalis, aut ſanè ciuilis, quæ libertatem adimeret. Deportationis pœna, cùm citra ſeruitutem irrogaretur, aliis legibus, & incapacitate ſua peregrinæ conditionis, etiam promulgatis Iuſtiniani legibus, & abrogato ſtatu pœnæ ſeruitutis, iure hoc teſtamentorum interdicebat. Quare hoc ſaltem abſque dubio eſt, primùm conceſſiſſe deportatis Taurinam huius regni legem ius teſtamenti & poteſtatem hactenùs prohibitam. Sed & in reliquis damnatis XVI.
placet magis aliorum *bb* ſententia, qui exiſtimant, pœnæ ſeruitutis factam à Iuſtiniano abrogationem in eo ſe continuiſſe, quòd morte aliàs ciuili quæ libertatem auferret, condemnatis noluerit Imperator ſeueriſſimam antiquarum legum pœnam deinceps irrogari: de morte naturali, quia nihil cauit, cùm poſſet meminiſſe iſtius mortis, deberetque ſimul cum metalli ſeruitute, quam diſertis verbis abrogat; nec tractatum, nec ſubindicatum fuiſſe. Imò etiam in metallo damnatis, ſimiliue aliâ pœnâ ciuili, non temerè dubitabitur, an ſublata pœnali ſeruitute ciuile ius teſtamentorum ſtatim, & in conſequentiam permiſſum videatur. Et quidem contrarium ratio iſta conciliat, quòd antiquatâ pœnâ ſeruitutis & maximâ illa capitis minutione, quaſi deducatur ad mediam peregrinitatis conditio eorum, qui ad metallum, & ſimilia opera damnantur *cc*: pariter atque à ſuperiore gradu ſcalæ deducto pede, ſequens tibi neceſſariò premendus eſt. Quod quidem conſilium obſeruandi per gradus ſuos iuris noſtrarum legum aliis exemplis intimatur; ex quibus quædam eſt l. XXIV. §. V. De Fideicom. libertatibus. Iura XVII.
ciuitatis, & libertatis eò reſpectu inter ſe ſunt, vt qui ſeruitutis addicerentur pœnæ, tanquàm neceſſariâ conſequutione ciuitatis iure ſpoliarentur, quod ſeruus amittit. Adeò autem indiſtincta ſunt, & quaſi per gradus collo-

m In l. quoniã in prioribus lect. legis Fori limit. 10. n. 3.
n In d. l. 4. n. 17.
o In d. l. 3. gl. 6.
p In l. 5. gl. 6. tit. 31. Part. 7.
q Tellus n. 2. Matienco gl. 3. n. 5.
r Ant. Gomez in d. l. IV. n. 4. Ceruantes n. 41. Tellus n. 43. Matienco gl. 7. n. 2. plures apud Amaiam in l. 4. n. 38. C. de Iure Fiſci l. 10.
ſ Gloſſa 7. n. 5.
t Tellus n. 19. Matienco gl. 6. n. 5. Gregorius d. gl. 6.
u In l. 4. n. 2
x In l. 15. t. 1. Part. 6.
y In d. l. 4. n. 6. & 7.
z Tellus n. 21. Matienco gl. 3. n. 6.
aa Myriade vtriuſq; partis auctorum collegit Harprechtus in notis ad Iuliũ Clarum l. 3. §. Teſt. q. 21.
bb Bartoli in d. Auth. ſed hodie Aretinus in l. 8. vltimò notabili D. qui teſt. facere poſſunt.
cc Cuiacius in Nou. 22. Greg. in l. 5. gl. 6. tit. 31. Part. 7.

cata; vt quemadmodùm ciuitate ademptâ, nondum peruentum eſt ad ſeruitutis ſtatum; ita è conuerſo demptâ de medio ſeruitute non ſtatim deueniatur ad integrum ſtatum, ſed in citeriori pœna ciuitatis ablatæ ſtandum ſit. Nec puto in mentem fuiſſe Iuſtiniano, vt qui aliàs damnaretur metalli ſeruitute, latâ iſtâ conſtitutione, nec mediam capitis minutionem pateretur: aut quòd metalli perpetuo opere damnatus (quæ quidem à Iuſtiniano ſublata pœnæ ſpecies non fuit) meliorem conditionem acciperet, quàm deportatus; altero in ciuitatis iura reſtituto, altero in reatu ſuæ peregrinitatis relicto. Breuiter intimatum à me eſt, quod in re cenſerem, ſi magis ſollicitè hic verſari è re eſſet noſtri argumenti.

XVIII. Derogauit ergo Taurina Lex vniuerſo Iuri Romano in omni pœnarum genere; quoſcumque in poſterum damnatos ad facultatem admittens condendi teſtamenti. Derogauit item antiquioribus Hiſpaniæ legibus ex Romano fonte deriuatis: niſi quòd ex laudatâ lege Fori Caſtellani, quam frequens Doctorum hominum interpretatio adiuuare conſueuit, perducereque ad huiuſmodi benignitatem, veluti iacta fundamenta ſunt poſterioris, ac expreſſioris Taurinæ legis.

XIX. In diſceſſu notâ dignum valdè cenſeo Iuſtinianæam ſanctionem huius Nouellæ CXXXIV. tam publicationem, quæ ipſo iure venit, & lege aliquâ impoſita eſt delicto, quàm Iudicis ſententiâ inductam, & pœnæ conſectaneam deinceps fieri prohibuiſſe. Verba Imperatoris clariora ſunt, quàm vt aliam interpretationem admittant. *Vt autem non ſolùm corporales pœnæ, ſed etiam pecuniariæ mediocres fiant, ſancimus eos, qui in criminibus accuſantur,* ἐφ' ὧν οἱ νόμοι δήμευσιν ἢ θάνατον ὁρίζουσιν, *in quibus leges mortem, aut publicationem definiunt, ſi conuincantur, aut condemnentur,* &c. Δήμευσις proſcriptio eſt bonorum & publicatio, quod ſciunt, qui vel à limine Græcas litteras ſalutarunt. Porrò ſi legalem, & iure ipſo venientem publicationem comprehendere, aut inhibere in poſterum nollet, ſed tantùm iudicialem; non opus erat exceptionem veluti traditæ priùs regulæ, in delicto perduellionis ponere: ſi quidem

XX. perduellis ipſo iure, ac præſcripto legis, non à Iudice proſcribitur. Hæc, quia tam expeditè ſe habent, oſtendant nobis Pragmatici *dd* vndenam diſtinctionem ſuam confinxerint: nam vulgò creditur non hîc prohibitam legalem proſcriptionem, ſed iudicialem tantùm. Planè in quo peccatum fuerat, ſiue incurioſitate, ſiue ignoratione linguæ Græcæ, ab antiquiſſimis Iuris Interpretibus, non multum curauerunt poſteriores *quærere* (quod in Trinummo eſt Plautino) *ab ſtirpe auctoritatem*: quòd ſcilicet, (vt Auguſtinus inquit de quantitate animæ) *auctoritati aliorum credere magnum compendium ſit.* Hoc pacto inoleuit magnus error aduerſus legem ipſam, quem quidem vbique locorum tuetur iam multo tempore præiudicatus Doctorũ conſenſus.

*dd Bartolus in l. 1. de bon. damn. pluresque alij apud Boërium in Tractatu de ſeditioſis 7. notab. n. 30. Gentilẽ de Iuriſd. l. 3. c. 35. Gre. leg. 5. tit. 31. Part. 7. Clarum §. finali, q. 78. n. 1. l. 5. Receptarũ.* *ee L. 4. tit. 31. Part. 7. l. 24. tit. 1. ead. Part. l. 5. tit. 31. eiuſdẽ Partitæ.*

XXI. Profecto Hiſpanicum Ius Partitarum fide iſtius communis, & receptæ diſtinctionis, illibatam veterum legum vim, ac præceptum, & pœnam legalis publicationis agnoſcit; vt innumeris *ee* locis conſtat. Hoc planè ipſum qui cenſent, de antiquioribus legibus ante Iuſtinianum, puta de Hadriani Reſcripto in l. VII. §. III. De bonis damnatorum, qui propter numerum liberorum publicationem remiſſit, ferri magis poſſunt. At in hac Nouella res palàm omnis eſt, vt neceſſe habeant, qui aliter docent, fateri, Pragmaticum hoc ſuum Ius eſſe non Iuſtinianæum. Videſis quæ D. Franciſcus Amaia noſter adducit ad lib. X. Cod. Tit. VII. nu. XXXVIII. Vbi ex pluribus iudicium hoc noſtrum confirmat, quem quidem poſt hæc ſcripta vidimus. Huic tamen non adſentimur in eo quod cenſet de Hiſpaniæ l. V. Tit. XXXI. Partitæ VII.

XXII. In regno Neapolitano Ferdinandi Regis quadam conſtitutione confirmata

mata eſt hæc Nouella, vt nulli damnato, præter Maieſtatis & Hæreſis, bona auferantur, ſed reſeruentur filiis & agnatis *ff*: quod poſterius nouè ſeducitur. Galli è contra, confiſcato corpore, bona in acceſſionem, nil liberis reſeruato, inferunt Fiſco *gg*.

*ff V. Mathaeum de Aſflictis l. 2. conſt. Neapol. Rub. 7. n. 14.*

*gg Caſſaneus in Conſtit. Galliæ Rub. 1. nu. 18. Pontan. in Conſuet. Bleſſeus fol. 154. col. 2. in principio Clarus 5. ſentent. §. fin. q. 78. n. 11 & 2.*

# CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

## De viatico exulum & quod relegatio bona non adimat.

I. *Damnatis ipſis relictum vnde ſe alere poſſent.*

II. *Niſi hoc curæ daretur filiorum ſubſtantia patris damnati eis relicta.*

III. *Quædam exempla huius rei.*

IV. *Gratianus Valentinianus & Theodoſius ſextantem bonorum huic rei deſignauerunt.*

V. Viaticum *hæc portio dicta, Græcis* ἐφόδιον.

VI. *Quibuſdam in exilio copiosè & lautè fuit.*

VII. *Vt P. Rutilio Rufo iniuſtè Roma pulſo.*

VIII. *Quibuſdam in multa egeſtate tolerata Vita.*

IX. *Suſtentatis propinquorum ope, vel vxorum.*

X. *Cura hæc Viaticum præſtandi tam ad relegatos ademptis bonis, quàm ad deportatos pertinuit.*

XI. *Religionis cauſa exules olim à Chriſtianis ex communi eccleſiæ ærario alebantur.*

XII. *De abſtinentia vnius diei indicta; & erogata exulibus impenſa quæ fieri debuit.*

XIII. *Relegatis bona vt plurimùm ſeruabantur; in quo differebant à deportatis.*

XIV. Inane Iudicium, *Iuuenalis.*

XV. *Si bona eſſent adimenda, neceſſarium fuit hoc exprimere in relegatione.*

XVI. *Athænis oſtraciſmus bona non adimebat*, φυγή, *ſeu exilium adimebat.*

XVII. *Suidæ locus non bene ab* Inter*prete conuerſus.*

XVIII. *Oſtraciſmum de relegatione vſurpauerunt Græci nouiores.*

XIX. *Etiam temporalium exulum bona publicari Athenis ſolita.*

XX. *Relegatus* Iuribus *gaudet teſtamenti.*

XXI. *Non niſi in perpetuum relegatis bona adimi apud Romanos obtinuit.*

XXII. *Reſcriptum de hac re Traiani, ſiue* Hadriani *in l. 1.* De Inter*dictis ſuppletur ex Baſilicis.*

XXIII. *Benè tamen pars bonorum.*

DEmonſtrato hactenùs, quonam vſque legum benignitas erga damnatorum liberos, nè alienum crimen inſontes luerent, exſerta ſit non vno ſæculo, aut gente, iam edisſeramus, quemadmodum ipſiſmet citra moriendi neceſſitatem damnatis tam ſingulariter, quàm legibus in publicum I.

 propoſitis

propoſitis cauere Romani Principes conſueuerint. Et quidem vel inhumanis, & per tyrannidem aduersùs ciues ſine fine graſſantibus, non ſemel viſum, parum hæc duo inter ſe conuenire; ſi quidem vitæ reorum parceretur, ea, quæ tuendæ ipſius causâ neceſſariò expetuntur, damnatis ſubtrahi, atque inuideri: *viuoſque, ac videntes* (quod aliàs Tullius Oratione pro Sextio, de Ptolomæo Cypri Rege aiebat) *cum victu ſuo, ac veſtitu publicari. Dandi* vtique erant *Vitæ vſus cui vita conceditur*; quæ Tiberio auctore nata ſententia eſt in non abſimili cognitione; cuius meminit Tacitus Annalium quarto. Et enim priuſquàm ſeruari liberis placuiſſet partem ſubſtantiæ, vnde exhibere in exilio parentes poſſent; benignum fuit, atque æquum, ciuileque, portionem ex publicatis bonis aliquam alimentorum, ſeu Viatici
II. nomine damnatos ſecum ferre, ac poſſidere. Id quidem aliàs curæ eſſe liberis debuit, ſi in facultatibus eſſent; aut in paternis, ſiue parte earum relinquerentur *a*: quod & legiſlatores cauiſſe diſertis ſanctionibus ſcio. Platonem ſic voluiſſe palàm eſt ex nono de legibus, in pœnis homicidarum proponendis: & Iuſtiniani hæc ſunt in Nouella XII. cap. II. quæ eſt, de Inceſtis & nefariis nuptiis. *Paternam* (ait) *mox illi accipiant ſucceſſionem, ſuæ quidem poteſtatis patris ſupplicio facti, paſcentes autem eum, & alia neceſſaria præbentes.* Vtiturque ea ratione: εἰ γὰρ καὶ τῶν νόμων ὑπερόπτης εἴη, καὶ ἀσεβὴς ἀλλὰ πατὴρ ὅμως ἐστι: *nam licet legum contemptor & impius ſit, pater tamen eſt.* Quod ratio natu-
III. ralis, perpetua quidem ea, atque immutabilis perſuadet. Si quando autem vniuerſa damnati ſubſtantia in publicum redigeretur, antequam benignitas Cæſarum ſibi placuiſſet in tuenda prole nullius criminis conſcia; nihil minus equidem eſſet, nudum, omniumque egenum in inſulam trudere, quàm reuera occidere, aut quauis morte atrociorem, dum improbè corpus non attingeretur, mendicitatem irrogare. Id ſiue conniuentes concedebant Principes: quod inſolens, ſed certum ex Plinij epiſt. XI. libri IV. *Liciniano, qui ſponte abierat exulatum permiſit Domitianus, ſi qua poſſet ex bonis ſuis raperet, antequam bona publicarentur:* Siue ſententia ipſa publicationis partem bonorum penes damnatum relinquendam præſcribebat, Princepſue indulgentia ſua poſt vniuerſalem publicationem permittebat. De Lollia Tacitus in XII. Annalium. *Proin publicatis bonis cederet Italia:* ſed ſequitur: *Ita quinquagies ſeſtercium ex opibus immenſis exuli relictum*: nempè ex Lipſiana computatione, centum viginti quinque millia Philippicûm noſtri temporis monetæ.

IV. Obtinuiſſe non rarò iſtiuſmodi clementiam crebra *b* exempla demonſtrant: donec Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius conſtitutione illa, quam in ſuperioribus laudauimus, ſextantem bonorum ad calamitatem inopiæ ſubleuandam exulibus conceſſerunt: l. VIII. C. Theodoſ. de Bonis proſcriptorum. Hanc, qualis portio eſſet, Viatici nomine tri-
V. bui ſolitam Lucij Senecæ verbis ſignificatur in aureo de conſolatione ad Heluiam matrem libello. Miratur ibi, *maius viaticum*, illa ætate, *exulum eſſe, quàm olim patrimonium Principum fuit.* Viaticum namque quod aliàs *ſumptum viæ c*, Græcis ἐφόδιον, Agellij etiam teſtimonio, ſignificat, ad aliarum quoque rerum apparatus traduci ſolitum ex Quinti Claudij Annalibus eidem notum eſt doctiſſimo Grammatico *d*. Scilicet pro pecunia ad alicubi habitantis ſumptum deſtinatum poſitum eſt ab Vlpiano in l. XVII. D. De Rebus creditis: quod *Viaticulum* ipſe appellat in l. XVIII. De Iudiciis; quomodo & Apuleius ſeptimo Mileſiarum: hoc eſt pro alimentis, quæ τῆς ζωῆς τὰ ἐφόδια *Vitæ* ſunt *viatica*. De cibariis pro via Clemens libro ſecundo Pædagogi eos taxans, qui ventri obſecundare in omnibus ſtudent, reponere ait illos edulia ὥσπερ εἰς ἐφόδιον, οὐκ εἰς ανάδοσιν. hoc eſt, *ad viaticum, non ad digeſtionem.*

a *Vertitur hoc in dubium apud Peregrinũ l. 5. de Iure Fiſci c. 1. n. 45.*

b *Ex quibus eſt l. 40 §. 1. Ex quibus cauſis maiores.*

c *In l. 33. §. 3. Pro ſocio l. 1. §. 9. De tutelæ & ration.*

d *Lib. 17. Nat. Atticarum c. 2.*

Lautiorem

Lautiorem ſanè Vitæ conditionem quàm ſtatus publicati, atque vniuer- VI.
ſis ſuis facultatibus ſpoliati permittere videbatur, exulibus olim conceſſam, edicto illo ſuadetur Augusti, quo inductum eſſe deportationis morem traditum ſuo loco à nobis eſt: vt non immeritò ſuorum temporum luxuriem eo potiſſimùm argumento ſugillet Romanæ Philoſophiæ parens. Planè huiuſmodi lautitiam, & copiam ſiue pars bonorum tributa Viatici nomine, ſiue adquiſita exuli poſt ſententiæ, ac proſcriptionis iacturam, ampla res, & familia fecit. Nam & Suilius in Tacito, *publicatis ex parte bonis, ex parte ſuboli relictis ferebatur adhuc copioſa & molli vita ſecretum illud tolerauiſſe.* De cuius & ſimilium beata calamitate, (vt ſic dicam) Satyricus *e* eleganter *frui eos Diis iratis* proclamaſſet: quod inter gemmas huius Poëtæ, (Iu- VII.
nium Iuuenalem intelligo) iure poſuit Iulius Scalliger *f*. Digna res quæ innocenti, & per calumniam, & impotentiam eiecto accideret; vt accidiſſe notum eſt P. Rutilio Rufo; qui Quæſtor cum iuiſſet in Aſiam Q. Mutij ſcæuolæ (non C. Marij vt in epitome eſt Liuiana libro LXX. quod monet Voſſius lib. I. cap. XXII. De Hiſtoricis Græcis) in reditu ſubiit per calumniam iudicij repetundarum, & exilij calamitatem: vt Aſconius Pædianus refert in diuinationem Ciceronis. Hic ſedem exilij Aſiam delegit; cui eam petenti *Prouinciæ illius omnes ciuitates legatos ſeceſſum eius opperientes obuiam miſerunt. Exulare aliquis loco, an triumphare iuſtius dixerit?* Verba ſunt Valerij Maximi lib. II. cap. X. Idem reuocante eum Sylla noluit redire in vrbem, nec exilio decedere, vt Fabius refert lib. XI. cap. I. *æquiore vt videatur animo paſſus ſe patriæ eripi, quàm ſibi exilium g.* Quibuſdam tamen in multa egeſtate, & miſe- VIII.
riis viuendum fuit: vt Caſſio Seuero Oratori illi eximio; qui Euſebio auctore in Chronico, *vigeſimo quinto ſui exilij anno ſummâ inopiâ mortuus* refertur, *vix panno verenda contectus.* Propinquorum alij ſubleuati pietate. Tacitus *h* de Iulia Augusti nepte: *Illic* (inſula Trimera) *viginti annis exilium tolerauit Auguſti ope ſuſtentata.* Siue aliorum. Honorius Imperator Attalo Tyranno in Lyparam detruſo τὰς εἰς τὸ βίον χρείας, *quæ neceſſaria erant vitæ tuendæ* præſtitit, auctore Philoſtorgio in excerptis à Photio lib. XII. cap. VI. De fi- IX.
lia locuples teſtis Paulus noſter eſt. *Manente matrimonio* (inquit in l. LXXIII. de Iure dotium) *non perdituræ vxori ob has cauſas dos reddi poteſt, vt ſeſe, ſuoſque alat, vt in exilium, vt in inſulam relegato parenti præſtet alimonia.* Quæ quidem ipſa honeſta etiam eſt, & legitima inter coniuges donationis cauſa, ſecundum Paulum in l. XLIII. & Vlpianum in l. XIII. §. I. De donationibus inter virum & vxorem. Nam virum in exilio tenetur vxor alere, ſi inopiâ laboret; vt ex lege Mutia LXXIII. in fine. De Iure dotium, & Interpretibus plurimis docet Thomas Sanchez de Matrimonio lib. I. diſp. XLI. nu. XIII.
Suſpicari lubet geminatione illa in exilium, & in inſulam relegationis, in X.
memoratâ l. LXXIII. Inſularis vinculi vtramque formam ſubnotari; vt in inſulam relegatio clementiorem pœnam, exilij relegatio deportationem ſignificet: quod alibi iam dicta repetenti non ægrè approbabimus. Namquidem relegatis pari modo conſultum fuiſſe ac deportatis, ſi qui bonis ademptis relegarentur; vt portio iis maneret, vnde ſe alerent; cuiuſdam Piſonis exemplo confirmat Cornelius Annalium tertio libro. Atterij Senatoris eam ſententiam refert: *M. Piſo exuta dignitate, & accepto quinquagies ſeſtercio in decem annos relegaretur.* Quam mitigauit tamen Tiberius: *Marcum enim hunc Piſonem ignominia exemit, conceſſitq́; & paterna bona.*

Chriſtianorum autem exules, quibuſcum religionis obtentu ſeueriùs, XI.
atque inſolentiùs agebatur, ſiue hi deportati fuiſſent, ſiue relegati, ex communi fidelium ærario, quod, ſtipem iis poſt ſacram ſynaxim erogantibus, veluti pietatis depoſitum colligebatur, in exiliis ſuis alimenta capiebant.

e Iuuenalis ſat. X.

f In Poëtice.

g Videris Cuiacium l. 2. obſeru. 27. Voſſiũ d. loco. Torrentium ad Suetonij Auguſtum c. 27.

h Lib. 4. Annal.

 Tertullia-

Tertullianus in Apologetico. *Hæc* (inquit) *depoſita pietatis ſunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur; ſed egenis alendis, humandiſq́; & pueris, ac pupillis re ac parentibus deſtitutis, ætateque domitis ſenibus; item naufragis, & ſi qui in metallis, vel ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, dumtaxat ex cauſa ſectæ Dei.* Morem pluribus exornant D. Ferdinandus de Mendoça in aureo commentario ad Concilium Illiberitanum, canone XXVIII. & XXIX. & Nicolaus le Mariſtre in ſacri Patrimonij Illuſtratione, ſiue de Bonis eccleſiarum lib. I. cap. XVII. Non diſſimulabo id, quod ex Ariſtotele lib. II. œconom.

XII. ad rem pertinet alendi exules. Decretum ait à Lacædemoniis fuiſſe, vt vno die deberent Domini, & familia, & iumenta cibo abſtinere; & quantum inſumpſiſſent, ſi non ieiunaſſent, tantum tribuere Samiis exulibus patriam recuperaturis. Quod ipſum ſuperioris ſæculi quarto ſupra nonageſſimum anno in Lotharingia repetitum ſcribit Vehnerus in Metamorphoſi Rerum publicarum cap. XII.

XIII. Vt plurimùm, Relegationis pœna multum diuerſa fuit à deportatione, quo iam aliud diſtinctionis caput attingamus. Relegatis bona regulariter ſeruabantur; nec niſi conceptis ſententiæ verbis publicarentur, Fiſco adquiri, aut inferri poterant. Id, cum pluribus locis confirmetur veterum ſcriptorum, quæ notæ, ac perſpicuæ rei parùm lucis, lectoribus moleſtiæ non minimum afferrent; Iſidori dumtaxat Præſulis Sanctiſſimi, ac totius antiquitatis peritiſſimi verbis, expoſitioneque adiuuabo. *Inter eum* (inquit in differentiarum opere) *qui in inſulam relegatus eſt, & eum qui deportatur, magna eſt differentia; vt ait Herennius;* (ita placet pro *Orenius* Gaſpari Barthio libro tertio Aduerſar. cap. XIII I.) *primò, quia relegatum bona ſequuntur, niſi fuerint adempta; alio modo deportatum non ſequuntur, niſi palàm fuerint ei conceſſa. Ita in relegato ſi mentio non ſit bonorum, homini proſit, deportato noceat.* Idem ferè Alexander Imp. in l. VIII. Cod. De Pœnis, Vlpianuſque in l. XIV §. I. De Interd. relegatis &c. Igitur expreſſione opus eſt, vt relegato auferantur bona: quod ita fieri conſueuiſſe Piſonis exemplum paulo antè allatum monſtrat, & præter nota, & vulgaria Iuris capita, Macri noſtri aliud in l. vnica D. Si pendente appellatione mortuus ſit. Vnde ſcimus exilium illud, ſiue φυγὴν, quâ damnatus refertur Agrippinus in enarratore Epicteti Arriano, primi libri cap. I. relegationem fuiſſe, quandoquidem eum inducit audita exilij damna-

XIV. tione interrogantem, *De bonis quid?* fingitque Arrianus illi reſponſum, *Non adempta ſunt.* Inane iudicium (vt diximus) hoc vocat Iuuenalis. Sat. I. quem propter multa pulcherrimè dicta huiuſmodi, meritò vulgus eruditorum

i In vlnis tenet. ἀγκαλίζεσθαι i, & in oculis habet. De Mario ſpoliatæ in Proconſulatu Prouinciæ Africæ reo, bienniòque tantum abſtinere Italia iuſſo, quòd ſanè publicata non fuiſſent eius bona, grauiter, acuteque his cenſet

> *& hic damnatus inani*
> *Iudicio* (*quid enim ſaluis infamia nummis?*)
> *Exul ab octaua Marius bibit; & fruitur Diis*
> *Iratis: at tu victrix Prouincia ploras.*

Vbi vetus ſcholiaſtes *inani iudicio* interpretatur *non ademptis bonis.* Poſtremum verò illud de Ira Deorũ deſumpſit fortaſsè ex noſtro Seneca, & eius

XV. Iunone in Hercule furente *k, iraq; noſtra fruitur.* Profectò relegationis beni-

k Verſu 34. gnior pœna ſæpè irrogata eſt cum appendice iſta proſcriptionis; ſed quam neceſſe fuit expreſſim decernere: vt Cæſoni Quintio apud Liuium lib. III. de quo placuiſſe ait, *vt diuenditis omnibus aliquandiu trans Tyberim veluti relegatus in vili quodam tugurio viueret.* Ad quem morem is reſpexit, qui Commodi ætate dicterio illo vſus dicitur aduerſus Solonem quendam, quod in Commodo refert Xiphilinus: *Iamq; multi* (ait ille) *conſumptis omnibus facultatibus*

*tibus cooptabantur in ordinem Senatorium, ita vt dictum ſit de Iulio Solone homine ignobili* ἤλθεν εἰς τὸ συνέδριον, τῆς οὐσίας στερηθεὶς ἐξωρίσθη, *eum ſpoliatum facultatibus in ſenatum fuiſſe relegatum.* Agnoſco etiam in damnatione Scauri, & Gabini nutu Pompeij facta notam relegationis. Appianus ait in ſecundo bellorum ciuilium. ὁ μὲν Σκαῦρος ἑάλω καὶ ὑπὸ πάντων φυγῇ κατέγνωστο. Γαβίνιος δὲ καὶ δημεύσεις ἦν ἐπὶ τῇ φυγῇ. hoc eſt: *Scaurus damnatus eſt, & conſenſu omnium relegatus; Gabinius inſuper bonis mulctatus eſt.*

In Græcia ſimiliter fuit mos ille iudiciorum, vt proſcriptiones facultatum non ſemper fierent. Δημεύετε πολλάκις (ait Libanius declamatione VII. Hyperidis nomine ad Athenienſes) ὑμεῖς οὐσίας τῶν καταδίκων: *Sepenumerò publicatis eorum bona, qui damnati ſunt.* Et quidem inter φυγὴν, & ὀστρακισμὸν hoc intereſſe ait Suidas *l*, quòd oſtraciſmo eiectorum bona populus non contingebat, ſecùs atque cæteris exulibus factum. Apponam Græca, vt fideliter vertam; non vt interpres facit, verba Romani moris, quo magis explicet, pœnis legum Græcarum accõmodans. Ὁ ὀστρακισμὸς φυγῆς διαφέρει. ὅτι τῶν μὲν φυγῇ ἁλόντων αἱ οὐσίαι ἐδημεύοντο. τῶν δὲ ὀστρακισμῷ ἀποστάντων οὐκ ἀφῄρει τὰ χρήματα ὁ δῆμος. *Oſtraciſmus* (ait) *à fuga difert: quòd* φυγῇ *damnatorum facultates publicabantur; at eorum, qui per oſtraciſmum abſcedebant, populus bona non auferebat.* Non placet, quod oſtraciſmum relegationis nomine interpretatur ὀστρακισμὸς relegationem in quibuſdam refert, ſed non ſolidum explet ſignificatum relegationis. Relegatio cùm perpetua eſt, tum temporaria: deinde & cum proſcriptione, & ſine ea imponitur: Oſtraciſmus per decennium durabat, nec ad bona pertinebat: imò quem in pœnam criminis non ſpoliatum rebus ſuis eieciſſent Athenienſes, non quidem oſtraciſmo iſtum abeſſe, ſed fuga damnatum dixeris. Quanquam non ignarus ſim, inferioris æui Græcos auctores oſtraciſmum de relegatione vſurpaſſe. Exemplo eſt inter alios Theophylactus Simocatta lib. I. Hiſt. Mauricianæ cap. VIII. Ἐξοστρακίζεται γοῦν ὁ Ταργίτιος ἐπὶ τὴν Χαλκιτίδα νῆσον. *Relegatur itaque in Chalcitidem Inſulam Targitius*: & plures alij. Eiectorum quoque ad tempus bona publicata ſcio in vrbe Athenarum: ſed vereor nè inſolenter; nam de XXX. Tyrannorum tempore Plutarchus ait memorans Lyſiæ Rhetoris fortunas in vitis XII. oratorum. Ἐξέπεσεν ἑπτὰ ἔτη μείνας, ἀφαιρεθεὶς τὴν οὐσίαν: *exactus eſt in ſeptem annos, bonis ademptis.*

Quidquid autem ſit de publicatione bonorum relegati, extra tamen regulam illam remanet, qua deportatus eorum etiam bonorum, quæ in exilio quæſiuit, hæredem habet Fiſcum. Relegatio cum non auferat neque ciuilia, neque gentium iura; æquè non denegat damnato ſucceſſiones, aliaque teſtamentorum & contractuum compendia: neque item Fiſco obnoxium hominem in exilio conſtituit. Quare omnia ſibi poſt publicationem delata, quæſitaúe, is iure ſuo poſſidet, diſpenſatque etiam moriens, quantumuis cauſam ex præterito tempore habeat *m*.

Sed durum, & inciuile Romanis viſum Principibus, ſi tempus vtique determinaret exilium, & abſentiam, non autem egeſtatem: exuleſque ad vrbem, nec ad ſubſtantiam, & facultates ſuas reuocarentur. Ideò reſcriptis inualuit vtriuſque relegationis perpetuæ, ac temporalis hæc differentia, vt in poſteriore neque omnia bona, neque pars bonorum publicaretur. *Ad tempus relegatis* (ait Vlpianus) *neque tota bona partem adimi debere, reſcriptis quibuſdam manifeſtatur*: l. VII. §. IV. D. De Interdictis &c. De bonis, (quod explico, bonis omnibus) conceptum videtur Papiniani reſponſum in lib. XXXIX. De Iure Fiſci: quod minùs rectè Accurſius retulit ad pœnam tantùm deportationis: *Bona Fiſco citra pœnam exilij perpetuam adiudicari ſententia non oportet.* Hic ſenſus eſt reſponſi, ſolidam publicationem (quæ τελεία, *perfecta*

l Ἐν ὀστρακισμῷ.

m *Poſt antiquos ita Ruinus conſ. 123. n. 3. l. 4. aliique apud Gratianum diſcept. forens c. 309. n. 10. & ſeqq. vol. 2.*

*fecta* in conſtitutionibus audit Græcis) bonorum fieri non poſſe, niſi pellatur damnatus in perpetuum exilium, ſiue relegatio, ſiue deportatio id ſit.

XXII. Perpetuæ etiam relegationis proſcriptionem inhibuiſſe lego Traianum Imperatorem (ſi non Hadrianus eſt, vt in Græcis ſcholiis Baſilicῶn) reſcripto quodam ad Didium ſecundum, cuius hoc caput noſter adducit Pomponius in l. I. D. De Interdictis &c. *Scio* (inquit Princeps) *relegatorum bona auaritia ſuperiorum temporum Fiſco vindicata: ſed aliud clementiæ meæ conuenit, qui inter cætera, quibus innocentiam rationum meorum temporum, hoc quoque remiſi exemplum.* Aut compendium orationis factum, aut verbum ſupplendum eſt ex Græco ſcholiaſte huius loci, qui reſcriptum fideliter, quod omiſſerunt Baſilici compactores, præfixo tamen Hadriani nomine, repræſentat, ὅστις μετὰ τῶν ἄλλων δι' ὧν ὁ ἀβλαβὴς λόγος τῶν ἐμῶν χρόνων δείκνυται, καὶ τοῦτο συνεχώρησα τὸ ὑπόδειγμα: hoc eſt: *qui inter cætera, quibus innocens ratio meorum temporum oſtenditur, hoc etiam remiſi exemplum.* Fugit, credo, ſimile verbum in Latinis exemplaribus, vt ambiguitas omnis, & figuratus ſermo à reſcri-

XXIII. ptis, quod vero magis ſimile eſt, (ſi quidem facilè poteſt) auferatur. Nullus tamen dubito, quin huius reſcripti auctor vniuerſorum bonorum publicationem reprehenderit, non partis. Alioqui Marcianus quare ſcripſit in l. IV. De Interdictis &c. *Nam eorum qui in perpetuum exilium dati ſunt, vel relegati, poteſt quis ſententia partem bonorum adimere?* Vbi in perpetuum exilium dati non alij ſunt à relegatis, quod benè monet Cuiacius: aut particula *vel* non diſiunctiua eſt, ſed copulatiua pro *etiam.* Et quidem partis bonorum publicationis mentio eſt poſt Reſcriptum in lib. XXXVIII. §. V. De Pœnis (quam vocat publicationem particularem Gordianus in l. vltima. C. Si Reus vel accuſator &c.) & in Pauli ſententiarum lib. V. Tit. XXVI. §. III. laudati etiam in Collatione Iurium Moſaici, & Romani Tit. De ſicariis: Vbi nouè dicitur, *dimidiâ parte bonorum relegari*: quod aliàs eſſet, *dimidia parte bonorum adempta relegari.* Hanc ſimiliter relegationis, & deportationis differentiam agnoſcit Hiſpana lex IV. Tit. XXXI. Partita VII.

CAPVT

# CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

## Fiſcus ſoluit creditoribus damnati.

I. *Fiſcus in bona, & iura omnia damnati ſuccedit.*

II. *Onera item, & obligationes ſuſcipit.*

III. *Alendi ſcilicet filios, dotandi filias, creditoribus ſoluendi.*

IV. *Nempè vxori dotem, cæteraque quæ habere ei permiſſum eſt ex bonis viri.*

V. *Poteſt tamen vxor propria auctoritate ea vindicare.*

VI. *Aut de dote actione agere, propria quidem ſi à viro receſſit, impropria ſi affectionem coniugis retinet apud Romanos.*

VII. *Indotata etiam petere quartam bonorum.*

VIII. *De ſucceſſione damnati liberti: & quomodo fiſcus portionem ſoluat patrono, aut patroni filiis.*

IX. *Legis* VIII. *De bonis damnatorum ſententia demonſtratur & apertior redditur ex Baſſilicis.*

X. *Quæ quidem Iuſtiniani Nouellam* CXXXIV. *in hoc non ſequuntur.*

XI. *Iura libertorum auferre patronò dãnato ſolus Princeps poterat.*

XII. *Dinumerantur alia creditorum genera quibus Fiſcus ſoluit.*

XIII. *Parte publicata Fiſcus, & damnatus pro rata portione tenentur.*

XIV. *Creditores qui ex lucratiua cauſa veniunt, an Fiſcus, potiore loco ſint?*

XV. *Fiſci cauſa lucratiuanè, an oneroſa?*

XVI. *De fideiuſſoribus damnatorũ.*

XVII. *Bonis publicatis quatenùs liberetur damnatus.*

XVIII. *Fideiuſſores, antequàm ſoluatur re verà à Fiſco, non liberantur.*

XIX. *Et ſi ſoluerint ex ſuo, ad Fiſcum conuertuntur.*

XX. *In Fiſcalibus debitis confiſcatione ipſa qua Fiſcus ſibi ſoluit, fideiuſſores liberantur.*

PRiuſquàm abſoluamus de hac vtriuſque exilij differentia, breuis opera I.
eſt quærendi, quomodò creditores damnati, cui bona omnia, ſiue pars,
adempta ſunt, Fiſcus excipiat. Fiſcus planè in locum bonaque damnati ſuc-
cedere dicitur, in l. II. C. Ad legem Iuliam de vi &c. & quaſi hæres eſt *a*.
Ideò Iura quæ in bonis ſunt, recipit, exercetque. At etiam onera ſubit: l. X. II.
inferiore. De bonis damnat. l. IX. §. I. De condition. & demonſtrationibus.
Vſque ad vires facultatum publicatarum: quare ſi ſoluendo non ſint, & vel
creditoribus non ſuffectura, quia nihil ex his Fiſco adquiri poteſt, credito-
ribus concedi ſolent, l. VIII §. I. D. Qui teſtam. facere poſſunt. Et quidem
talia ipſo Iure ad Fiſcum pertinere, Labeonis ſententia fuit, quam ex edicti
verbis reprehendit Calliſtratus in l. I. §. I. De Iure Fiſci: cum ea videantur
ad aliquem ipſo iure pertinere, quæ in bonis eiuſdem eſſe poſſint: idque in
bonis dicatur alicuius eſſe, quod æri alieno ſupereſt, vt Iauolenus ait in l.
XI. D. eodem titulo. Sed veriùs ex illa ſucceſſione damnati, quam Fiſcus III.

*a* V. Gotof. in l. 128. de Reg. Iuris Peregrinũ de Iure Fiſci l. 5. c. 1. n. 53. & 60.

per Ærarij ſui Præfectum Romæ apprehendebat *b*, & quæ idonea ſit, omnibus ſpoliati, & ſententiam paſſi obligationibus reſpondere, ac ſatisfacere tenebatur. Nempè alendi filios, & in his fæminas dotandi *c*; quod præceptum Iuris naturalis ſcriptis etiam legibus confirmatur, acceperuntque in ſuas Reſpublicas etiam tyranni; quod Lacedemonis Polibiano exemplo alio loco manifeſtum reddidimus: conditionibus iiſdem parendi l. LX. §. I. De condit. & dein creditoribus ſoluendi. Inque his numero præter filios, quorum reſeruabantur legitimæ ipſis portiones *d*, vxorem in primis pro dote; dein patronum damnati liberti; demum cæteros creditores.

IV. Vxores, quia ſua ipſarum dos eſt conſtante matrimonio *e*: earumque *f* in bonis, & proprium patrimonium *g* eſſe dicitur, & in naturali *h* Dominio haberi; recipiuntur iure inter creditores mariti (propterea quòd is poſſidet) à Iuliano in l. XXXI. principio De ſoluto matrimonio &c. & à lege noſtra III. Tit. IV. lib. VIII. Compilationis. Eorum etiam nomine, quæ ab innoxiis adhuc maritis ante nuptias titulo donationis acceperint, vel durante matrimonio ad eas virorum largitione ante proſcriptionem peruenerint: quod aiunt Imperatores Conſtantinus in l. Res vxoris XXIV. C. de Donat. inter vir. & vxorem; Arcadiuſque & Honorius in l. ſi qui poſt hac IX. C. de bonis proſcriptorum. Arrhæ item ex noſtra l. III. Tit. IV. lib. VIII compilationis. Hiſpano quidem Iure, & pro dimidio eorum: quæ mariti conſtante matrimonio lucrati ſunt; l. LXXVII. Tauri hoc eſt l. X. Tit. IX. lib. V. Compilationis *i*. Quod item in mariti hæretici bonis tenent noſtri, Simancas, & Quemada, quos laudat Franciſcus Pena in Notis ad Eymerici Directorium

V. *k*. Deinde quia propter virorum culpam inquietari vxores leges vetant, l. II. C. Ne vxor marito &c. & peccata ſuos tenere debent auctores, ex l. XXII. C. de Pœnis, ex vtroque ſcilicet factum capite, vt vxor eiuſmodi res veluti manu iniecta mox vindicet *l*; aut ſi occupatæ ſint à Fiſco, ſtatim, hoc eſt, ſine cognitione, aut figura iudicij, (vt Bartolus alicubi *m* interpretatur) recipiat: l. IX. C. de bonis proſcriptorum. Quid refert addere, (cum ad rem vxoris non faciat plus an minùs vir peccauerit) etiam in ſeueriſſima cauſa Maieſtatis: l. V. §. V. C. Ad leg. Iuliam Maieſtatis *n*? Ita inquam; maximè ſi receſſiſſet à damnati matrimonio: tunc enim vteretur actione dotis pro-

VI. pria, & legitima aduersùs Fiſcum. Sed, & ſi non receſſiſſet, nec affectionem coniugis mutauiſſet, æquitatis non obſcura ratione, nec non exemplis obtinuiſſe, ait Alexander Imperator, nè indotata ſit, vt poſtulare, & recipere dotem poſſet; l. I. C. De Repudiis: vt latiùs alio loco memini me adnotare. Vergente nimirùm ad inopiam viro, (quod maximè videtur deportato, ac proſcripto contingere) dos ritè olim, & nunc peti conſueuit; & adhuc conſtante matrimonio exigi: imò adquiſita etiam conſtante matrimonio,

VII. ſi communicatum ſit inter coniuges lucrum; quod vel extra Hiſpaniam contingere docet Andreas Gaillius Germanus *o*. Si vero indotata ea ſit poſſe quartam bonorum mariti ſibi debitam conditione ex lege petere; debitam ſcilicet ex Nouella CXVII. cap. V. ſiue Authentica *Præterea* C. vnde vir & vxor &c. plures Nouiorum *p* affirmant: quamuis non nemo *q* ex his qui additiones fecit ad Iulij Clari ſententiarum receptarum libros, neget hoc in vſu eſſe. Excipiunt & quidam *r* eam mulierem, quæ nupſit iam confiſcando.

VIII. De Liberti damnati ſucceſſione ſcripta eſt l. VIII. ex Baſilicis traducta, D. De bonis damnator. Marcianus ait. *Si ſit filius patroni, Fiſco non patet aditus ad bona damnati liberti.* Docere debuit, penitùs nè, an ex parte: quod quidem ſcholia Græca non omiſſerunt: εἰς τὸ μέρος τοῦ υἱοῦ τοῦ πάτρωνος *in partem filij patroni.* Vnde dicta lex VIII. petita eſt ad verbum, non ex Baſilicis

b L. 13. De Iure Fiſci.
c V. Gailiũ de pace l. 2. c. 16. n. 20.
d De quibus tractãt plures apud Sixtinum de Regalibus l. 2. c. 12. n. 20.
e L. 75. De Iure dotiũ.
f L. 4. De collat.
g L. 3. §. 5. De Minor. l. 16. De Religioſis l. 14. princ. ad leg. Falc.
h L. 30 C. De Iure dotium.
i Vide Gailiũ l. 2. obſ. c. 86. n. 14. & de Pace l. 2. c. 16. n. 14.
k 3. p. q. 111.
l V. Addit. Clari l. 5. §. fin. q. 78. n. 79. vbi plures: Caſſaneum in cõſuet. Burgund. R. 2. §. 2. n. 4.
m In l. 22. §. 1 De Iure Fiſci.
n V. Pereg. de Iure Fiſci l. 5. c. 1. n. 82. Peña vbi proximè.
o L. 2. de Pace c. 16. n. 13.
p Pereg. l. 5. c. 1. n. 81. Gaillius 2. obſeru. c. 86 n. 17. & de Pace d. c. 16. n. 16.
q In d. q. 78. n. 87.
r Gailius d. c. 16. n. 21. Sixtinus de Regalibus l. 2. c. 12. n. 19.

ſiliciſ ipſis conſtitutionibus. Quarè in Pandectis diſerta eſt mentio huius partis. *Si filius patroni exiſtat liberto, Fiſco locus non eſt in partem filij patroni.* Iterumque in §. abhinc tertio: *Sed & ſi nolit filius patroni petere bonorum poſſeſſionem conſtat Fiſcum excludi in partem ei debitam ex bonis paterni liberti*: qui etiam paragraphus ex ſcholiis eſt, vt cætera huius legis. Hanc eandem diuiſionem portionum inter patronum, filiumúe patroni, & Fiſcum conſtituit Florentinus in l. xxviii. D. De bonis libertorum. Sed rogo; ad quemnam IX.
hæc pars ſpectabit, quam nec patronus vult percipere, nec Fiſcus poteſt? Nullus enim dubito, quin repudiante portionem ſibi debitam patrono, aut filio patroni, Fiſcus in vacuam admittatur ex generali publicatione bonorum: renuntianſque iuri ſuo patronus impedire non poſſit vniuerſale ius confiſcationis. Credo ſcholium hoc, imò legem ipſam Marciani Baſilicis contextam, non de repudiante, ſed de omittente adhuc petere bonorum poſſeſſionem patrono intelligendam eſſe: Intra ſcilicet annum; quod tempus præſtari patrono conſueuiſſe ad exemplum patris manumiſſoris veroſimile eſt: ex l. iv. §. i. D. Quis ordo in poſſeſſionibus ſeruetur. Vel hic erit intellectus. Si tertius aliquis adeptus ſit portionem illam patronali verecundiæ debitam, nec patronus eam vindicare velit, non ideò Fiſcum vindicare poſſe, aut ſubintrare in ius patroni. Cenſetur enim beneficio ſuo patronus ceſſiſſe, vt tertio illi quæratur: quam interpretationem confirmat exemplum ab eodem ſcholiaſte allatum, & regula; quòd, quando in re aliqua excluditur quis, & ſuperatur ab alio, licet eam alius detineat, & non is qui vicit, non poteſt victus eam poſſeſſori eripere, quaſi nullo Iure poſſidenti. Deinde ait Marcianus, vt Græca ſonant: *Sed ſi ipſe libertus habeat filium, ipſe quidem excludit filium patroni, filius patroni Fiſcum.* Hoc ſincerius eſt, & clarius, quam vt ſcholio indigeat, cuius verba ſunt illa ſubobſcura in Pandectis appoſita. Lege Papia Popæa (ad quam debuit Marcianus, tanquam ad ſui temporis ius reſpicere) filius eius liberti, qui centenarius non eſſet, hoc eſt qui ſeſtercium centum millium patrimonium non reliquiſſet, excludebat omninò patronum, vt docet Iuſtinianus in §. Poſteà verò. Inſtit. De ſucceſſione libertorum. Hæc ergo eſt Marciani ſententia; ſi patronus, aut filius patroni excludit Fiſcum, quanto magis excludet filius liberti qui vel patronum ipſum, filioſque eius excludit: quandoquidem vera eſt ferè ſemper Regula illa, *ſi vinco vincentem te, à fortiori ratione vincam te.* Animaduertendum tamen eſt Marcianum loqui de dimidio hæreditatis, ſeu bonorum liberti, quod patrono debebatur, ſi filius non extaret liberti; ad hanc enim portionem certum eſt, extantibus patrono, & liberti filio, Fiſcum admitti non poſſe, cum excludatur is à patrono, nec item patronus, quòd excludatur is à liberti filio. Cum hoc autem ſtat, vt ad dimidium alterum Fiſcus ſine aduerſario accedat. Attamen poſt Iuſtiniani Conſtitutionem quæ filiis X.
damnatorum ſolidam paternalium bonorum ſucceſſionem indulſit, Nouellam ſcilicet cxxxiv. de quâ ſuprà nos, non omninò aptè vtuntur ſuperiori regula, & argumento Baſilicæ. Hoc enim iure non à portione tantùm, ſed ab hæreditate integra liberti filius Fiſcum excludit. Sed planè non video hanc Iuſtiniani Conſtitutionem in Baſilicorum libros admiſſam, vt alia ſolent huius Imperatoris: quanquam, vt vigentem laudent Græca ſcholia lib. lx. Tit. liv. ad legem xv. περὶ παραγγελιῶν &c. ſiue *de Interdictis*. Hæc de liberto damnato. Verum idem Marcianus hoc eodem loco monet nos vſur- XI.
pati cuiuſdam moris in damnato patrono; auferri nempè relegato non poſſe citra iuſſionem Principis iura libertorum; quod ſummum continet fauorem manumiſſoris: & abſque hoc fragmento eſſet, placitum hoc antiqui Iuris ignoraremus.

XII. Cæteri creditores ſequuntur, quibus poſteriore loco debet ſatisfieri per Fiſcum. *Omnium Fiſcalium pœnarum* (ait Modeſtinus l. XVII. De Iure Fiſci) *petitio creditoribus poſtponitur.* Qui quidem ius ſuum intra præfinitum temporis ſpatium, vt moris eſt ſ, perſequi debent, & Fiſcum conuenire. De quibuſdam debitis monere non grauabor; quia de his ſcripta ſunt iuris diſerta capita. Tenetur Fiſcus tutelæ, quam adminiſtrauit damnatus; l. V. C. De bonis proſcriptorum. Tenetur ex fideicommiſſo, quod reſtituere planè debet, l. XVII §. V. D. Ad S. C. Trebellianum: deducitque quartam l. III. in fine D. eodem, l. II. in fine D. Si quis aliquem teſtari prohibuerit: vbi Falcidiæ legis commodum quartæ huius, quæ ex Trebelliano venit, deductionem, vt ſæpiſſimè ſolet t, καταχρηστικῶς ſignificat. Si conditionale ſit fideicommiſſum, repellit interim petitorem vſque dum conditio pendet; l. XLVIII. §. I. De Iure Fiſci. Item ex promiſſione dotis tenetur l. X. De bonis damnatorum, quæ ex Baſilicis eſt; l. VI. §. I. De vſuris. Et ex alimentorum causâ, l. II. §. VII. D. De Alimentis & cibariis legatis.

*ſ Peregrinus d. c. I. ex n. 199.*

*t Exempla reperies apud Donel. 7. Com. inſ. vbi Hillig. D. Cõtium l. 2. lection. c. 4.*

XIII. Parte publicata, ſiue publicatione particulari facta (quomodo in Reſcripto quodam u appellatur) actionem dirigi pro eâ portione aduerſus Fiſcum Antoninus reſcripſit in l. II. C. Ad leg. Iuliam de vi publica. Pro eo quod retinet damnatus, ipſe tenetur; vt oſtenditur in l. I. C. De Fideiuſſoribus. Si mediam capitis minutionem paſſus eſt, vtpote peregrinus, vtilibus conuenietur: relegatus etiam ciuilibus, & directis actionibus. Etenim ambiguum eſt, vtrum horum exilium Lyſiæ illi, ad quem reſcriptum fuit in ea lege, ſit impoſitum: de quo variè, contrarieque aliis & aliis locis exiſtimat Cuiacius: quare inter variantia eiuſdem obſeruauit Emundus Merillius lib. II. cap. XV. ipſe quidem pro deportatione ſententiam ferens. Vterque, & Fiſcus, & qui damnatur, pro ſuis portionibus tenentur: puta ſi tertia pars relicta ſit, beſſem vniuſcuiuſque debiti Fiſcus ſoluet; trientem is, cui relicta eſt. Hoc ſenſu dicuntur pro parte, ſiue pro rata portione teneri, in d. l. I. C. De Fideiuſſoribus, d. l. II. C. Ad leg. Iul. de vi. l. III. C. De ſent. paſſis. Atque ad regulam iſtam, obligationiſque partitionem deducenda ſunt verba Iuliani alioqui generalis ſententiæ in l. XXXI. in principio D. Soluto matrimonio &c.

*u L. vlt. C. ſi Reus, vel accuſat. mort.*

XIV. Sunt deinde aliud genus creditorum qui non vt damnum datum reſarciant, ſed de lucro captando agunt: de quibus particulatim monere operæ

XV. pretium eſt. Similes hi ſunt, atque eiuſdem ferè rationis cum Fiſco: nam verè Fiſcus non ex cauſa, vt loquuntur, onerosa, ſeſe infert: niſi quòd in perſequendo delinquente, rebuſque in Ærarium cogendis ſumptus aliquos faciens, non omninò de lucro agere videri poteſt: in quo valdè diuerſa ſcribunt Hieronymus Gygas, & Mathæus Afflictis x. Sed vniuerſitati bonorum publicatæ pergit amplius oneroſæ cauſæ rationem, iuraque Caſſaneus y tribuere; quòd ſcilicet introducta videatur publicatio pro expenſis quæ fiunt in cauſis delictorum. At cùm Oldradus, quem pro ſe tantùm is adducit, auctor contrariæ partis ſit z, non multum in re Caſſaneus promouet. Et de lucro captando agere dicuntur hi, quibus certa pars, aut ſumma ex bonis damnati adiudicatur, ſiue præmij, ſiue ſolatij, ſiue recepti damni nomine. Profectò, quia partim reſpondere in dubiis quæſtionibus contra Fiſcum tutius eſſe, ait Modeſtinus in l. X. De Iure Fiſci: partim his creditoribus, qui pœnam, aut quid ſimile ex lucratiua cauſa perſequuntur, nuſquàm diſertè rationes Fiſci poſtponi ſolent, cùm nec diſtinguant genera hæc duo creditorum lex XXXVII. De Iure Fiſci, & l. vnica C. Pœnis Fiſcalibus &c. libro X. non ſine controuerſia res tranſigitur: licet noſter Didacus Couarruuias Fiſco magis faueat, & Iulius Clarus, alter lib. I. Variarum cap. XVI. nu. 8. alter

*x Apud Peregrinum d. c. I. n. 193 quem vide, & Baiàrdũ ad Clarũ d. q. 87. n. 169.*

*y In Conſ. Burg. Rub. 2. §. I. n. 31.*

*z In Conſ. 17. n. 12.*

lib. v. §. vltimo q. LXXVIII. nu. 3. Nobis ſumma rerum capita colligere, nè
publicationis formam omitteremus, perfunctoriè hîc verſantibus ſatius
fuerit, quàm controuerſa quæque retractare, inque altos, & obſcuros quæ-
ſtionum ſinus curioſiùs inſpicere. De iure iſtorum, ac delatoris, qui præ-
mio donatur, an creditor appellari debeat, ſeu pars legitima, ſecundùm ve-
teris, noſtræque prudentiæ Iuris Regulas, Amaia noſter agit in Commenta-
riis x. libri Codicis *aa*.

Supereſt vt fideiuſſoribus damnatorum ius ſuum paucis demonſtrem. XVI.
Hi quidem principali reo bonis ſpoliato, non aliter liberantur, quàm ſi ſo- *aa Ad l. vnic. n. 68. Pœnis Fiſcal. &c.*
lutum ſit creditoribus. Eæ ſolum defenſiones reorum, quæ obligationem
extinguunt, ſiue quæ integro manente ſtatu perſonæ *bb*, rerumque ipſius
competunt, interceſſoribus proficuę ſunt. Parum enim refert liberari reum, *bb L. XI. C. de exceptionibus.*
ſcilicet intercedente aliqua pœna, quî cum ſtare nequit obligatio, ſi tamen
hæc durat, in quam cauſam accepti ſunt fideiuſſores. *Tota* ſanè *obligatio* con-
tra deportatum, ſiue peregrinum factum, aut ſaltem ſolidè proſcriptum ex-
tinguitur; vt Papinianus ait in l. XLVII. De fideiuſſoribus. *Tota*, id eſt omnis: XVII.
ſiue tota obligatio pro eo quòd eſt integra ex naturali, & ciuili coaleſcens.
Ideò pro temporis præteri obligatione damnati non accipi fideiuſſorem
Papinianus eodem loco monet (cui non repugnabit l. vltima D. de duobus
reis, ſi Cuiacius conſulatur. Videris de harum legum controuerſia Ge-
noam Patauinum, & cæteros Conciliatores) cum nè naturalis quidem obli-
gatio poſt publicationem damnato *cc* maneat; quæ aliàs ſufficeret vt fide- *cc V. Gratianũ vol. 3. Diſcept. c. 423.*
iuſſio interponi poſſet, ex §. I. Inſtit. De fideiuſſoribus. Obligatio naturalis
vnà cum ciuili ab eo recedit, qui bonis ſuis ſpoliatur, ſiue integer ſit, ſiue
ſtatum mutet, dummodò idonea ſint, & creditoribus ſuffectura: eaque ad
Fiſcum tranſit cum ipſa re, & ſucceſſione damnati. Et quidem reuera tunc
exuit prorsùs hanc obligationem proſcriptus, quando ſatis fit creditoribus
à Fiſco: interim, quia hoc ſperatur, & liberari iam incœpit, iure non reci-
piuntur pro debito iſtius fideiuſſores. At ſi pro parte tantùm ſoluendo ſint
bona, eatenùs liberatur: reſiduum, quia nihil habet, ciuiliter non debet, ma-
ximè deportatus: ſed naturaliter debet; hoc eſt naturale debitum non ex-
tinguitur; Ideoque ex bonis in exilio quæſitis ſoluere poteſt, quin Fiſco vi-
deatur fraus creari. Quod licet nulla Iuris parte oſtendatur, certiſſimam
habet rationem; cum Fiſcus morienti demùm ſuccedens eandem ſolutio-
nem facere teneatur. Si tamen exul reſtitutus ſit, naturali, quæ non extin-
cta eſt, obligatione adnaſcitur, ſiue admouetur ciuilis inſtaurata. Sed ſi ex
parte liberatus eſt, quòd in ſolutionem partis tantùm bona, ſiue in publi-
cum redacta, ſiue conceſſa creditoribus, ſuffecerant, fideiuſſor eius partis
nomine, quæ ſoluta non eſt, ſecundùm obligationem damnati naturalem
meritò recipietur.

Ergo Fiſcus in locum, & ius damnati ſuccedit; Fiſcus conuenitur pro XVIII.
damnato: ſed fideiuſſores non liberantur vſque ad veram ſolutionem: l. I.
l. XV. l. XX. C. De Fideiuſſoribus. Nè beneficium plures excutiendi, eligen-
dique inter debitores, quem conuenire velint, creditoribus inuideatur. Hoc
eſt, quod ait l. I. C. eodem tit. etiam ſi pro parte tantùm is teneatur cui pars
bonorum adempta eſt, *fideiuſſores tamen iure priſtino*, hoc eſt in ſolidum, *con-
ueniri poſſe*: & in vniuerſorum bonorum publicatione lex XX. *ſententia bono-
rum omnium ademptionem continente rei damnati principalis* interceſſores eli-
gendi creditori poteſtatem non adimi. Olim tam reus, quàm fideiuſſor ex-
cuti, conuenirique priori loco poterant; nec Fiſcus in eiuſmodi ſucceſſio-
nibus iure ſuo, & priuilegiis ſuis, ſed priuato iure vtitur; l. VI. D. De Iure XIX.
Fiſci. Promiſcuè igitur, & aduersùs eum, & aduersùs fideiuſſorem actio

 permit-

permittenda erat; & ſi quidem fideiuſſores eligerentur, & ſoluerant, hos aduerſum Fiſcum regredi opus erat. Hodie promulgata Iuſtiniani Conſtitutione, quæ eſt in Nouella IV. cap. V. ſiue Authentica, *Præſente*, C. De Fideiuſſoribus; priori loco Fiſcum excuti oportet; deinde ac poſteriori ad fideiuſſores accedi: quod neoterici DD. *dd* Fuſius tractant. Necdum enim
XX. (vti iam diximus) fideiuſſores ſtatim à publicationis die liberari videntur, quouſque non ſoluitur creditoribus; ſecùs atque pro debito Fiſcali receptis accidit: quorum obligationem, ſuccedente in bona debitoris Fiſco, ſibique quaſi ſoluente, intercidere Iuris eſt certiſſimi, ſcriptumque Papinianus reliquit in l. Debitori l. De Fideiuſſoribus *ee*.

dd *Pereg. d. c. 1. n. 60. Gaillius de Pace d. c. 16. n. 9. & obſeruat. d. c. 27. Heringius de fideiuſſoribus c. 20. §. 14. n. 8.* ee *V. Pirrhum Maurum Tract. De Fideiuſſoribus, ſecunda parte principali, tit. ſiue §. 68.*

# CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

## Differentiæ aliæ duæ inter deportatos & relegatos. à loco, & à Iudice. De Iure gladij Præſidum Prouinciarum.

I. *Alia deportationis, & relegationis à loco exilij differentia.*

II. *Deportatorum ſedes inſulæ aſperiores, locaue alia deſerta.*

III. *Relegatorum lenius fuit exiliū.*

IV. *Quod varia exempla docent.*

V. *Aliquando autem cum relegatis ſeuerius actum; vt cum Ouidio.*

VI. *Deportati tranſportabantur in exilia ſua; relegati dumtaxat ire iubebantur.*

VII. *Differentia alia; quia non eiuſdem poteſtatis fuit deportare, & relegare.*

VIII. *Præſides Prouinciarum deportare non poterant.*

IX. *Partitio Prouinciarum ab Auguſto facta inter Romanum Imperatorem, & Senatum.*

X. *Videtur tamen Ius deportandi eis tribuere Vlpianus in l.* VI. *§. vltimo.* De Pœnis.

XI. *Nam & Ius gladij, quod maius eſt, habuerunt.*

XII. *Emundi Merillij conſiliatio quædam, differentiaque inter Præſides diœceſſum, & particulariū Prouinciarū refertur.*

XIII. *Improbatur ea diffuſè: & Vlpiani iā laudati aperitur mēs.*

XIV. *Regula illa,* ei licere, quod minus eſt cui licet, quod plus eſt, *non ſemel fallit.*

XV. *Vt in l. vnica C. Ne ſine iuſſu Principis &c.*

XVI. *Quæ integra eſt in Theodoſiano codice, indeque petenda.*

XVII. *Omnes omninò Præſides Ius gladij habuerūt, quòd primò ex Dione Caſſio infertur aduerſus Merillij placitum.*

XVIII *Et ex Iuriſconſultis, qui nuſquàm illam ab eo poſitam differentiam agnoſcunt.*

XIX. *Nec item in reſcriptis, aut aliis monumentis Imperatorum vlla iſtius rei vola, aut veſtigium.*

XX. *Satisfit argumento Merillij ex L.* IV. *C. De locato.*

XXI. *Ex reſcriptis non deſumendum ſemper vniuerſale argumentū.*

I. RElegationis in Inſulam, deportationiſque diuerſam conditionem non minùs fecit loci conditio, & ingenium; ſeu exilij ſedes; non vnius quidem

dem naturæ: ſed deportatorum aſpera, inclemenſque: relegatorum benignior, & clementior. Iſidorus teſtis eſt in differentiis. *Item diſtant in loci qualitate, quòd cùm relegato humaniùs tranſigitur: deportatis vero hæ ſolent inſulæ aſſignari, quæ aſperrimæ, quæq́; ſunt paulo minùs ſummo ſupplicio comparandæ.* Pertinet hoc ipſo huius differentiæ argumento delatorum pœna, ſcilicet deportationis, in Suetonij Tito Veſpaſiano, *qui flagellis, & fuſtibus cæſos; ac nouiſſimè traductos per amphitheatri arenam partim ſubiici in ſeruos, ac venire imperauit, partim* (quod non multum diſtat) *in aſperrimas inſularum auehi.* Atque Antoninum lego, quia iurauerat ſe nullum Senatorum percuſſurum, parricidam quendam *in inſulam ſolam* & *deſertam* (quæ proxima morti pœna fuit) deportari iuſſiſſe. Hæc ſunt *loca deſolata* Impp. Arcadij, Honorij & Theodoſij in l. x. C. Theod. De Indulgentiis criminum. Cuius ſimile eſt illud Phormionis Terentianæ. II.

*Nonne hoc publicitus ſcelus deportarier in ſolas terras.* Et Senecæ *loca ignota* lib. I. De Ira cap. XVI. *In exilium & loca ignota mitteris.* Quod & Baldus noſter videns, inſulas deportatis adſignari, vt ibi propter malum aërem citò morerentur, annotatum voluit in fine Commentarij ad l. vlt. C. de Monopoliis. Relegationis alia prorsùs ratio erat; cuius in eo tantùm poſita coërcitio, & calamitas, quòd ciues extra patriam in alieno ſolo habitare cogebat: nil quærebatur vltrà, aut cauebatur, eſſetnè aſperum, an mite ſolum ac cælum inſulæ, aut quomodò relegatus habitaret. Quo indicio palàm fit, relegari eos à Nerone apud Tacitum lib. XV. Annalium, *quibus velut in agmen, & numerum Ægei maris inſulæ permiſſæ ſunt*: & qui in Ammiani Hiſtoria exterminatus dicitur in Britannicam; ac Lucius Seneca in Corſicam; maiores inſulas, quàm vt deportatis adſignarentur. De Eutropio illo conſularis faſtigij dehoneſtamento, in quem Claudianus ſcripſit, extat in Theodoſ. Codice lex XVII. De Pœnis, quæ relegationis eius in Cyprum Inſulam meminit. Valentinianumque relegatum quendam lego in eandem Britanniam apud Zoſimum lib. IV. qui quidem ſcriptor pœnam illam Eutropio dictam ſimili modo refert in quinto Hiſtoriæ ſuæ libro. Illuſtre proferam aliud ex Tacito & Dione exemplum de benignitate relegationis. Iunius Gallio Senator Romanus dicitur ab Annalium eximio ſcriptore libro VI. curia & Italia exactus: *& quia incuſabatur facilè toleraturum exilium, delecta Lesbo Inſula nobili & amœna, retrahitur in vrbem, cuſtoditurque Domibus Magiſtratuum.* Quod idem memorat Dio lib. LVIII. Niſi ex cauſa hoc iudicium mutaret; vt pendebat totum ex arbitrio Principum. Nam planè relegatus fuit P. Ouidius, cuiuſce pœnæ ſibi conſcius non vno loco legitur; & tamen quod ignoto illo crimine illuſiſſet Auguſto, Tomis in Ponto includi iuſſus, cæli, ſolique inclementiſſimi, Sarmatarumque incurſionibus infeſta inſula miſerrimum exilium tolerauit. Ex hoc fiebat, quia cum deportatis ſeueriſſimè agebatur, conſueuiſſe hos non ſine cuſtodia in exilia ſua tranſportari: aliter atque relegati, qui tantùm excedere, aut ire illuc iubebantur, in quo placuiſſet illos degere, aut includi: quod obſeruat Ioannes Robertus lib. IV. Receptarum ſententiarum cap. II.

(Margin, beside the preceding paragraph: III. at "liis. Relegationis alia prorsùs ratio erat"; IV. at "cælum inſulæ, aut quomodò relegatus habitaret"; V. at "idem memorat Dio lib. LVIII."; VI. at "exilium tolerauit.")

Diſtinximus has pœnarum formas naturâ ipſa & ſubſtantiâ rei (vt Logici loquuntur) quatenùs altera, ſcilicet deportatio, bonorum, ac ciuitatis ſpoliatio eſt, altera honorum & liberæ habitationis tantum interdictio cum famæ detrimento. Deinde ex qualitate loci differre demonſtrauimus. Nunc reſtat effectricem vtriuſque cauſam determinare. In hoc enim valdè diſtant, quòd non ſtatim ac ius competit relegandi, ſimiliter facultas deportandi conceditur. Diſtinctè, ordinateque videndum de hoc in ſingulis Magiſtratibus: nam res obſcura eſt, & multùm agitata opinationibus Interpretum VII.

pretum. Examinemus ergò iſta diligenter; nùm Præſides habuerint depor-
tandi ius, ſicut relegandi; deinde an Proconſules: tertio & vltimo loco an
Præfectus vterque vrbi, & Prætorio: tandem cauſas, cur non omnibus, &
VIII. promiſcuè datum, vt deportare poſſent. Præſidibus Prouinciarum (vt in-
cipiamus iam) dilucida noſtrorum auctorum teſtimonia denegant Ius de-
portationis. Vlpianus ait in l.II. De Pœnis: *Præſidem deportare non poſſe nulla
dubitatio eſt.* & in l.VI. §.I. De Interdictis &c. *Deportandi in Inſulam ius Præſi-
dibus Prouinciæ non eſt datum.* Relegationis ius concedunt lex VII. §.I l.XIV. §.
II. D. eodem Tit. De Interdictis lib. II. C. De Pœnis. Non omnes eos nunc
Præſidum nomine intelligo, qui Prouincias regunt, quod aliàs ſolet ex Ma-
cri notatione *a*, ſed illos dumtaxat, qui cùm legati eſſent Cæſaris, admini-
ſtrabant Imperatorias Prouincias: non qui Senatus, populique Romani,
IX. quales erant Proconſules. Adiri poſſunt veteres de hac partitione Prouin-
ciarum facta ſub Imperij initium Octauiani Auguſti, nè de via diuertamus.
Dio Caſſius libro LIII. Suetonius in Auguſti Vita, Strabo in fine Geogra-
phiæ, cuius & meminit noſter Theophilus in enarratione Inſtitutionum *b*.
Rem totam, & partem hanc politiæ Romanæ præcipuam, quæ fugit eru-
ditiores acu tetigit Salmaſius (liceat impium hominem, Eccleſiæque dete-
ſtandum, ab eo quod rectè poſſit laudare) in commentariis Hiſtoriæ Augu-
ſtæ Marci Philoſophi ac Seueri. Nobis ergò Præſides hoc loco ſunt, qui-
cumque Imperatoris Prouincias gubernabant, ſiue in Conſulares, ſiue Le-
gati, ſiue Pro-Prætores, ſeu generali nomine Præſides eſſent, audirentque.

X. Videtur tamen deportare his licuiſſe. Vlpiani hæc ſunt, quæ regulæ ſu-
periori faceſſere negotium creduntur, in l.VI. §. vltimo de Pœnis. *Nonne ge-
nera pœnarum, nobis enumeranda ſunt, quibus Præſides adficere quemque poßint.*
Neutiquam (ait) enumerabit deportationem. Enumerat vtique germana
periphraſi; nam infit; *Et ſunt pœnæ quæ aut vitam adimant, aut ſeruitutem iniun-
gant, aut ciuitatem auferant, aut exilium, aut coërcitionem corporis contineant.*
Hic locus adeò vrget Franciſcum Hotomanum, vt audenter affirmet, Præ-
ſidibus deportandi ius in eas inſulas, quæ ad ſuam vniuſcuiuſque Prouinciæ
formam pertinerent, minimè negatum fuiſſe. Ita lib. I. obſeruat. cap. XII.
quod etiam probari video à Ioanne Corraſio in l.VI. §. qui vniuerſas D. De
officio Præſidis, & à Ioanne Gryphiandro in Tract. De Inſulis, cap.XVI. qui-
XI. bus in antiquis infrà adducendus Bartolus præluxit. Hi omnes non minus
eâ ratione nituntur, quòd Præſides habuerint gladij ius, ac poteſtatem in
metallum dandi, l.VI. §.VIII. De officio Præſidis; ſcilicet imponendi pœnas
deportatione longè grauiores; regulaque ſit ineuitabilis, *ei licere, quod minus
eſt, cui licet quod plus eſt*, ex cap. Cui licet. De Regulis Iuris in VI. & l. XII §.
XII. III. D. Ad leg. Iuliam de Adulteriis *c*. Et Emundus quidem Merillius nouâ
differentiâ Præſidum confictâ, nè in hæc impingat argumenta, conciliare
ſe credit, quæ inter ſe contraria minùs rectè exiſtimantur. Præſidibus nem-
pè vniuerſarum Prouinciarum, ſcilicet quæ diœceſes eſſent, non cæteris,
qui ſingularibus præerant, ius gladij ait conceſſum. Quam quidem eſſe Vl-
piani affirmat ſententiam in l.VI. §. qui vniuerſas VIII. De officio Præſidis.
Quo cum gladij iure, ſub cuius notatione, & poteſtate omnis animaduer-
ſio contineretur, hoc ſimul deportandi, bonaque in Fiſcum redigendi at-
que in metallum damnandi tributum fuiſſe. Sed adiungit, Præſidi genera-
tim tale ius deportandi Vlpianum adductis in locis denegaſſe, quòd iam
ſua ætate diuiſæ eſſent Prouinciæ, quæ olim integræ, atque vniuerſæ re-
gebantur: idque ſe confirmare ait exemplis Myſiæ, Germaniæque ex l.III.
De officio Adſeſſorum; Sardiniæque & Corſicæ ex Breuiario Rufi. Hacte-
nùs ille in obſeruat. lib.VI.cap.XXIX.

a *In l.I. de off. Præſ.*

b *§. per traditionem Inſt. de Rer. diuiſ.*

c *De qua Euerardus in Topicis: Alciatus ad l. Inſulis. D. de lib. & poſthumis.*

Sed

Sed nihil horum conficiet, vt refragari fas ſit apertiſſimis, & generalibus Vlpiani verbis. Ne tamen erroris ſui comitem, ſiue ducem obtrudant amplius eumdem Vlpianum ex d. l. vi §. vltimo, multi modi ſunt in primis adimendi ciuitatem vnà cum libertate, quos eo loci potuit ſignificare, quin deportationem intelligeret. Verè enim Præſides Ius etiam ciuitatis contingere poſſunt; non apertè, nudeque, ſed in conſequentiam maioris pœnæ ſeruitutis *d*. Vel, quod magis arridet, propoſitum erat ei pœnas enumeraret, quibus Præſides adficere ſolent. Sed non hæ poterant exactiùs deſignari, quam ſi gradus omnes, atque formas pœnarum, quæcumque moribus receptæ eſſent, priùs in proſpectum daret, ſtatim facturus Præſidi copiam ſingularum, quæ ei conuenirent. Hoc facit toto illo fragmento noni libri De officio Proconſulis, vnde eſt iſta lex vi. & l. viii. & cùm pœnarum omni genere iam declarato iis verbis, quæ propoſita ſunt ex lege vi. de pœnis, ad deportationem deuentum eſt, Ius hoc Præſidibus haud datum non diſſimulat: nempè in d. l. vi. De Interdictis quæ eiuſdem fili, & ex eodem libro nono eſt. Nec aliter Merillium audiemus, quam ſi de omnibus Reip. Romanæ Prouinciis ſigillatim nos priùs admoneat, formam ſuam priſtinam mutaſſe: quod vtique oportet, nè falsò, aut quidem temerè Vlpianus ſcripſerit, *nullæ dubitationis eſſe Præſidem deportare non poſſe.* XIII.

*d Sic Treutlerus vol. 1. diſp. 3. q. 35.*

At quoniam argumenta Emundi talia ſunt, quibus tenere ſe totius arcem rei credidit; retegamus neceſſe eſt, quæ non iure occupant ſpeciem veri: ab eo incipientes, quod non minùs torſit cæteros iſtius partis ſponſores. Nempè Regula, *quod minus eſt, ei licere, cui licet quod plus eſt*, tùm demùm non obſtabit, cùm monuerimus non ſine causâ præcipuum haberi placuiſſe hoc ius deportationis, quod nec promiſcuè concederetur, etiam ſi non ſeueriſſimam omnium coërcitionem contineret. Porrò appoſitum, ſeu comparatiuum, aut coniectura ex maiore, quod vulgò appellant *à maiore ad minus*, in his, quæ pendent ab ſpeciali conceſſione legis non procedit, aut vires habet *e*. Exemplum huius rei paulò animaduerſum, aliis tamen, quæ afferri ſolent, & à me poſſent, conuenientiùs ac refellendo Merillio accommodatiſſimum ex Theodoſij Imper. Codice nimiùm libenter deſumo: ſimul vt oſtendam rationem Conſtitutionis, quæ eſt, in altero Codice Iuſtiniani. Theodoſius & Valentinianus Impp. ad Hierium Præt. Præfectum (cuius & mentio eſt in lib. xxix. inſcriptione, & in corpore legis xxxi. ipſiuſmet Codicis Tit. de Donationibus) ſanctionem dirigunt, vti formauit Tribonianus huiuſmodi: *His tantùm, qui in ſummâ adminiſtrationis ſunt poſiti poteſtate*, in poſterum licere reos vt poſſint *totius ſubſtantiæ proſcriptionis* (quod aiunt) *tempeſtate percellere*. In l. vnica. Ne ſine iuſſu Principis &c. quemadmodùm & *ſacrilegij pœna ſacelli* Caſſiodorus dixit nono libro variarum capite xviii. Præfecti, & quicumque in ſummâ adminiſtratione ius necis habent, appellationeque ampliſſimarum poteſtatum quandoque intelliguntur *f*, ſi ſunt, quos iure iſto Cæſares ornant proſcribendæ totius reorum ſubſtantiæ. At Præſides, & in vniuerſum qui Prouincias regunt, interdicuntur ſcilicet, nè Fiſco addicere, ſiue (vt loquuntur) confiſcare totam ſubſtantiam reorum poſſint: quibus tamen ſuum gladij ius illibatum relinquitur. Vides maiora, qualis eſt auferendæ facultas vitæ, concedi Prouinciarum Rectoribus; minora autem, publicationem nempè bonorum, denegari? Exquiris tamen iam horum auctorem: ipſa conſtitutio eſt, quæ integra in Codice Theodoſij legitur; in quo tamen malè horas locari non vnus, aut alter ab ſchola leguleiorum credit; quos occupatiſſimæ vitæ ratio, mentiſque mos ſeueriſſimus non permittunt inutilia, vt loquuntur, ac peregrina conſectari: planè miſeri, qui nè extra lineam ſaltare videantur, non ſemel

XIV. XV. XVI.

*e Faber in Iuriſp. Tit. 11. princ. 4. Treutlerus vbi proximè.*

*f In l. 19. C. de Appellationibus.*



mel

mel ignoratione illorum, quæ extrà ſunt, in errores labuntur immanes Hęc ſcilicet. *Nulli Iudicum* ( Iudex eſt quicumque iuriſdictioni præeſt ) *exceptis his, qui in ſummâ adminiſtrationis ſunt poſiti poteſtate, vitæ quoque noxiis ius adimendæ ſortiti ſunt, quenquam omninò, inconſulta noſtra clementia, in vllo genere criminationis triſti liceat proſcriptionis tempeſtate percellere. Nemo ſibi præſumat Moderatorum, Prouinciarumq. Rectorum* (his nominibus deſignari omnes, qui Prouincias adminiſtrant nil notius eſt ex Tit. vtriuſque codicis de officio Rectoris Prouinciæ ) *ſub quibuſcumque infulis poteſtatis quenquam patrimonij vniuerſis priuare ſubſidiis. In illos gladij ſui, & ius ſeueritatis exerceant, in quos ſtatim diſtringi ferrum iura præcipiunt.* Ecce in caput nocentis conceſſum ius Præſidibus, quibus tamen in vniuerſam ſubſtantiam aufertur. His prætérquàm quòd rem conficio, nè regula illa ſtatim, ſolideque, & in omni causâ, vera ſit; Merillium non minùs opportunè admoneo, nullum ſibi rectum argumentum deduci poſſe ab iſta lege. Sed quoniam perſeuerat aliis vti, videamus quoque nos ea penſiculatè, atque enucleatè, vnde aliqua lux immittitur priſcis iſtis populi Romani dignitatum Iuribus.

XVII. Planè in Dionis Caſſij quinquageſimo tertio Hiſtoriarum libro Prouinciarum omnium conſtitutionis ſub initium Imperij tota ratio, ſatis inquiſitè, ac ſollicitè (quæ præcipua huius eſt laus auctoris) ſcripto conſignatur. Et is quidem crebrò annotare ſolet, ſi quando, aliquaúe ex parte his, qui olim placuerunt, noui, ac ſæculi ſui mores abrogauiſſent. Atque eo loci cunctis Senatoribus, qui Prouinciis præeſſent, adeò ſine vlla exceptione gladij ius, vitæque, ac necis tribuit; vt hoc præſertim iure diſtinguat eos à legatis, & Quæſtoribus, quos ſecum quiſque illorum, tanquam adſeſſores, ſiue conſiliarios adducere conſueuerat. Latina Dionis hæc ſunt ex Xilandri interpretatione à Leunclauio recognita. *Hæc ergò ita ſtatuta ſunt de Senatoribus iis, qui poteſtatem mortis in ſubditos habent. Mittuntur enim & quibus ea non eſt, in eas Prouincias, quæ Senatus, & populi Prouinciæ vocantur; puta Quæſtores ſorte delecti: & Adſeſſores maiorum Magiſtratuum.* Signateque in Prouincias Cæſaris euntes gladio accinctos, ac militari habitu indutos, vt etiam plectendi ius militis haberent, paulo antè refert. Id ſi mutauiſſet ſub Dionis æuo, non vtique is diſſimulaſſet, vt ferè amat nil prætermittere: dignaque fuit variatio iſta ſi qua deinceps habita, Præſidum Iuris, & conditionis, partitioque in vniuerſarum Prouinciarum Rectores cum gladij iure, ſingulariumque ſine eo adminiſtratores, quæ quidem litteris mandaret diligentiſſimus ſcriptor.

XVIII. Eiuſdem ætatis Vlpianus, aliique Iuris auctores, ne quidem verbo hanc differentiam ſubindicant. Solent quippè gladij ius, nullo excepto, Præſidibus conſignare. Ecce enim Vlpianus reprehendit eos Præſides timiditatis, qui pœnam, ſententiâ iam dictâ, reorum ſuſtinent, eò quòd, nè ſupplicio ſtatim afficiantur, habere ſe dicant, de quo ad Principem referant; in l. vi. De Pœnis. Et quid aliud eſt Præſidibus datum non eſſe ius liberam mortis facultatem damnatis concedendi: itemque ad beſtias damnatos fauore populi dimittere non debere; in l. viii. §. i. & iii l. xxxi. D. eodem titulo.

XIX. Tranſeo ad vlteriora tempora reſcriptorum, quibus conſtat vterque codex. In lege vltima C. eodem tit. quæ de Græco fonte eſt, relegati iubentur nihil mouere, nec ſeditioſè agere in loco exilij ſub interminatione vltimi ſupplicij à Præſide inferendi. Simile eſt l. xviii. Eodem. Et Iuſtinianus cunctis Prouinciarum Rectoribus Virginum raptores ſummo afficiendi ſupplicio tribuit poteſtatem in l. vnica. Verſ. Sin autem C. De Raptu Virginum: Illuſtreque huius poteſtatis teſtimonium dedit olim delectu ſuo Præſidum ad Prouincias mittendorum Alexander Seuerus. Horum quippè nominibus propoſitis, quos vellet Prouinciis præficere,

re, conceſſoque cuilibet è populo mores ipſorũ oppoſitis criminibus,ſi quæ manifeſtè indicari poſſent, reprehendere; rationem conſilij ſui reddidit apud Ælium Lampridium: graue nimirùm eſſe *non fieri* hunc delectum, examenque *in Prouinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.*

Duo tamen ſunt quæ doctum alioqui virum in eam credulitatem perduxerunt. Alterum eſt, quod alicubi, ne quidem maioris animaduerſionis facultatem Præſides ſortiti videantur; nempè in reſcripto quodam Alexandri Imperatoris, quod eſt in l. IV. C. De locato, & conducto: cuius hæc eſt ſententia. De effractis horreis Præſidem qui cognoſceret, ſi is maiorem animaduerſionem exigere rem deprehenderit, ad Domitium Vlpianum Prætorio Præfectum reos remittere iubet Auguſtus. Hæc in ſpeciem adeò fallunt, vt & Cuiacium compulerint exiſtimare non omnem animaduerſionem concedi Præſidibus ſolitam. Sed planè reſcriptum hoc eſt, quod extra cauſam ſuam fruſtrà commendatur, vt mox regula fiat. Potuit enim ad preces eius, qui libellum obtulit, Princeps exorari, vt ad Præfecti ſui tribunal iudicium maioris animaduerſionis de effractoribus habendum deduci iuberet: quare ad Præfectum referre opus haberet Præſes; cui tamen, eiuſdemque dignitatis aliis, non ideò generaliter aliquòd ademptum ius exiſtimes. Nam vrbis etiam Præfectus, quem gladij ius habuiſſe nemo neſcit, remittere ſolet ad Principem ex præcepto illius cognitionem lib. x. C. Theodoſ. De Maleficiis. Et fortè Decurionum aut optimatum Prouinciæ res in eâ causâ gerebatur; de quorum capitalibus iudiciis mandata cauebant, vt ad Principem ſcriberetur; l. XXVII. §. 1. & 2. l. XXXI. D. De Pœnis. Ac de capite Senatoris ſimiliter nulli Præſidum fas erat decernere: l. XIII. D. Theodoſ. De Accuſationibus. Inſuper difficile viſum Merillio Præſides gladij poteſtate viguiſſe, quos diſpoſitioni, curæque Prætorio Præfectorum ſubiectos fuiſſe nouerat: cum id apertè plures loci tradant; adeo vt delicta ipſorum punire, Præſides creare, & amouere Præfecti poſſent g. At vellem diſtinxiſſet Merillius tempora exactiore cura: quod nos vindicandæ, atque illuſtrandæ huic parti Romanæ politices, altero iam capite facimus.

XX.

XXII.

g V. Cuiacium in Paratitla De officio Præf. Oriēt. & Illyr.

# CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

## Gladij Ius Præſidibus cunctis aſſeritur omni ætate Imperij.

*I. Aſſerendi huius in Præſidibus cunctis gladij Iuris cauſa conſiderantur tres Imperij Romani ætates.*

*II. Formæ Prouinciarum ſub primis Imperatoribus pro rei neceſſitate non ſemel mutatæ, abſque gladij Iuris ademptione.*

III. Vniuerſas Prouincias *quaſi* omnes *dixit Vlpianus in l.* VI. §. *qui vniuerſas D. De officio Præſidis.*

*IV. Nil de gladij Iure mutatum ſub reliquis Imperatoribus vſque ad Conſtantinum.*

*V. Tertia ætas conſideratur à tempore Conſtantini.*

*VI. Diœceſis quid ſignificet?*

*VII. Conſtantini Orbis diuiſio in Præfectura* IV.

*VIII. Diœceſis qualibet Prouincia, & Prouinciarum vniuerſitas.*

*IX. Nec tamen Præſidibus, qui Præfectis ſuberant detractum Ius gladij.*

*X. Quis auctor ſit l.* I. *Cod. Theodoſ. de Iuriſdictione?*

*XI. Exemplis ſuadetur Ius gladij his non ablatum.*

*XII. Forma Præſidatus apud Caſſiodorum expenditur.*

*XIII. Edictum Iuſtiniani de Vicario Pontici tractus exponitur.*

*XIV. Præſes pronuntiare tantum poterat eum deportatione dignum ad Principem ſcribens.*

*XV. Lampridij locus declaratur.*

*XVI. Quid* annotare *in ſententiis Præſidum, &* requirendi annotati?

*XVII. Quid* opinio Iudicis, & plena opinio: *&* refutatoriæ preces?

I. TRia quidem ſæcula, ſiue Imperij ætates, rei cauſa, conſideranda ſunt. Prima ſcilicet ab Auguſto vſque ad Iuris Auctorum, ſiue (vt probo, & antiquo verbo vtar) Conſultorum, hoc eſt ad Seueri, Helagabali, Alexandri Mammeæ filij æuum: ſub quibus Vlpianus, & ex noſtris quamplurimi floruerunt: Altera deinde abhinc ad Conſtantinum: Tertia demum à Conſtantino ad Iuſtinianum.
II. Antiquiſſimo illo tempore, tum forma, & appellatio adminiſtrationis Prouinciarum mutari conſueuit. Prætoriæque fieri quædam ex Conſularibus, Conſularesque ex Prætoriis *a*; vt res quietæ, aut turbatæ in ipſis, aut iuxtà ipſas poſtulare viderentur: tum diuiſæ, ac ſub duobus, vel etiam pluribus Præſidibus conſtituta, quas olim vnus omnes Prouinciæ portiones ſub eodem poteſtatis imperio rexiſſet. De Myſia, & Germania Iuris auctor Macer, & Rufi Feſti Breuiarium de Corſica, & Sardinia Merillio nota ſunt. Sub Claudio etiam non tota Iudæa Fœlici, trium illi Reginarum marito, liberti Pallantis fratri fuit, ſuppoſita, ſed pars, Galilæa ſcilicet, à Ventidio Cumano habebatur, quod ex Tacito in VI. Annalium conſtat. Hoc factum, prout vſus rerum poſtulaſſet, dubium quo vixit tempore,

*a Apud Capitolinum in M. Antonini, Lampridiumq; in Alexandri vita.*

pore, ſummus Geographorum atteſtatur Strabo in fine ſui operis eximij: quod ipſum Dio Caſſius ſub Seuero ſcripſit quinquageſimo tertio libro Hiſtoriæ. Minimè quidem, vt imperium, gladiique ius antiquum Rectoribus Prouinciarum tenuioris formæ quàm priùs eſſent, abrogaretur. Nam quod vnicè ad hoc tempus pertinet ex his, quæ pro ſe adducit Merillius, vniuerſarum ſcilicet Prouinciarum mentio in Vlpiano, abſque eo quòd illius coniecturæ adſtipuletur, commodiſſimo verborum ſenſu explanari poteſt. *Qui vniuerſas Prouincias regunt* (ait Vlpianus) *ius gladij habent.* Hoc eſt, *vniuerſi, qui Prouincias regunt*; per hypallagen. Vniuerſæ Prouinciæ, omnes Prouinciæ, ſunt: idem ergo eſt ac dicere. *Qui omnes Prouincias regunt*: quomodò Græci interpretantur οἱ πάσας τὰς ἐπαρχίας διοικοῦντες. Siue *qui vniuerſas Prouincias*, hoc eſt vniuerſali, & publico iure Imperij totas Prouincias, non vrbem aliquam municipali poteſtate regunt. Quod & Grammatici notabunt: & ex hac ipſa lege, Vlpianique ſermone obſeruat, vniuerſum pro integro dici aliquando, Iuſtus Reinhartus Robbigius, qui ad manum mihi nunc eſt, libro nono lexici De Rebus Criticis cap. II. Quo ſenſu & accipit hanc legem Chriſtophorus Beſoldus in Diſſertatione de Maieſtate ſect. I. cap. v. Equinarius Baro, quem laudat, & ſequitur Auguſtinus noſter Morla in Emporio Iuris *b*. Merillio, cum pro integris poſitum videatur *vniuerſas prouincias*; non ſatis nos docet, vndenam *integra*, *& quæ vniuerſa regeretur* audierit Prouincia: an quæ vnico Præſidi parebat, integra ei eſt; an quòd ſub certis finibus, & appellatione contineretur? Si de adminiſtrationis, & Præſidatus ratione *integra* audire debeat: cur minùs *integræ* ſint, aut *vniuerſæ* ſinguli ſeorſim terræ tractus, quorum vnumquemque ſuus Præſes ſuſcepiſſet; quantumuis alteri ſuperioris ordinis ſuppoſitus? Si autem *vniuerſa* Prouincia eſt, & *integra*, quæ vnâ eâdemque appellatione dignoſcitur, cur exempla huc afferuntur à Merillio Sardiniæ, & Corſicæ, Germaniæ, & Myſiæ; quæ duo paria nunquàm ſub eodem iugo nominis habuit aliqua ætas? Quod interceſſit tempus ad Conſtantinum vſque, licet variè habitum ſit imperium, atque aliam, & aliam Prouinciarum conſtitutionem, quod credere par eſt, Principum nutus induxerit, de gladij hoc iure nihil delibaſſe vero magis ſimile videtur. III.

*b Part. et. tit. 1. n. 42.*

IV.

V.

Tandem ad Chriſtianum Conſtantini ſæculum, aliorumque Conſtantini ſucceſſorum referendum eſt alterum Merillij argumentum: quo nihilominùs ipſe ad confirmandam ſuam ſuperioris Vlpiani loci explicationem, qui tot annis hoc æuum præceſſit, perperàm atque inconſideratiùs vtitur. Integras, ſiue *vniuerſas Prouincias* tum deinde iam alia interpretatione Merillius diœceſes, inquit, eſſe, ſiue corpora illa plurium Prouinciarum ſimul adminiſtratarum: quod moris olim fuiſſe omnes ſciunt. Sed non vllus quidem vel ex his eſt qui in hoc ſtudio mediocres prouentus fecit, quem à ſuis partibus habiturus ſit Merillius, ſi excuſare velit contractam ἀνιστορησίας *c* notam hac explanatione. Diœceſis nomen, quod quidem in Græcia eſt antiquiſſimum, atque ibidem adeò notum, vt vix audeat Tullius, niſi Græco verbo, Διοίκησιν ſcribere, gubernationem propriè ſignificat: poſitumque olim eſt denotare id totum, quod vnus Præſes, ſiue Præfectus adminiſtrandum ſuſcepiſſet. Διοίκησις non communitas fuit, aut vniuerſitas Prouinciarum, nempè ante Conſtantinum, ſed vniuerſitas Prouincialium. Quapropter Cicero Seruilio ſcribens decimo tertio libro epiſtolarum familiarium Cilicienſi Prouinciæ ſuæ τρεῖς διοικήσεις *Aſiaticas*, (hoc eſt tres Prouincias) *attributas fuiſſe* refert: non è conuerſo tres Prouincias in vnam Ciliciæ διοίκησιν conueniſſe; quomodò vellet ſcriptum Merillius, quo ſuam Prouinciarum vniuerſitatem ſub nomine διοικήσεως confirmaret. Porrò in libris noſtris non VI.

*c Ignorationis historiæ.*

alio, quàm *Prouinciæ* nomine latino interpretari amant Iuris auctores *διοίκησις* græcum: vt Anaſtaſius Imp. in l. vltima C. de Fundis patrimonialibus & Iuſtinianus in l. LVI. ad finem C. de Epiſc. & Clericis, poſt Zenonem in l. I. C. De priuatis carceribus: qui omnes vtroque nomine ſimul, aliud alio explicantes vtuntur. Conſtantinus interim Cæſar in Præfecturas quatuor orbem diuiſit: quarum ſingulis Prouincias certas, quibus, & earum Rectoribus Præfecti præeſſent, ſubiecit, Zoſimo teſte in ſecundo libro. Vicarij deinde ſub his Præfectis conſtituti Prouinciarum quaſdam vniuerſitates, aut ſyſtemata, quæ ſingulæ ſub Rectoribus propriis eſſent, pro Præfectis adminiſtrabant: quod notum ex Gratiano in l. I. C. De Proximis ſacrorum
VIII. ſcriniorum, perſpicuè docet vtriuſque Imperij Notitia. At ſi diœceſis dicta iam ab eo tempore ſit Prouinciarum collectio illa Vicario ſubiecta: non hoc tamen valet *diœceſis* vt adminiſtrationem diſertè explicet plurium Prouinciarum; ſed vt adminiſtrationem ſiue vnius, ſiue plurium, dummodo ab vno Præfecto geratur: quod opus eſt hîc animaduerti. Nam plures diœceſim interpretantur abſolutè, cùm loquuntur de Conſtantini ætate, Chriſtianorumque Imperatorum, vt adminiſtratio ſit plurium Prouinciarum: quo ſenſu fortaſſe accipiat quis laudatas Anaſtaſij, Zenonis, & Iuſtiniani leges. Verè talis eſt diœceſis Vicarij: quemadmodùm & in eccleſiaſtica hierarchia diœceſis Metropolitani, Primatis, Patriarchæ, cui plures Epiſcopi ſubſunt. Sed præter has quælibet etiam Prouincia Præſidi, aut territorium Epiſcopo ſubiectum diœceſis illorum eſt. Videſis Nouellam VIII. cap. XI. & l. III. C. Theodoſ. De Fide Catholica. His prænotatis Merillij causâ, qui de diœceſi minus benè exiſtimauit, malè quidem, atque incogitanter ille Politiæ recentioris conſtitutionem, Prouinciaſque habendi rationem, quæ inuenta eſt poſt Imperij ſedem Conſtantinopolim tranſlatam, refert ad ſuperiorem Vlpiani ætatem, quâ ſcilicet ab adminiſtratione ſimplici, atque ordinaria, & antiquâ Prouinciarum toto orbe Romano necdum erat receſſum. Planè ſi iuxta Romanæ linguæ vſum, quam Vlpianus noſter curioſiſſimè excoluit, plurium quis Prouinciarum collectionem iſtam, ſiue coniectionem in vnius Vicarij poteſtatem ſignificare velit, non quidem vniuerſam Prouinciam, ſed Prouinciarum vniuerſitatem dixerit, ſi prudens eſt.

IX. At neque inuenta demum hac hierarchicâ ſubiectarum Romano Imperio gentium adminiſtratione detractum ſcias imperium ſuum, ſiue gladij ius Prouinciarum Præſidibus. Iidem ſunt Iudices. Conſtantinus ipſe nonne idoneus teſtis eſt? *Iudices* (inquit) *Prouinciarum, volumus vim debitæ auctoritatis aſſumere, vt vnà actores, cæteroſque rei priuatæ noſtræ, quæ Prouinciales teneat diſciplina. Sceleratos, conuictoſque carceres teneant, tormenta dilacerent, gladius vl-*
X. *tor interimat*: l. I. C. Theodoſ. de Iuriſdictione. Quid ſi aliquis ex Conſtantini filiis, non ipſe Conſtantinus, auctor eſt edicti? Videtur quidem Conſtans eſſe, aut Conſtantius: nam Limenius, & Catullinus Conſules qui ſubſcribuntur, ſub Imperio vtriuſque fratris, anno ſcilicet V. C. M.III. humanæ ſalutis CCCLIII. hoc munus adminiſtrarunt, teſtibus Caſſiodoro, & ignoto illo de Præfectis auctore, quem Ioannes Cuſpinianus laudat. Vter horum, incertum: deeſt enim locus, in quo edita conſtitutio: Vnde ſolet determinari Orientiſnè, an Occidentis Imperator ediderit. Sed ſuſpicor Conſtantium eſſe; ſi quidem ad Euſtacium PF. P. inſcriptio eſt: hic autem non in Italia Præfectus fuit hoc anno: ſed ipſe Conſul Limenius vtramque Præfecturam Prætorij atque Vrbis, auctore illo anonymo de Præfectis, ob-
XI. tinuit. Ipſiuſmet Conſtantini alia ſanctio eſt proximè ſequens in C. Theodoſ. ſub eodem tit. De Iuriſdictione quæ non minùs hoc gladium, plenamque criminum animaduerſionem Præſidibus conceſſam euincit. Idem ex

alio

alio eiuſdem Conſtantij & Iuliani edicto ſuadetur, quod eſt in lib. I. eodem
Codice Theodoſij T. *Si quis pecunias conflauerit* &c. Pertinet & Conſtantini
ſenioris l. I. C. Vbi Senat. vel Clariſſimi &c. Item quòd iidem Prouincia-
rum Rectores non in carcere diu retinere nocentes, ſed diſceptationi debi-
tæ ſubditos, quod leges ſuaſerint, definire iubentur ab Impp. Arcadio &
Honorio in l. XVIII. C. Theodoſ. de Accuſationibus. Idque confirmat Iuſti-
nianus Regula illa Nouellæ l. XIX. vt omnes obediant, & vel in magnis cri-
minibus Prouinciarum Iudicibus ſubiaceant. Et quorsùm eſt, quòd animad-
uerſio in caput Senatoris iiſdem prohibetur in l. III. C. Theodoſ. de Iuriſdi-
ctione, niſi quia in cæteros merum Imperij ius, & gladij poteſtatem Præſi-
des ordinario iure Magiſtratus Prouincialis obtinebant? Caſſiodorus tan-
dem in formula Rectoris Prouinciæ, nonne idipſum ſignificat, cum ad com-
primendum crimina, atque in Prouincialium delicta vindicandum mitti ait
cum poteſtate illâ Rectorem?

Nec quod aduersùs nos conſiderat Merillius, non expreſſum eſſe in for- XII.
mula Præſidatus; ſicut in Conutiuæ, apud eundem Caſſiodorum, de Gladij
iure, ab ſtatu deturbabit. Diuerſa quidem munero iſta ſunt: Præſidis ordi-
narium, & ciuile; Comitis, ſiue Ducis militare. At exſertim commendatur
animaduerſionis Ius in milites, nè bellica diſciplina, quæ totius rei militaris
artus, & nerui ſunt, deſidia puniendi quotidie laxior, & corruptior fieret.
Præſidatus incruentior, & ciuilior poteſtas eiuſmodi commendatione non
multùm indigebat: de quo tamen aliàs quemcumque Prouinciæ Recto-
rem in formula ſui muneris non obſcurè admoneri, paulò antè dictum.
Deinde quod opponit altero loco, factâ rei lectoribus copiâ, facillimo ne- XIII.
gotio propulſabimus. Pontici tractus Vicario, quem Magiſtratum Iuſtinia-
nus inſtaurat, gladij ius ideò in edicto huius Cæſaris octauo diſertis verbis
conceſſum exiſtimat: quòd vniuerſa illi adminiſtratio reſtituatur. Res ita
habet. Vicariatum Ponticæ Iuſtinianus ſuſtulerat in Nouella VIII. cap. II.
Deinde cùm experientia repertum eſſet latrociniis, ac cædibus per eum
tractum inhibendis ciuiles Magiſtratus, hoc eſt ordinarios Prouinciarum
Rectores abſque ope militaris manus non ſufficere, Vicarium rursùs Pon-
ticæ, militarem nempè Magiſtratum reſtituit; qui totius Pontici tractus Pro-
uinciis Vicario munere præeſſet. Committitur deinde ei in laudato Edicto
cap. II. Vt in quamcumque diœceſis Prouinciarum proficiſcens, velut ab
initio, & ante abrogationem Magiſtratus iſtius fiebat, quæ hactenùs com-
miſſa eſſent, competentibus pœnis perſequeretur, καὶ γὰρ δὴ καὶ ξίφους (infit)
αὐτῷ παρέχομεν ἄδειαν: hoc eſt; *quorum ſanè*, ſiue, *in quo ſanè & gladij ius ipſi*
*concedimus*. Scilicet, vt poſſit per omnes Prouincias aduersùs omnia crimi-
na etiam medio illo tempore ſub ordinariarum Poteſtatum adminiſtratione
commiſſa, gladio vti, & vindicare. Non quidem tale ius, ſingulis alioqui
Præſidibus minimè permiſſum, Vicario integræ diœceſeos reſtituit; quod
Merillius temerè credit: quinimò non aliam poteſtatem ei tribuere ſe inquit
Imperator; *niſi qualem cuiuſque Prouinciæ Magiſtratus in Prouincia ſua habere ſo-*
*let*. Merillium tot verbis refellimus, nè huius auctoritate qui cæteroqui
multa doctrina, & ingenio vir eſt, plures capiantur.

Tenendum ergò eſt, Præſidem quantumuis gladij iure ornatum, & ar- XIV.
matum nuſquàm per Principes habuiſſe licentiam deportandi. Planè ſi reus
deportationem meruit; *annotare*, hoc eſt, in acta referre, ſententiamque
pronuntiare habuit opus; dignum ſcilicet reum deportatione, ſcribendum-
que Principi huius nomen, vt ab ipſo deportetur: deinde ſcribere ipſe ad
Principem miſſâ *plena opinione*, id eſt causâ, vt Princeps æſtimet an ſequen-
da ſit Præſidis ſententia. Quæ ſunt eleganter notata duobus locis ab Vlpia-
no;

no: nimirùm in lib. VI. §. I. D. De Interdictis &c. & in lib. I. in principio. D.
XV. Quando appellandum ſit. Hactenùs valet meâ ſententiâ quod ſcribit Lampridius de Alexandro Seuero: *Fures iudicare iuſſit in ciuitatibus vllis nunquam videris & ſi eſſent viſi, iuſſit deportari per Rectores Prouinciarum.* Quem locum ſi aduerſarij legiſſent, Deus bone, quas turbas nobis in re facturi erant. Planè aut Alexander vnicus, & primus voluit in coërcitione tantùm huius criminis (quale illud ſit: nam locus non ita clarus, aut ſanus eſt) iure illo vti deportandi Prouinciarum Rectores; quod Principes anterioris, & forte inferioris etiam poſt Alexandrum temporis ſibi reſeruauerunt; ſiue iis tantùm, qui vice ipſorum ſacra iudicabant, hoc eſt Præfectis, communicauerunt: aut ſimplex miniſterium Rectoribus conſignatum perducendi reos in Inſulas à Cæſare deſignatas Lampridius ſubintellexit: Mirum, fugiſſe hoc maximos illos Ælij Lampridij, cæterorumque huius generis auctorum recenſitores. *Annotationis* verbum ſolenne eſt in ſententiis Magiſtratuum, vſurpantque Suetonius, & iunior Plinius, noſtrique ſæpiſſimè: Ideò requirendi, hi nempè qui cum abſentes ſint, copiam ſui præſtare, iubentur edictis, *requirendi adnotati* ſermone iuris appellantur l. I. II. & IV. D. De requirendis, vel abſentibus damnandis. Aliàs *adnotare* ſubſcribere eſt; imò & inſcribere, Lactantio lib. quinto cap. III. *Auſus eſt* (ait) *libris ſuos nefarios, ad Dei hoſtes, φιλαληθεῖς annotare.* De *Opinionis* illo ſignificatu non alius locus, credo, in Digeſtis eſt. At plures ſunt in vtroque codice. Sententia Iudicis *opinio* dicitur frequenter, quando interpoſita fuit appellatio: aut vbi referri ad Principem opus eſt, l. VI. §. III. l. XVIII. & XIX. C. De Appellation. l. XVI. & XVIII. C. Theodoſ. eodem tit. Similiter exiſtimatio Præſidis circa deportationem, quam ipſe pœnam nequit imponere, *opinio*, quàm ſententia, conuenientiori appellatione vocatur. Ideo interloqui dicitur de eo, quem deportandum ſcribit, l. VI. §. VI. D. De iniuſto, rupto &c. Quare reſtitutus à Principe ſollicitus eſſe non debet de annotatione Præſidis antiquâ, quæ quidem facto Principali aboletur l. X. C. De ſententiam paſſis. *Plenam opinionem* mittendam ait Vlpianus; hoc eſt totius negotij merita, & omnia in quibus cauſa conſiſtit; item *refutatoriæ preces* ſiue *refutatoriæ* ſimpliciter; nam & ſic appellantur; & *refutatorij libelli*, (fortaſſe & *refutarij*, vt eſt in l. V. C. Theodoſ. De Relationibus) queis nempè Iudicis opinionem, ſeu relationem damnato licebat refutare; l. I. C. De Relationibus d. l. VI. §. III. C. De Appellation. l. V. C. Theod. De Relationibus, l. XI. XVI. XXIV. XXXII. XXXV. & aliis, eodem Cod. De Appellationibus. Hoc eſt quod *Inſtructiones neceſſarias* quandoque ad Principem referatur, actis plenè inſeri Conſtantinus iubet in l. XV. C. De Appellationibus, iterumque in l. I. De Relationibus. De his, quoniam quod ſatis ad captum Vlpiani erat, admonuimus, iam gradum ad alia capeſſamus.

XVI.

XVII.

CAPVT

# CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

## An Ius deportandi habuerint Proconſules, & Præfecti Prætorio, & Vrbi.

I. *Proconſulibus nuſquam dadum legitur hoc Ius deportãdi.*
II. *Contra id quod temerè à quibuſdam creditur.*
III. *Proconſul dictus non ſemel Præſes.*
IV. *Ant. Fabri ſententia de Iure deportandi Proconſulum examinatur.*
V. *Præfectus Vrbi hoc Iure gaudebat.*
VI. *Et multo magis Præf. Prætorio.*
VII. *Cui ſimilis apud nos Regius Senatus Vicariam Principis Præfecturam toto regno exercens.*
VIII. *Nec tamen hi duo Præfecti aſſignabant inſulas, ſed Princeps.*
IX. *Præfecti deportationem decernebant: Præſides tantum de deportando referebant.*
X. *Lex* XV. *de Interdictis, & aliæ quædam explanantur.*
XI. *Coniecturæ quorundam tribuentium Inſulæ adſignationem Præfectis arguũtur vanitatis.*
XII. *Exempla deportationis à Præfecto Prætorio dictæ.*
XIII. *Prætorij Præfectura multo maior, & dignior quàm Vrbana.*
XIV. *Vſque ad Conſtantinum ſaltem qui ex Vno Præfecto Prætorij quatuor fecit, & toto orbe Romano diuiſit.*

PRoconſulibus, ſiue his poteſtatibus, qui iam ab Auguſto rem Romanam in Prouinciis populi adminiſtrabant, non vllus in Iure locus hoc ius de- I.
portandi negat, ſed neque vllus tribuit apertè. Quamobrem magis miror, II.
quibuſdam ex noſtris, quod nuſquam legitur, compertiſſimum eſſe. Et quidem huius partis auctorem commendat nobis Guilielmum Budeum, quem honoris, & exiſtimationis ſemper nomino, Guido Pancirola in Notitiæ *a* Commentario. Et huic ſtatim credit Griphiander. Planè ab his Budeus laudatur ex lib. v. De Aſſe: quo loco vbi de Proconſulari poteſtate agit incidenter, dum mulctæ dicendæ ius Proconſulum exornat, maius imperium eos inquit habuiſſe, quàm Præſides: quippè inferiùs Proconſulari Prætorium fuit imperium, quod Præſidibus concedebatur. Quidquid vltra ſcire ſe videri voluit Guido ex Budæi regulâ, per me ipſe Gryphiandro approbet; nam ego nil hodie credo. Fateor Proconſulibus maiorem, dignioremque poteſtatem, quàm Præſidibus contigiſſe; quod abundè obſeruatum, & confirmatum eſt à viris doctiſſimis. Horum quoſdam nominabo, veluti digito ad fontes intento, Guilielmum ipſum Budeum, & Pancirolam; Volfgangum Lazium in Commentariis Rom. Reipublicæ, Cuiacium lib. IX. Reſponſorum Papin. ad l. legatus XX. De officio Præſidis, Petrum Velez de Gueuera in commentario legis quartæ eiuſdem tituli. At ſi non ſtatim atque aliquis magiſtratum acciperet, hoc ius deportandi datum ſcimus, ſed quibus dari placuiſſet Principi; cur Tribonianus in Tit. De officio Proconſulis edere omiſſit veteris Iuriſconſulti aliquod teſtimonium, vndè ſci-

a Cap. 100.


remus

remus nos Proconſuli datum? Viderint illi. Nam quod de illorum in Prouinciis iure admonemur in l. VII. & VIII. De officio Proconſulis, *omnium, quicumque ſunt Magiſtratus, partes agere: pleniſſimam iuriſdictionem, maiuſque ibidem omnibus imperium habere poſt Principem*; iiſdem fermè verbis Præſidibus tribuunt Hermogenianus, Vlpianus, & Marcianus in l. IV. X. & XI. De officio Præſidis. Nec oberit quòd Vlpianus cùm de ſtatu eius hominis quærit, de quo deportando ad Principem fuit relatum, Præſidis tantùm, non Proconſulis meminerit in l. I. §. III. De legatis, tertio. Magis quippe eſt vt Præſidis generali nomine munus etiam Proconſulis veniat intelligendum: quod vtique ſolet, quoties extra titulos ſuos non ſpeciale alterius vtrius officium, & iura examinantur. Agellius lib. V. Noctium cap. XIV. Androdi ſerui illius, cui pepercit in arena Leo gratabundus, Dominum *Proconſulari imperio Africam* obtinuiſſe affirmans, paulò pòſt terræ illius *Præſidem* vocat. Similiter Appuleius Floridorum ſecundo, de Seueriano eiuſdem Prouinciæ Africæ Proconſule, *Quid vobis* (ait) *cum iſtis Proconſulum vicibus? quid cum annis breuibus, & feſtinantibus menſibus? O celeres bonorum hominum dies! O Præſidum optimorum citata curricula!*

III.

IV. Difficilius, quod Antonium Fabrum *b* mouit, vt Proconſulum hoc ius deportandi defenderet. Proconſulibus, qui populi Magiſtratus eſſent ex priore conſtitutione Prouinciarum ab Auguſto, iure ipſo totam ipſius populi iuriſdictionem, & poteſtatem, atque adeò deportandi licentiam, quin opus eſſet Principis conceſſione, tributam videri. Quidquid tamen de Octauiani ætate dum Proconſules arbitrio Senatus, ſuperſtite adhuc permiſſionis auctore, deſignarentur, id credamus morem illius temperatiſſimi ſæculi tuliſſe; mutauit prorsùs hoc totum ſub aliis Principibus; paulatimque nihil non, quod populi anteà ius eſſet, Imperatores ſibi adiudicauerunt: Cuiuſce rei Dio ipſe Caſſius, qui diuiſionem Prouinciarum retulit, locuples teſtis eſt. Notat *c* quippe, mortuo Octauiano, cùm nonnulli eorum, qui populi vice Magiſtratus gererent, minus rectè ſuum munus adminiſtrarent, eas quoque Prouincias Imperatori adiectas fuiſſe. Temperantiſſimus dein Cæſarum quiſque ex Senatus voluntate plura, ſed tamen ipſe iure ſuo diſpoſuit. Alexander Seuerus *Proconſulares Prouincias ex Senatus voluntate ordinauit*, auctore Lampridio. At quodnam inde argumentum, ſi & *Præfectum Prætorio ipſe ſibi ex Senatus auctoritate conſtituit; Præfectum vrbis à Senatu accepit?* quod ibidem ſcribitur.

b *In Iuriſp. Tit. II. princ. 4.*

c *In lib. LIII.*

V. Præfectum vrbi expreſſum eſt in libris Iuris deportandi hoc habuiſſe. Ipſi namque datum epiſtolâ illâ D. Seueri ad Fabium Silonem; cuius epiſtolæ aliàs meminit, nec ſemel Vlpianus in l. I. De officio Præf. vrbi, & in l. VIII. §. V. De Pœnis. Fabius Septiminus Silo bis conſul, atque vrbi Præfectus fuit ſub Seuero; cuius multa mentio eſt in Dionis hiſtoria, & in ſexti Aurelij Seuero, Lampridiique Caracalla, atque in his etiam inſcriptionibus, quas laudat in Faſtis ad annum V. C. CMLVII. Doctiſſimus vir Onuphrius Panuinus. Huius epiſtolæ quodam capite deportandi ius conceſſum huic Præfecto refert Vlpianus in l. VI. §. I. De Interdictis & c. Vlpianus idem epiſtolam hanc emiſſam ait à Seuero cum filio Antonino, in l. I. §. IV. De legatis tertio.

VI. De Iure alterius, nempè Præfecti Prætorio Principis, res notior eſt, quam vt egeat intimatione aliqua veterum monumentorum: ſi quidem non minus is Iure hoc deportandi cenſebatur, qui vice Præfecti ex mandato Principis cognoſceret: quod quidem nulla reſcripti, aut conceſſionis ſpecialis habita mentione Vlpianus itidem docet in d. l. I. §. IV. De legatis tertio. Prætorij Præfecto Romanorum eiuſque dignitati, & poteſtati Senatum Regium noſtrum Hiſpanum libens comparo: ad quem referri debet hoc tempore,

pore, quod ſcriptum eſt de Vicario Regis in l.v. Tit.xxxi. Partita vii. *Fuerès ende, que no puede hechar de la tierra, non deſterrar a ninguno en alguna iſla* &c. *como eſta pena non pertenecce à otro oficial de la mandar dar, ſi non al Rey, o a otro home algun o que fuere Vicario, o Adelantado por el ſeñaladamente en toda ſu tierra.*

Deportare hi, quos diximus, ſcilicet vterque Præfectus, & Prætorio Præfecti Vicarius, planè poterant: ſed adhuc ad Principis vices ſpectabat exilij ſedem aſſignare; d. l.i. §. iii. De officio Præf. vrbi, & d. l. i. §. iv. De legatis, tertio. Quod hodie obſeruari, poſſum iudicio Barcinonenſis Regij Senatus confirmare: Relegatus quidam perpetuò in Sardiniam Inſulam, inde aufugerat. Deportationis pœnam irrogauit ei Senatus; ſiue quam deportationi æqualem habet hæc ætas; in cuſtodiam arcis perpetuam nempè eum damnauit; arcem verò non deſignans, ſed Principi deſignandam relinquens: quod Ludouicus Peguera refert deciſſion. criminalium cap. 41. Nihilominùs tamen diuerſa erant inter ſe iura hæc, in cauſa deportationis, Præſidis, & Præfectorum. Illius tantum opinio, & relatio ad Principem de ſumma cauſæ; horum ſententia, & cauſæ determinatio propria fuit, excepto tantùm quod inſulæ aſſignatio Principi reſeruabatur. Inde magni momenti fiebat differentia; nam priuſquam factum, ſiue Iudicium Præſidis Princeps comprobaret, ciuis ille, atque integer manebat, quem dignum deportatione fuerat opinatus, iureque ciuitatis fungebatur: Præfectorum ſententiâ deportatus, etiam loco exilij nondum definito, ciuitatem ſtatim, iuraque illius amittebat, l.i §. iv. De legatis tertio, l.ii. § i. De Pœnis: in quâ quidem pro *deportatum* libens ſubſtituerem *deportandum*, quamuis aliàs perſpicua ſit Vlpiani, atque aperta ſententia. Porrò hinc Marcianus accipit lucem, dum in l.xv. huius tituli de Interdictis, *Deportatus* (ait) *à Præſide ſine Principe, & hæres exiſtere, & legata ex teſtamento capere poteſt.* Quæ verba huc aptiſſimè poſſe referri vidit ante me, quo loco proximè eum adduximus, Antonius Faber. Nempè is, de quo interloquutus fuit Præſes deportandum, ad Principem referens, ante Principis comprobationem, quia ciuis eſt, ciuilia omnia iura retinet. Eiuſdem ſententiæ eſt illud Senatuſconſultum, quo Macer libro ſecundo publicorum vtitur, vt doceat non publicanda eſſe bona illius, de quo Imperatori ſcriptum fuiſſet in inſulam deportandum, ſi antequàm ab eo reſcriberetur, deceſſiſſet: quod legitur in l.ii D. De Bonis eorum qui antè ſententiam &c. Et fieri teſtamentum eius, qui deportatur, eo tempore irritum, capiteque ipſum minui, cùm Princeps factum comprobaſſet, ſcriptum ab Vlpiano eſt in l. vi. §. vii. D. De iniuſto, rupto &c. quod ad Præſidis ſententias referas neceſſe eſt, lectis quæ ibi ſequuntur. V.II.

IX.

X.

Rursùs hic turbant, quibus ingenioſum eſt nihil non tentare. Vrbi Præfectum ſaltem in eas Inſulas, quæ intra ſpatium centeſimi lapidis eſſent, nè quidem expectata Principis aſſignatione deportare potuiſſe; atque eas inſulas *ſolitarum regionum* nomine Vlpianum comprehendiſſe in l. i. §. xiii. De officio Præf. vrbi, Gryphiander credit. Næ & nos ei, ſi aliquando aliquid ampliùs attulerit, quàm Gryphiandro id placere. Intra centeſimum, ſi qua inſula fuit, quod vix credo, parùm apta ſedes propter vicinitatem vrbis, & Italiæ, ſeueriſſimi reatus irrogatæ deportationis videri debuit. Ioannes autem Corraſius verba iſta Vlpiani in l.i. §. iii. De officio Præf. vrbi; *deportandique in inſulam, quam Imperator aſſignauit, licentiam habet*; quæ de hoc Præfecto ſcripta ſunt, ad factum refert. Si quidem (ait) conſueuerant Imperatores, cùm ab vrbe in Prouincias egrediebantur, vrbi Præfecto Inſulam deſignare, in quam deportati amandarentur: Hac non aſſignatâ, poterat nihilominus Præfectus re ipſa deportare, vt videlicet exequutionem traheret ſecum condemnatio. Eſto ſiquidem ſi Princeps aliquis Ro- XI.

manus Corraſium admonuit ſuæ conſuetudinis, aut ſaltem vetus aliquis liber inſtruxit. Magis credo Præfectum Prætorio dumtaxat, id iuris vſque eò habuiſſe, vt ſententiam deportationis ad exitum abſque Principis facto perduceret; ipſe in inſulam deportaret, atque inſulam aſſignaret: quod et-
XII. iam tribuit Vicario iſtius alicubi *d* Cuiacius. Exemplum, quod in re laudarem, de Iure hoc Præfecti non habebam, priuſquam in Philoſtorgi à Photio excerpta, quæ Iacobus edidit Gotofredus inciderem. Hæc ibi ſunt lib. IX: *Poſt Auxonium Modeſtum Præfectum conſtitutum* (Prætorio ſcilicet, quod anteà expreſſerat in Auxonio) *Eunomium in Axiam inſulam deportaſſe*; illum ſcilicet, à quo Eunomiani hæretici. Sed in Conſtitutione Manuelis Comneni adductâ à Theod. Balſamone in commentariis ad epiſtolam D. Baſilij Canonicam Amphilochio ſcriptam, conceditur facultas Præfecto τ̃ θεοφυλάκτου μεγαλοπόλεως *Dei obſeruatricis magnæ vrbis*, reum abſente Imperatore in remotiorem aliquam regionem exterminare: quæ in defectum inſularis exilij paſſim vſurpabatur his temporibus perfecta deportatio. At non ex hac ætate Imperij Orientalis deſumi debet ad Occidentalis, & Romani mores politicos argumentum. Omnia Græci mutauerunt inferiores, aut ferè omnia quæ ſuperioris æui Conſtantinopolitanis, & Romanis Imperatoribus placuerunt.

*d Ad l. 6. De iniuſto rupto &c.*

XIII. Planè ferendum non eſt argumentum fieri ab vrbano ad Prætorij Præfectum; vt exemplo illius ſuſtinere hic non minus debuerit, quouſque definiret inſulam Princeps. Notum ſatis eſt, eum, qui Prætorio præficeretur, *vice ſacra ſolum cognoſcere verè dici*; vt ait Conſtantinus in l. XVI. C. de Appellat. *ſecundumq́;* eſſe *Imperij*; quod audit in Macrini epiſtola, quæ in Lampridij legitur Diadumeno: *Imperatoriſq́; Vicarium; maximaq́; ſecundùm Principem amplitudinis, & honoris, per quem is propriiſſime iudicabat*: Cuius poteſtati (quæ & βασιλεια ἀπόρφυρ☉, *regnum ſine purpura* Eunapio eſt in Proëreſio) nullam aliam dignitatem ait æqualem Caſſiodorus; gratanterque, quod conſtituiſſet ipſe, Imperatorem implere. Mirè totum hoc titulus confirmat decretus olim à Senatu Miſitheo cuidam quem Gordiani iunioris habuit ætas Prætorio Præfectum. MISITHEO EMINENTI VIRO PARENTI PRINCIPVM, PRÆFECTO PRÆTORII, ET TOTIVS ORBIS, TVTORI REIPVBLICÆ S. P. Q. R. VICEM REDDIDIT. De tempore Valentiniani, Valentis, & Gratiani Auſonius quidem Probum PP. triga illa tantùm Auguſtorum ait minorem,

*Qui ſolis exceptus tribus,*
*Heros heroum primus eſt,*
*Prætorioq́; maximus.*

Et inficiabimur huic magis datum, cuius eò maximè dignitas fuit, & poteſtas ſummo loco habita, vt Principem referret, eiuſque ſacra vice ius diceret Orbi Romano? Præfectus ſanè vrbis nil magis erat quàm veluti Præſes in vrbe, & intra ſpatium ſuburbicariarum regionum, non quidquam valens vltra centeſimum lapidem auctoritate ſua expedire: quanquam & ſacra vice iudicare is non tam propriè. Sacrumque auditorium ipſius dicatur in
XIV. l. LXVII. C. Theodoſ. de Appellationibus. Neque eſt quod nobis obiiciatur vrbis Præfecturam, cunctis, quæ intra vrbem eſſent, antecelluiſſe dignitatibus ex conſtitutione Impp. Gratiani, Valentis, & Valentiniani, quæ eſt in l. III. C. De officio Præf. vrbi: æqualemque vtriuſque Præfecti eſſe dignitatem vt dicitur in l. I. C. Theodoſ. de officio Præf. Prætorio & vrbis. Norunt enim qui Romanæ Hiſtoriæ operam dant, & in ſuperiori capite nos docuit Zoſimus, diuiſo Præfectorum in partes imperio, vt pro vno non minus quatuor totidem orbis plagis aſſignati conſtituerentur, ſupremam illam Præfecturæ poteſtatem minuere Conſtantinum voluiſſe; vt mirum non ſit

iam ab hoc tempore Vrbanam Præfecturam Prætorianis ſingulis parem factam. Sed an inualere diuerſus mos cœperit in iure deportationis vtrorumque, non noſtrum eſt abſque aliis argumentis determinare: niſi quod ex Philoſtorgi iam adducto exemplo Prætorij Præfectum nouimus deportare potuiſſe illo etiam tempore, quo Imperium penes Chriſtianos fuit Imperatores, quatuorque per orbem Romanum Præfecturæ nominabantur.

## CAPVT VIGESIMVMNONVM.

### Cur Princeps non facilè tribuerit aliis Ius deportandi?

I. *Multorum rationes proferuntur, & examinantur.*

II. *Accurſij & Bartoli error, quos alij ſequuntur.*

III. *Prouincia Inſularum in Nouellis quæ?*

IV. *In rebus Iuris, vt vocant, conſtituti non alia ſæpè ratio quam voluntas Principis.*

V. *Antonij Fabri duæ rationes expenduntur.*

VI. *Et alia Raphaëlis Fulgoſij & M. Lyklamæ.*

VII. *Itemque alia Alberici, & Alciati.*

VIII. *Noſtram tandem rationem ſiue harum ferè omnium ſuperiorum cinnum proferimus.*

DEinde ad quæſitum poſteriore loco tranſeamus; quidnam in cauſa fuerit nempè, vt deportationis facultatem vel Princeps ſibi reſeruauerit, vel ſaltem Præfectis ſuis tantum permiſerit: & quare gladij poteſtate, iureque Magiſtratibus Prouinciarum collato, vt in crimina vel ſummo Vitæ ſupplicio animaduerterent, pars hæc imperij meri, quæ pellendis ſubſtantia ſua, & iure ciuitatis hominibus tributa eſt, ſeorſim à cæteris ipſiuſmet imperij partibus, & cauſis haberetur. Offert ſeſe hîc ante alia ſeniorum Interpretum ratio, quos nollem de huiuſmodi rebus, quæ aliunde quàm ex Iuris libris cognoſcere opus fuit, tam abſurdè cogitata pro viris illicò affirmaſſe. Primus, quod ſciam, Accurſius credidit *a* ea propter expectari à Præſidibus Principale iudicium opportuiſſe, quòd cum ſub ſe omnes inſulas Princeps nullo interpoſito Magiſtratu haberet, non vlla his, in quam deportare poſſent, relicta eſſet. Hanc illius coniecturam, quæ apertis etiam teſtimoniis domo natis conuellitur, ex abſoluta refinxit in conditionalem Bartolus *b*: iactat enim ſe gloſſam ſequi in eo quòd cenſet Præſidem deportare non potuiſſe, quando non habuit inſulam; ſecuſque dicendum, ſi haberet. Nempè viderat, quod Accurſium fugerat adiacentes inſulas ad Prouinciarum formam pertinuiſſe, vti ſcribitur in l. VII. §. I. De Interdictis &c. l. Inſulæ IX. De Iudiciis. Planè *inſularum Prouinciæ* (nè id ignoremus) *Præſidatuſque* appellatio, quantumuis generaliter concepta, quaſdam Ægei maris inſulas, & in his principem Rhodum intra ſtetit: quæ conſtituta ſub Veſpaſiano fuit Prouincia, Rufo Feſto auctore in Breuiario. Huius Præſidis mentio eſt in Nouella CLXIII. cap. II. item in Nouella XLI. cuius tamen inſcriptio illa *de Quæſtoribus, id eſt Præfectis Inſularum* nihili eſt præ alia, quàm in Regiæ Bibliothecæ Indice inuenit Cuiacius, *De Appellationibus quinque Prouinciarum.* Curritanæ, & Celſinæ inſulis comes etiam præfuit Caſſiodori ætate, ignotis hoc ſæculo, forte in Hadriatico mari: cuius rei meminit lib. VII. Variarum

I. II. III.

*a* In l. Illicitas, §. qui vniuerſas. De officio Præſidis.

*b* In l. 7. De Interdictis &c.

tiarum cap. XVI. Nihil horum iuuat Accurſium. Sed huius, & Bartoli magnus in eo error eſt, quod putant ex defectu inſularum, non verò iuriſdictionis, deportandi facultate Præſides caruiſſe: at neque horum tantum error, ſed & Iacobi de Arenis quem Bartolus magni habet, & ad rem laudat. Denique Muxellani *c*. Mirum, quòd & nouiorum, quorundamque non mediocri eruditione, Franciſci Hotomani, Ioanni Corraſij, Ioannis Gryphiandri. His vtique dudùm expugnatis abnormis ſententiæ rationibus, quidquam opponere aliud ſuperuacaneum puto, quàm noſtros auctores diſertè, abſoluteque ſcriptum reliquiſſe deportandi ius Præſidibus nuſquàm datum.

*c In c. Cui licet. De Reg. iuris.*

Diſplicuit ergò quam plurimis neotericorum opinio iſta, quam vice ſua reformare in melius contendit eruditiſſimus, & prudentiſſimus quiſque.

IV. Placet quod Faber *d* præiudicatè voluit notatum, eorum ſcilicet quæ ſunt Iuris poſitiui, (vt vocant) & conſtituti non Prudentum reſponſis, ſed Principalibus ſanctionibus, haud aliam ſæpè rationem fuiſſe, quærendamue eſſe, quàm Principum voluntatem inter tot Reip. mutationes, improboque, & inciuili multorum dominatu inconſtantiſſimam, & momentis rerum quoquo tempore accidentium omninò addictam. Nec tamen ſine certa, & proba ratione hoc ſaltem, de quo ſumus nunc ſolliciti, putamus factum, nec Faber putat.

*d In Iuriſprudentia Tit. II. princ. 4.*

V. Cenſet ille quidem ideò Principem deportationis cauſam remitti ad ſe à Præſidibus voluiſſe, vt is Inſulam aſſignaret, qui cauere ſibi à deportatis, & publicarum rerum ſummæ proſpicere debuit: ne fortè commodæ rebus nouandis Inſulæ, aut hoſtibus propinquiores, mentem clauſis iniicerent, aut turbas mouendi, aut ſaltem fugam arripiendi. Exemplum dabo; quod ipſe non affert. Taciti verba hæc ſunt ex libro III. Annalium. *Cæſar Antiſtium veterem è primoribus Macedoniæ abſolutum adulterij, increpitis Iudicibus, ad dicendam Maieſtatis cauſam retraxit*; *vt turbidum, & Rheſcuporidis conſiliis permixtum* (hic Thraciæ Rex fuerat) *quâ tempeſtate Cotye fratre interfecto bellum aduerſus nos voluerat. Igitur aqua & igni interdictum reo, adpoſitumque, vt teneretur inſulâ neque Macedoniæ, neque Thraciæ opportuna.* Sed tamen cur Proconſulibus à ſenatu dari hac eadem ratione Principes non vetuerunt, Faber ipſe qui pro illorum partibus eſt, adiungere debebat. Nos qui ad ſolum Principem, & qui ſacra vice ipſius iudicant, cùm deportationis ſententiam, tum inſulæ adſignationem, pertinuiſſe ſcimus, neque adeò reiicimus Fabri rationem, neque adeò probamus, vt ſtatim exoneremus nos labore aliam quærendi. Profectò ipſe non tam huic fidit, quin & alteram ſubiungat, quam & videtur magis probare; quippè duobus locis *e* productam. Noluiſſe ſcilicet Imperatores videri ſe ius illud ampliſsimum, & digniſsimum Romanæ ciuitatis contemptui habere, ſi Præſidibus ſuis facultatem hoc auferendi concederent, præter eos caſus, quibus libertas per condemnationem, ſiue cum vita, ſiue viuis pariter auferretur.

*e Vbi proximè & ad Tit. Quibus modis ius pat. poteſt. ſolui.*

VI. Aliter ex Raphaële Fulgoſio rem expedire tentat Marcus Lyklama *f*. Deportatione vrbem directè auferre credit vltrà, ſupraue iuriſdictionem Præſidum fuiſſe: cùm ciuitatis Romanæ ademptio pœna eſſet, non illis competens vi Prouinciæ demandatæ, & commiſſæ. Sed in contrarium eſt; quòd Præſes in Prouinciales ſuos eandem iuriſdictionem, & imperium, quod Romæ, atque intra centeſimum vrbi Præfectus, in orbe Romano Princeps exercebat. Et cur ciuitatis ius, quod infixum, & innatum eſt Prouincialibus, totoque orbe ſparſum, & commune factum intra vrbis pomœrium nobis claudunt; vt nemo extra vrbem cum imperio miſſus accepiſſe videatur in hoc ius ciuitatis facultatem, & iuriſdictionem? Quòd ſi ad arbitrium Principis huius rei cauſam referre volunt, hoc ipſum eſt, de quo nos intentè quærimus.

*f Lib. 4. Membran. ecloga 10.*

VII. Alciatus quidem Alberici teſtimonium laudans ità æſtimat; quia

quia ciuitas Romana non niſi Senatuſconſulto, vel legè lata olim adimeretur, meritò ante Principis ſententiam, in quem tranſlata ſunt populi iura, mox deportandum ciuem manere, quòd ciuium Romanorum pœna eſſet deportatio. Quod ſi Præſes (adiungit Alciatus) aliquem non ciuem deportare vellet in aliquam ſuæ Prouinciæ inſulam, id ei licuiſſe, argumento ex l. vltima. D. De ſepulchro violato. Non totum hoc placet: nam in primis, vt ſit peregrinos homines inſulis includendi poteſtatem (antequam communicatum fuiſſet cum Prouinciis omnibus hoc ius ciuitatis) Præſides habuiſſe: de quo propter Fabri priorem illam rationem valdè ambigimus: argumentum ſanè ex illâ lege non video, quare Alciatus laudet. Dein ſi populus in Principem iura ſua omnia tranſmiſit, aut Princeps, vt à populo acciperet Theſſalia (vt vocant) perſuaſione, quæ ſimul coactionem continet, planè effecit; in quibus iuribus & hoc etiam venit auferendæ ciuitatis; cur in legatos ſuos vnà cum gladij iure, quod non minùs populare fuit, & à populo acceptum (quippe cuius tantum fuiſſet olim de ciuis capite iudicium) non transfudit.

Sed abſoluamus iam nos ab hac quæſtione, ad medium ſcopum, ſi Deo placet, collimantes; quem ſupra laudati interpretes fortaſſe non toto telo feriunt. Monebam olim ex Cicerone, dum interdictionis aquæ & ignis reipub. tempore vigentis morem exponerem, eò ſanctitatis, & dignitatis perductum à Romanis, velut politicâ ſuperſtitione quadam, ius illud ſuæ vrbis, quo vniuerſi, qui nati fuiſſent Romæ, aut aliis locis eodem iure donatis, fungerentur; adeoque conſpiratum eſt legibus, & moribus ad id ornandum, atque excolendum, vt paulatim deuentum ſit ad eam perſuaſionem, ab inuito ſcilicet tolli non poſſe, nè quidem populi iudicio, & ſententia ius ciuitatis. Quapropter admouenda neceſſariò fuit vis illa, ſed ciui illata, neceſſariarum rerum interdictionis, vt ipſi nocentes alio profugi hoc ius, aliter non auferendum, ciuitatis Romanæ, ciues mox aſciti aliarum, ipſi ſibi extorquerent. At ſuſcepto Imperio Auguſtus veterem morem interdictionis, inſulari exilio mutans ſacrum, & inuiolabile ius illud ciuium penitùs abrogauit, tranſportatis in inſulas, certoque loco affixis, quos anteà liberum exilium, iunctique fœdere Reges, aut populi excipiebant. Conſcius tamen huius facti prudentiſſimus Princeps, nè inuiſam, & incognitam ad illud tempus pœnam, quâ grauiſſimè lædebatur ciuium libertas, exiſtimatioque, ordinarij ſtatim faceret imperij, ipſe ſibi, credo, reſeruauit, ſolique permiſit deportandi licentiam. Quam quidem & Præfectis Prætorio & vrbi, nuſquàm tamen Magiſtratibus, ſeu poteſtatibus Prouinciarum, ſubſignari paſſa eſt, cum aſſueuiſſet iam populus regnari, poſterior ætas. Hæc in ſanâ republicâ circa mortis, & cuiuſcumque ſententiæ capitalis inferendæ poteſtatem obſeruata nil mirum non tuliſſe Neronis tempora: de quo Dio Cocceianus in excerptis de vitiis & virtutibus [g]. πάντα δὲ τῷ Ἡλίῳ ἐπιτέτραπτο καὶ δημεύειν, καὶ φυγαδεύειν, καὶ ἀποκτιννύναι πάντας ὁμοίως ἐξεῖναι: *poteſtatem fecit omnium Elio,* (liberto) *publicandi, exilio damnandi, occidendique quoſcumque vellet.* Hucuſque noſtra coniectura eſt, quæ quidem aliis munita cæterorum rationibus, quos non omninò cauſa cecidiſſe in quærendo huius rei conſilio certus ſum, planiſſimè oſtendit, non fruſtra, aut ſine ratione id placuiſſe, ne inter partes imperij ſui Prouinciarum Rectoribus, & vnà cum gladij animaduerſionis poteſtate, ius etiam deportationis concederetur.

Margin: VIII. — [g] Pag. 691.

CAPVT

# CAPVT TRIGESIMVM.

## Differentia vltima relegationis à deportatione: hæc capitalis, illa minimè.

I. *Capitalis pœna eſt deportatio: relegatio non item.*
II. *Quanquam & capitalis quæque alia cauſa infamiam importans audierit quandoque.*
III. ἀκέφαλος *&* capite minutus *de ignominia notato.*
IV. *Deportatio minima pœna capitalium.*
V. *Capitalis pœna quandonam de deportatione ſit intelligenda, & quando de morte.*
VI. *Relegatus nuſquàm audit rei capitalis damnatus.*
VII. *Explicatur l.* XII. *§.* IV. *De Accuſationibus.*
VIII. *Pœna capitalis ſi pecuniariæ opponatur latiſſimè ſignificat exiſtimationis omnem cauſam.*
IX. *Adulterij pœna capitalis quomodo de relegatione intelligenda ſit.*
X. *Pœna legis Iuliæ de Adulteriis relegatione an alia fuerit, incertum.*

DE his Magiſtratuum iuribus in exilij irrogatione ad rei neceſſitatem
I. ſatis dictum. Reſtat vt aliam differentiam vtriuſque inter ſe partis tandem exponamus. Videlicet capitalis, & corporalis pœna deportatio eſt; neutiquam relegatio. Capitalis pœna illa eſt, quæ mortem naturalem (hoc eſt *ſummum ſupplicium* Calliſtrati *a*, *capitale ſupplicium* & *mortiferam pœnam* Cæſaris Conſtantini *b*, *ſupplicium* ſine adiecto Vlpiani *c*, *mortis*, ſiue *ſanguinis pœnam* aliorum) vel quidem ſeruitutem irrogat, vel exilium. Regulam audis, & finitionem toto iure receptam: ex l. licet CIII. D. De Verbor. ſignif. l. II. v. XVIII. De Pœnis l. X. De Iure patronatus l. XIIII. §. III. De bonis libertorum l. IV. De Si quis cautionibus &c. l. II. De publicis iudiciis l. XIII. De bonorum poſſeſſionibus. Græcè dedit Attaliata Tit. LXXVIII. Κεφαλικὴ καταδίκη ἐςὶν ἡ θάνατον, ἢ ὑπεύθυνον ποινῆς, ἢ πολιτείας ἔκπτωσιν ἐπάγουσα οἷον ἐςὶν ὁ περιορισμός. *Capitalis condemnatio eſt quæ mortem, vel ſeruitutem pœnæ, vel*
II. *ciuitatis amiſſionem infert, quale quiddam deportatio eſt.* Quanquam nec tergiuerſari fas eſt Modeſtino aienti, *capitalem latinè loquentibus omnem cauſam exiſtimationis videri.* in l. CIII. De V. S. Quod confirmare prorsùs video ſummum Oratorem in eâ, quam pro Quinctio habuit, de rebus ſocietatis cum ſexto Næuio; paſſim appellans capitis, in qua causâ fortunæ tantum, & exiſtimatio Quinctij verterentur: niſi quòd oratoriè magis, quàm propriè ita
III. loquutum Ciceronem Manutius olim credidit. Sed cuius exiſtimatio minuitur, videlicet ignominioſus, non malè dicitur Græcè ἀκέφαλος, *ſine capite*; etiamſi iure Romano nulla ex tribus capitis minutionibus ei contingeret, qui infamia tantùm citra peregrinitatem notabatur. Artemidorus libro I. ὀνειροκ. cap. XXXVII. Ἀκέφαλον γὰρ (inquit) λέγομεν τὸν ἄτιμον: *namque Acephalum, ſine capite, appellamus ignominioſum.* Et Tertullianus capitis agnouit minutione damnatos ludicram illam ſpectaculorum gregem, quos non plus, quàm ignominiâ veterum exiſtimatio damnauit. Libro de ſpectaculis, cap. XXII.

a *l. 28. principio. De Pœnis.*
b *l. Quoniã C. Ad leg. Iul. de vi. l. Vn. C. Th. Si quis ſol. cir. ext. inc.*
c *L. 1. §. 21. De S. C. Silaniano.*

XXII. *Manifeſtè* (ait) *damnant ignominiâ, & capitis minutione arcentes curia, ro-*
*ſtris, Senatu, equite, cæteriſq. honoribus omnibus ſimul, atque ornamentis quibuſdam.*
*πολύσημον d* ſanè hoc verbum eſt, & variis in locis varia ſignificat; etiam ſum- d *Multiplicis ſignificationis.*
mum ſupplicium mortis: quare Græci *κεφαλικῶς τιμωρεῖται, capite punire* vo-
cant quod alias *φονεύεται, interficere, vita priuare*: etiam decollationis pœnam,
vt obſeruat Semeſtrium doctiſſimus Faber *e*. Sequamur tamen Iuriſconſul- IV.
tos in re ipſorum, & notatione. Deportatio eſt hoc exilium, quo tollitur è e *L.1.c.13.*
ciuitate caput. Pœna igitur capitalis: ſed minima capitalium; vt ex Calli
ſtrati gradatione palàm fit in dicta l. XXVIII. De Pœnis. Eadem inter medio-
cria ſupplicia ponitur à Paulo V. Sententiarum librò tit. XVII. Contingit *ca-* V.
*pitis*, ſeu *capitalem pœnam* pro deportatione preſsè ſignificare, ſi cum aduer-
bio diſtinctionis mors, ſiue vltimum ſupplicium adiungatur: quo ſenſu do-
nandus eſt Modeſtinus in l. IX. §. I. D. De lege Pomp. de Parricidiis, vti iam
obſeruauit ad eam legem doctiſſimus noſter illius explanator V. C. D. Ioan-
nes à Solorzano Regius Senator, dum hæc ſcribimus Matriti, magno om-
nium ordinum mœrore ad Vitam meliorem euocatus. Capitalem quoque
pro exilij pœna debere accipi in l. vnica C. Ne Chriſtianum mancipium f *Alex. vol. 3. conſ. 115. pluresque apud Caguolum in l. Imperium n.59. De Iuriſd. Clarus 5. ſent. §. vlt. q. 67. Scipio Gentilis de Iuriſd. l.3.c.7. & ex Accurſio, Baldo, Cumano, & Imola Minſingerius centuria 2. obſeruat. 46. Decius in l. Imperium n.15. De Iuriſdictione.*
&c. docet ad eam rectè Accurſius, vt ſic conueniat l. Iudæi XV. C. De Iu-
dæis & cælicolis: quod Imolæ ac Decio placet. Et per contrarium, quia de-
portatio nomine ſuo poſita eſt, de morte dicitur capitalis pœna in l. VI. C.
Ad legem Iuliam de vi. l. II. C. Theod. Ad legem Cornel. de falſo. Quoties
autem ambiguum erit generali verbo capitalis pœnæ vltimumne, an me-
diocre ſupplicium intelligatur, benigniorem interpretationem, vt ſcilicet
minima capitalium irroganda ſit, probant Doctores *f*. Iam fruſtra eſſet, ſi
capitalis pœna deportatio eſt, corporalis vtrum ſit, quærere: item atque
abſciſſo capite, de toto homine ſollicitus eſſe. Planè Digeſtorum libri non
vſquam, credo, corporalem nominant pœnam; ſicut Imperatores in l. III.
C. De ſportulis.

VI. Relegationem, ſiue in tempus, ſiue perpetua eſſet, ſine inſula, aut in
Inſula, capitalem non dici Calliſtrato credimus in l. XXVIII. §. I. De Pœnis.
Rei capitalis damnatus non intelligitur *is, qui in relegationem erit*, vt loquitur
Africanus in l. XIII. De bonorum poſſeſſionibus. Scitè quidem atque ex vſu
ſermonis latini: quod exemplis veterum ſcriptorum confirmat Agellius
lib. Noct. Atticar. I. cap. VII. Eiuſdem ſententiæ eſt Paulus in l. II. De publi-
cis iudiciis. Sed plura ſunt, quæ ſubdubitare faciunt. Primum, quod in l. VII.
Hos accuſare XII. §. IV. De Accuſationibus, relegatio in exemplum propo-
nitur capitalium, ſiue capitis pœnarum; eoque argumento ad ſeruos non
pertinuiſſe Venuleius docet. Haud equidem in hoc ſabulo hærent qui vt
relegationem accommodent ſeruorum conditioni, verba illa auctoris *pecu-*
*niaria pœna irrogatur, vel etiam capitis, quæ ſeruorum pœnis non conuenit, ſicut rele-*
*gatio*, ita accipiunt, vt relegationis nomen non in exemplum capitalium pœ-
narum apponatur, imò in exemplum illarum, quæ ſeruorum conditioni
conueniunt, quia capitales non ſunt. Dictum nobis alio loco *g* quid Græci g *L.1.c.5.*
interpretes, quid quamplures Latinorum ſcripſerint circa huius legis ſen-
tentiam. Hoc tantum ſupereſt annotare comparatam cum pecuniaria ca- VIII.
pitis pœnam latiſſimè ſumi conſueuiſſe; & pro quocumque iudicio famæ;
etiam relegatione; etiam interdictione loci aut muneris: quomodo ſignifi-
care arbitror in formâ legis Iuliæ Repetundarum in l. VII. principio. D. De
lege Iul. Repet. aut quidem imperfecta lex eſt, ſi inter pecuniariam, & ca-
pitis cauſam aliqua ſit ab vtraque diſtincta. At in Reſcripto quodam Diuo-
rum Fratrum quod eſt in l. I. D. An per alium cauſ. appellat. reddi poſſint.
vtriuſque cauſæ, pecuniæ, & capitis mentione habita, relegatio deinde no-

minatur; quaſi nec pecuniaria, nec capitalis ſed tertij generis res eſſet. Si-
militer opponuntur vindicta, & condemnatio pecuniaria, vt illius nomine
quidquid vltra pecuniæ condemnationem ſit, comprehendatur; l. pen. D. Si
ex noxali cauſa agatur. Et exemplis adductis Petrus Faber docet *h*, quid-
quid pœnarum hominis famam pertingit, capitalium hoc nomine quadan-
tenus contineri.

*h L. 1. Semeſt. 13. pag. 212.*

IX. Secundum eſt quod obſtare videtur adulterij pœnam fuiſſe relegatio-
nem; vti pluribus viſum eſt, argumento l. v. D. De Quæſtion. l. VIII. De Di-
uortiis. l. XIII. De his quæ vt indignis &c. & propter alia tam Iuris quàm
Hiſtoriarum teſtimonia: quod quidem adulterium à Diocletiano, & Maxi-
X. miano Impp. capitale crimen audit in l. XVIII. C. De Tranſactionibus. Res
impedita eſt valdè: & in quâ copia ipſa exemplorum vtriuſque lateris ino-
pem conſilij facit; quænam adulteris olim impoſita, vel moribus, vel Iulia
lege, fuerit pœna. Quod quidem vt nunc ſciamus, non valdè eſt opus: de
quâ re poſt Briſſonium, Cuiacium, duoſque Fabros, Petrum, & Antonium,
Lipſium, Hotomanum, Tiraquellum, Menochium, Goedeum, Vulterium,
Donellum, Delrium, Couarruuiam, Ant. Auguſtinum, Reuardum, Alcia-
tum, Fachineum, fusè atque enucleatè agit omnibus his laudatis lib. II.
Membranarum ecloga IX. Marcus Lyklama: necnon & Anaſtaſius Germo-
nius lib. II. Animaduerſ. cap. IV. Guido Pancirola III. Variar. cap. XXVII.
Antonius Queſada in Variis Iuris quæſtionibus cap. XVII. Fatebimur nam-
que, ſi è re noſtra erit, quod & veram exiſtimamus, capitalem de relega-
tionis pœna non impropriè dici: quamquàm potior, vſuque receptior ea
ſit huius nominis ſignificatio, vt nempè relegationis pœna capitalis non
dicatur. Hieronymus Treutlerus quæſtionem agitat in ſelectis diſputatio-
nibus volumine I. Diſp. III. Theſi V. quæſtione XXXIV.

CAPVT

# CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

## An Relegatio ſit corporalis pœna.

I. *Quædam pœnæ capitales non ſunt, & tamen corporales ſunt.*

II. *Relegatio antiqua eadem cum temporali, nec à toto regno, exilio hodierno.*

III. *Perpetuum exilium corporalis eſt, & capitalis pœna.*

IV. *De temporali ambiguum an corporalis ſit.*

V. *Explicantur l.* XII. *C. De ædificiis priuatis, & Authent.* Sed hodie. *C. De officio diuerſ. Iudicum.*

VI. *Noſtræ leges pœnam relegationis corporali opponunt.*

VII. *Non omnis pœna, quæ corpus aliquo modo affligit, eſt corporalis.*

VIII. *Procurator pro eo admittitur, cui pœna tantùm relegationis debetur.*

IX. *Talis reus in carcere detinendus, non eſt, ſed ſub fideiuſſoribus dimittendus.*

X. *Fideiuſſores in corporalem pœnam non accipiuntur.*

XI. *In arbitrariis, arbitrarium eſt quoque, vt dimittat.*

XII. *Iudici, à quo ſuit appellatum, etiam hoc licet.*

XIII. *Qua cautela vti debeat hoc ab eo poſtulans damnatus.*

XIV. *Quibuſdam legibus noſtris, quæ repugnare videntur, ſatisfit.*

XV. *Explicantur l.* XVI. *Tit.* XVIII. *lib.* IV. *& l.* III. *Tit.* XIX. *lib.* VIII. *Compilationis.*

XVI. *Et l.* XV. *Tit.* XVI. *eodem l.* VIII.

XVII. *Iubentur non ſemel expectare in carcere rei ſententiam.*

SEd an corporalis pœna ſit relegatio maiori examine quærendum. Neque enim ſtatim atque aliqua pœna capitalis non eſt, pariter neque corporalis eſt. Membri mutilatio, puta manus, aurium, aut naſi abſciſſio, propria verbi acceptione capitalis non dicitur *a*: quia illa tantùm pœna, quæ caput hominis de vita, aut ſaltem de ciuitate, (naturam æmulante fictione Iuris) tollit, intelligitur. Et tamen corporalem eſſe, quis ſanus neget? Relegationem antiquam exilio temporali hodierno, quod ab aliqua vrbe, aut Prouincia, ſiue à regno integro exceſſum cogit, perpetuò comparamus. Lubetque hoc in præſentiarum adnotare; vt vniuerſi temporis, omniumque gentium, Hiſpaniæ præſertim (quod ſcire noſtra intereſt) relegatorum conditionem quæſtio hæc non perfunctoriè habita determinet; magiſque ac magis deſiderata luce perfundat. I.

Planè ex antiquis quidam corporalem pœnam exilium eſſe arbitrati ſunt: imò è recentioribus Boſſius quoque, & Farinacius mox adducendi. Sed nos rectè diſtinximus inter perpetuum, & temporale exilium, ſiue perpetuam, & temporalem relegationem; ne iam ab initio ipſo offenderemus. Relegatio perpetua, quæ à regno integro eſt, hodiernis moribus pro exilio proprio, ſeu deportatione habetur: eamque nil mirum pro corporali eſſe, ſi & capitalis eſt. In lege Compilationis noſtræ. IV. Tit. XXIIII. libro VIII. ex- II. III.

a L. 2. de Pub. iudiciis: ex qua id inuenitur contra Baldum Bartolus, Aretinus & alij apud Alciatū in l. Imperium n. 126. de Iuriſd. Menochium l. de Arbitrariis q. 86. n. 15.



preſſum

ris: quæ obſeruauerunt & expenderunt viri duo Iuriſconſultiſſimi Rodericus Suarez in Diſquiſitione de Fideiuſſore in cauſa criminali *i*; & Iacobus Menochius, Suarezio laudato lib. ſecundo de Arbitrariis Iudicum *k*. Ipſi tamen à recepta omnium Iuris Doctorum ſententia, & ſuperiore regula deuiare, aut recedere non audent; maximè Suarezius noſtras, cui promulgata recèns erat, hoc eſt poteſtate Iuris donata, illa lex Partitæ, vt fatetur ipſe *l*. Quæ quidem lex in vtramque partem diſerta eſt, & detinendi in cuſtodia rei pœnæ corporalis, & relaxandi, ſatiſdatione data, illius, qui pœnæ corporalis reus non ſit. Vtriuſque ratio in promptu eſt.

X. Nam fideiuſſores accipi in corporalem pœnam axioma illud Iuris inhibet, quo Vlpianus vtitur in l. liber homo XIII. Ad leg. Aquiliam, Dominum membrorum ſuorum videri neminem: ex quo apud omnes *m* hæc pars fideiuſſorum non vltrà quàm pecuniæ accipiendorum in criminalibus cauſis, obtinuit. Eluderetur quippe legis pœna, ſi nec reus præſto eſſet, vt corpore puniretur: nec item fideiuſſor ſimilem pœnam vice illius ſubire poſſet. Verùm quòd ex fugâ eius, qui relegationi deſtinatur, nullo ex capite fruſtretur ſententia; imò ipſe dictam ſibi pœnam exequi videatur; nil vltra eſſe officij ſui exiſtimabit Iudex, quàm vt fideiuſſoribus in caſum pecuniariæ damnationis, quæ rarò ceſſat, acceptis, vadatum reum cuſtodia liberet. Idcirco dum ſtaret Romanorum Reſpublica; & lex illa, ſeu mos vigeret voluntarium exilium reis permittens, nec corpori ciuium Romanorum quamuis grauiſſimis aliquam pœnam irrogans, inutilis vinculorum, aut carceris detentio reputabatur: ſaltem ab eo tempore, quo in pecuniariæ pœnæ ſolutionem publicos vades fideiubere pro reis obtinuit. Cautum enim ſic vndique rei, ac vindictæ publicæ; cùm exilio, & pecuniæ ad ſummum irrogandis ſpontè fugiens ante iudicium, aut poſt iudicium ipſe reus, vadeſque dati omninò facturi erant ſatis. Exemplo Cæſonis Quintij prælucet his Liuius tertio libro. Huic Virginius plebis Tribunus capitis diem ob illatam vim ſibi, & collegis dixerat: ſeruare eum in vinculis vſque ad ſententiæ diem volebat: *Appellati cæteri Tribuni* (ait Liuius) *medio decreto ius auxilij ſui expediunt. In vincula coniici vetant. Siſti reum, pecuniamq́, niſi ſiſtatur, populo promitti placere pronuntiant. Reus, dum conſulerentur Patres retentus in publico eſt. Vades dare placuit. Vnum vadem tribus millibus æris obligarunt. Quot darentur, permiſſum Tribunis eſt: decem finierunt. Tot vadibus accuſator vadatus eſt reum. Hic primos vades publicos dedit. Dimiſſus è foro nocte proxima in Tuſcos in exilium abiit.* Hæc Liuius. Liberari nempè eum cuſtodiâ datis vadibus ſummè fuit æquum, qui non vltra quàm exilio, & pecunia erat damnandus.

XI. Quid tamen ſi non lege aliquâ, ſed arbitrio Iudicis ſtet damnatio: hoc eſt ſi corporalem pœnam, aut non corporalem, ſiue relegationem, aut relegatione quid durius arbitrio ſuo Iudex irrogare poſſit. Etiam in cauſa iſta non ſcriptæ legis debere eum obſeruare, & ſequi, quod conſuetum eſt, nec aliam pœnam ab eâ, quæ vulgò ſolet, dicere, ſecundum commune Interpretum Iuris placitum *n* obtinuit. Quare ſi ſeueriorem pœnam, hoc eſt corporalem decerni ferat conſuetudo illius loci, reum cuſtodia, non exſoluet Iudex: ſi relegatio, ſimiliſúe, quæ corporales non ſunt, ex more infligendæ ſint, fideiuſſione accepta iure relaxabit. Si vero de hoc nulla ſit præiudicata conſuetudo: quemadmodum (ait Menochius) eſt in ipſius iudicantis arbitrio de pœna iudicare, ità etiam ei licebit de hac remiſſione carceris ſtatuere.

XII. Permittique hoc ius in reũ, qui ſuperiorem appellauit Iudicem, quantumuis pendente appellatione nihil ſit innouandum, Iudicia quo fuit prouocatum, Baldus *o*, & ex eo Gregorius *p* noſtri Iuris ſeptempartiti Scholiaſtes docent. Quamuis enim regula illa toto Iure recepta *q* videatur repugnare,

*i* cauſa criminali Gomez l. 3. c. 9. n. 8. Couarr. 2. var. 8. n. 8. Clarus l. 5. §. fin. q. 46. Menochius de Arbit. l. 1. q. 80. n. 1. & lib. 2. cent. 4. caſu 303. n. 15 Farinacius in Praxi Tit. de carceribus q. 33. n. 1. & 19. in. 13. & ſequẽtibus.

*k* Centuria 1. caſu 103. n. 37. & ſeqq.

*l* n. 18. & 23.

*m* Suarez vbi ſupra n. 21. Menochium d. caſu 303. n. 16. Farinacium eadem q. 33. n. 49.

*n* Quos laudat Menochius l. 1. de Arbitrariis q. 86. n. 26. & l. 2. caſu 303. n. 39. Scholia ad Clarum d. q. 46. n. 22. Farinacius d. q. 33. n. 54.

*o* In addit. ad Specula-

gnare; pendente appellatione Iudici, à quo fuit prouocatum quidquam noui facere non licere; huic regulæ nonnullis exceptionibus ſolet ab Interpretibus derogari: quas videre eſt in eorum *r* commentariis. Vnum, & alterum dabo exemplum. Dum pendet appellatio, poteſt excommunicationem à ſe dictam Iudex ſoluere, ac reum abſoluere: vt plures *ſ* docent in capite. *Quâ fronte.* De appellationibus. Poteſt etiam reum fugæ ſuſpectum in carcerem mittere *t*: & generaliter ea omnia expedire *u*, quæ in faciliorem exitum appellationis tendunt: nempè ſi nullum fiat exinde præiudicium aduerſæ parti, aut appellato Iudici. Tale quid fieri exiſtimo in relaxando ſub fideiuſſoribus reo ad exilium damnato, qui ſuperiorem appellauit Iudicem: copia enim ipſi reo datur re apud eum ſiſtendi, & cauſam propriam per ſeipſum defendendi: atque è contrario nullum cauſæ ipſi, aut aduerſario, aut Iudici, apud quem ea pendet, fit præiudicium. Non cauſæ; quia cum nil extra exilium ſubire reus debeat, ipſe damnationem in ſe exſequetur, ſi profugerit; vades autem dati pecuniariam pœnam ſoluent. Non parti aduerſæ, aut Iudici appellato; quia nec accuſator vlterius quid ab hoc nouo iudicio ſperare, nec Iudex quid in eo vlterius facere poteſt, quàm vt iuſtè dictam exilij pœnam, aut non iuſtè dictam pronunciet. Hoc enim diſputamus in iis cauſis, in quibus appellatus Iudex nequit arbitratu ſuo pœnam dicere; ſiue eam, quæ à lege dicta eſt, augere, aut moderari. Multa enim ſunt, quæ etiam in legalibus, hoc eſt à lege definitis olim pœnis quidquam Iudicis concedunt arbitrio: nam pro qualitate loci, & temporis pœnæ augeri ſolent, neceſſitate ipſa ſcripto Iuri intercedente. l. Aut facta XVI. §. penultimo. De Pœnis l. III. Tit. XXVI. Partita II. Quibus certè in cauſis, & quoties corporale aliquid ſupra dictam exilij damnationem valet appellatus imponere, nullas ſibi partes debet, is à quo appellatum eſt, in re nocentis vltra aſſumere. At quoniam is, qui apud antiquum Iudicem pendente; aut facta XIII. ad alium appellatione, quidquam agit, tacitè videtur, ſecundum Iuris regulas, appellationi renuntiare *x*; cauere debet in carcere poſitus, qui exſolui eò ſe apud antiquum Iudicem petit, diſertis verbis, palamque proteſtari, neutiquam velle ſe hoc facto præiudicare appellationi interpoſitæ, aut ei renuntiare. Quo modo ſatis cautum huic parti indubitata res eſt apud Doctores *y*.

XIV. His tamen repugnare videntur, facultatemque relaxandi reos quorumcumque criminum poſtulatos ante ſententiam denegare Iudicibus, Hiſpani Iuris noſtri non vnus, aut alter locus. Primùm in l. XVI. Titulo XVIII. lib. IV. Compilationis legum noſtrarum, ſancitum extat: *que quando alguno fuere preſo por cauſa pecuniaria, no ſeiendo la cauſa criminal, ſi apelare depoſitando la Cantidad, o dando fiancas, ſea ſuelto de la priſion.* Hoc eſt, vt pecuniariæ cauſæ reus, quæ criminalis tamen non ſit, in carcerem miſſus, ſi appellauerit, pecunia apud ſequeſtrem depoſita, ſeu fideiuſſoribus datis, à cuſtodia liberetur. Quâ lege facultas exſoluendi reum cuſtodiâ in pecuniariis tantùm cauſis, non in criminalibus permiſſa videtur. Et criminalem cauſam nos eam quoque intelligimus, cui pœna exilij reſpondet: quod expreſſum eſt in l. IX. Tit. IV. Partita III. Cui ſtandum eſſe in ea verbi notatione Petrus Auendanius inſuper docet in Lexico Hiſpanienſium vocabulorum quibus leges noſtræ vtuntur *z*. Vrget etiam quod in l. IV. Tit. XIX. lib. VIII. De Concubinis Clericorum, legitur conſtitutum. His nempè cuſtodiam & carcerem lex indicit, vſque ad iudicium appellationis abſolutum, quæ à ſententia ſibi dicta prouocauiſſent. Vnde induci poteſt ad regulam ſuperiorem ſubuertendam; has concubinas in pœnam exilij, aut pecuniariam, quæ ſemel, atque iterum delinquentibus, irrogari, vt prædiximus, nec aliqua

*torem, de Apell. columna* 10.
p *In gloſſa legis* 26. *Tit.* 23. *Part.* 3.
q *Ca. ſuper eo. c. vt debitus c. Ad hæc. De Apellation.*
*l.* 1. *& toto tit. D. Nil nouari appell. pendẽte l.* 26. *Tit.* 23. *Partita* 3.
r *Maranta in ſpeculo Iuris Pà.* 6, *in ſecundo actu deciſſorio Iudicis n.* 173. *& ſeqq. Lanceloti de Attentatis appell. pendẽte limit.* 1. *&* 53. *ſequentibus Scaccia De Appell. q.* 3. *ex n.* 48.
ſ *apud Marantam n.* 180. *Lãcelotũ limit.* 23. *Scacciã d. q.* 3. *ex n.* 39.
t *V. Scacciã n.* 27. *Lancelotum limit.* 31. *n.* 3.
u *Scaccia n.* 20. *Lancelotus c.* 12 *limit.* 4.
x *V. Scacciã de Appell. q.* 17. *limit.* 2. *n.* 12.
y *Apud Scacciam qui veteres laudat d. q.* 17. *limit.* 2 *n.* 43.
z *Verbo* Criminal.

alia corporalis ſolet, non ex præſcripto iſtius regulæ in carcere adſeruari. Præterea in l.xv. Tit.xxvi. Eiuſdem libri viii. Aleatoribus ea pœna dicitur, vt ſi Nobiles ſint, ſolutâ ducentorum ducatorum, vt vocant, ſummâ, per quinquennium à regno exulent: ſi Plebeij, triremibus hoc eodem quinquennij tempore mancipentur, centenaria inſuper verborum pœna mulctati. Atqui vltra lex progreditur: *que el que fuere preſo por auer incurrido en eſto, no pueda ſer ſuelto de la carceleria, en que entrare, en fiado, ni de otra manera, haſta que de todo punto ſu cauſa ſea acabada, y determinada*: hoc eſt diſertè cauiſſe, nè aleatores è carcere vſque ad ſententiæ tempus, nedum idoneâ præſtita cautione, liberentur. Quæ quidem appendix ſi ad nobiles viros, quorum pœna exilium eſt dumtaxat, referatur, vti referre etiam debere ipſa verba legis in genere dicta ſuadent, valde nos, regulamque à nobis poſitam labefactare videntur.

XV. Sed vtique morari hæc nos non debent quominùs regulæ acquieſcamus; quam, vt dici ſolet *aa*, hæ exceptiones, & ſi quæ aliæ reperiantur, planè firmant. Et eſt vniuſcuiuſque earum ratio ſpecialis; quare ab his oportuit regulæ derogari: aut ſanè debent explicatione temperari, nè aliis legibus aduerſentur. Nam lex xvi. Tit. xviii. libro iv. generalem quandam diuiſionem inter pecuniariam, & criminalem cauſam conſtituens, ſic debet intelligi (nè cæteræ huius collectionis leges contrariæ huius ſint) vt criminalem de eâ, quæ afflictionem, aut coërcitionem maiorem corpori impoſitura eſt; pecuniariam verò de ciuili accipiamus. Cauere lex nimirum voluit, prouidereque pecuniæ debitoribus, nè carceri, dùm ſatisdederint, mancipentur: adiunxitque generalem illam exceptionem, ſi non iudicio criminali teneantur: quod eſt corporalem pœnam, non verò criminalem prorsùs omnem à pecuniaria diſtinxiſſe. Planè ad hanc interpretationem cogit nos ratio illa ſuperiùs cōſiderata, ſanctioque legalis de non incarcerandis concubinis Clericorum, quæ in pecuniam, aut in exilium damnandæ ſunt, ſatis expreſſa, & ſenſum Principum noſtrorum de hâc pœnâ exilij manifeſtiſſimè oſtendens. Neque item aliam Conſtitutionem illam legis iii. Tit. xix. libri viii. quæ has ipſas concubinas vſque ad ſententiæ diem cuſtodiæ addicit, ſuper his cauiſſe, quarum pecunia, exiliumúe pœna eſt, nimirum ſemel, atque iterum delinquentibus, exiſtimare debemus, qui verbis adeò apertæ in contrarium ſententiæ dictæ legis ii. huiuſmet tituli ſuperiùs iam laudatis, & expenſis adducimur, vt intelligamus contumaces tantùm, & quæ fuſtium, ſeu verberationis noxæ ſunt, cauſam dicere intra carcerem iuberi. Niſi & caſtitatis tuendæ voto perducti auctores legis, nè aliàs heſterni copiam criminis quaſi facerent, ſi cuſtodia mulierem exſolui paterentur, corpus luxurioſum etiam illius, quæ relegatione tantum coërcenda eſt, cuſtodire voluiſſe vſque ad ſententiæ diem credantur.

*aa* Ex l.12. §.43. *Verſ. Denique de Inſtructo fundo &c. l.4. in fine D. De penu legata. V. Couarruuiam l. 2. var. 5. n. 6.*

XVI. Tandem nè adductum poſtremo loco argumentum ex l. xv. Tit. xxvi. libri viii. è gradu nos deturbet, inficias non imus poſſe vſque eò legis pœnam pertingere, vt reum aliàs liberandum in cuſtodia detineri præcipiat; in pœnæ veluti partem hanc carceris coërcitionem contribuens: argumento ex l. Diuus iii. De cuſtodia reorum: quantumuis cuſtodiendis reis dumtaxat, non puniendis carcerem antiquitas deputauerit; l. viii. §. ix. De Pœnis. Exemplum eſt in Fiſci debitoribus, quibus relaxatio cuſtodiæ, quâ detenti manent, etiam offerentibus congruam ſatisdationem, denegatur in l. x. Tit. xvi. lib. ix. Compilationis l. xiv. Tit. vii. eodem libro l. vlt. Tit. xxi. libro iv. *bb* Quibus adiungi ſolet antiquior lex Romana, ſubobſcurè tamen id ius confirmans in l. ix. in fine. D. Ad leg. Iuliam peculatus; & hocce inter priuilegia Fiſci Salicetus poſuit *cc*. Huiuſmodi eſt de aleatoribus concepta hæc

bb *De quibus Laſarte de decima venditionis c.18. n. 57.*
cc *In l. fin. n. 10. C. De Priu. Fiſci.*

noſtra

noſtra ſanctio: quos, ſi non expectare eos iuſſiſſet lex in vinculis ſententiam, regulæ generali abſque dubio contribueremus.

# CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

## De Relegationis pœna Canonica.

I. *Quia corporalis pœna non eſt, exilium metus cauſa iuſta non eſt.*

II. *Ad pœnam exilij irrogandam quot calculi damnatorij ſufficiant.*

III. *Eccleſia an vtatur exilij pœna.*

IV. *Pontificij Canones de ea concepti.*

V. *Fuſtigatione, perpetuo carcere, damnatione ad triremes, confiſcatione vtitur eccleſia.*

VI. *In Gallia non niſi pœnis propriè eccleſiaſticis.*

VII. *Eccleſia deportationem non infert.*

VIII. *Explicantur quidam Canones de deportatione, vt videntur, concepti.*

IX. *Epiſcopus non relegat niſi à ſua diœceſi.*

X. *Metropolitanus à ſua diœceſi propria relegat, non à Prouincia integra: niſi appellatus, & vt Metropolitanus de Clerico Suffraganei ferat ſententiam.*

XI. *Declarantur capita duo Iuris Canonici, quæ in contrarium adduci ſolent cap.* II. *de Arbitris.*

XII. *Et cap. Tuarum* XI *De Priuilegiis.*

XIII. *Metropolitano extra ſuam diœceſim auctoritas non eſt, niſi in iis rebus, quæ à Iure expreſſa ſunt.*

XIV. *A regno integro non poſſunt relegare Epiſcopi.*

XV. *Explanantur cap.* XXII. *&* XXIII. *Diſtinctionis* LXIII.

XVI. *Et cap.* XIII. XVII *quæſtione* IV.

XVII. *De auctore, & fide huius capitis diſquiſitio.*

XVIII. *Concilia Hiſpanica veluti comitia erant totius regni Gothorum.*

XIX. *Cap.* I. *de Calumniat. & cap.* II. *De Pœnitentia diſtinctione* IV.

XX. *De Clericorum à regno eiectione.*

DEinde vt alia æquè vtilia ex hac noſtri exilij conditione proferamus. Cùm iuſta cauſa metus non ſit, niſi talis metus probetur, qui ſalutis periculum, vel corporis cruciatum contineat, ex l. XIII. C. De Tranſactionibus: exilium non afferre iuſtam metus cauſam non malè dicemus. I.

Id quoque, ex eo quòd exilium pœna corporalis non eſt, procedit ad explicationem legis I. Tit. VII libri II. Compilationis: quòd irrogando reis exilio, cùm in Senatu, Curiaúe Criminalium Iudicum cauſa vertitur, duo ex tribus ſuffragia damnatoria ſufficiant; quamuis tertio Iudici diuerſum placuerit. Nam in hac lege ſic prouiſum fuit, nè minùs quàm trium Iudicum idem cenſentium conſpirantibus ſuffragiis, pœna capitalis, aut mutilatio membri, aliaúe corporalis, ſeu traductionis publicæ, ſiue etiam torturæ II.

 poſſit

poſſit irrogare. In quibus exilij hæc vti non corporalis, meritò non venit intelligenda.

III. Ferè etiam, quòd corporalis pœna exilium non cenſeatur, earum habetur numero, quas eccleſia in exarmatis, & clementibus iudiciis ſuis, ac Tribunalibus vſurpare ſolet. Quamuis non diffitear eam potiùs mentem fuiſſe ſacrorum legumlatorum in permittendis, & inhibendis aliis, & aliis in foro eccleſiæ pœnis, ne eæ, vnde mors punitorum ſequi poſſet, irrogarentur. Planè ab Eccleſiaſtica politia hoc genus pœnæ alienum non eſt: imò

IV. receptum, ac ſolenne. Meminerunt exilij plura Iuris Canonici, ac diſerta capita. Alexander Papa Epiſcoporum perſecutores perpetuâ notauit infamiâ, *exilio* inſuper damnans, vt appellat, *finitima*: quod extra fines territorij, ſeu diœceſis ſignificare videtur: de eoque à temporibus Apoſtolorum decreta haberi affirmat. Extat huius Pontificiæ epiſtolæ fragmentum in capite, *Hi qui* IX. III. Quæſtione IV. Concilium quoque Bracharenſe tertium, in cap. VII. Epiſcopos ſupra modum ſæuientes in caſtigatione ſubditorum excommunicatione, atque exilio damnat: cuius teſtimonio vtitur Gratianus in cap. *Cum Beatus* IX. Diſtinctione XLV. quamuis non rectè in eius hac collectione ſextum concilij caput, quod ſeptimum reuera eſt, laudetur. Diuus item Gregorius in quadam epiſtolâ relatus ab eodem Gratiano cap. *In primis* VI. II. quæſtione I. Stephani cuiuſdam Hiſpaniarum Epiſcopi exilio, depoſitioneque damnati cauſam Ioanni cuidam à ſe ad id legato in Hiſpaniam committens, pœnæ quidem genus Epiſcopo irrogatæ non vtcumque damnat, ſed quod ab Epiſcopis irrogata fuerit alieni concilij, hoc eſt non ſuis Iudicibus, quale dumtaxat eſt Metropolitani, coëpiſcoporumque ſuffraganeorum conſilium. De Benedicto etiam Pſeudo-Pontifice Leo Papa VIII. Coram Othone Imperatore, cuius fuerat operâ in ſedem ſuam reſtincto ſchiſmate reſtitutus, his verbis cenſet, quæ apud Luitprandum in fine ſexti libri. *De rebus Imperatorum & Regum* reperiuntur. *Diaconatus eum ordinem habere permittimus; & non iam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.* Alia ſimi-

V. lia adducere ſuperſedeo. Nempè leuiore hac pœnâ inſurgit aduerſus reos

VI. ſuos primò eccleſia: deinde verberum etiam & fuſtium *a* ictus irrogat: vel ad perpetuos carceres *b*, ſiue ad triremes, bonorumque etiam publicationem *c* condemnat. Quamuis reclamet Galliæ mos, has ipſas pœnas in exilium miſſionis, & in triremes, ſiue nautica ergaſtula damnationis inter abuſus eccleſiaſticorum Iudicum ponens; & quoties appellantur Curiæ Gallicæ ab his ſententiis, tanquàm ex abuſu illatas in irritum conſtituens: quod ſcribit inter alios Renatus Choppinus *d* doctus valdè atque diſertus Gallicanorum Iurium illuſtrator. Pœnaſque ac cenſuras omnes, quibus clerici delinquentes notantur, ad tria tantùm capita, ſcilicet ſuſpenſionem, depoſitionem, excommunicationem reducit, Ioannes Morinus vir eruditiſſimus eiuſdem gentis, libro ſecundo exercitationum eccleſiaſticarum, exercitatione XIII. Aliàs aliter obſeruatur. His autem omnibus modis non correctum, aut non facilè corrigendum ſubditum, de cuius bona in poſterum mente nulla eſt ſpes relicta, Iudicibus tradit ſæcularibus, vltimo etiam ſupplicio mactandum, eccleſia *e*. At ſi nuper memoratarum poteſtatem pœnarum habent eccleſiaſtici Iudices; non ſolidè verum eſt, quod iactari ſolet *f*, maximam pœnam, quâ per eccleſiam poteſt quis puniri, exilium eſſe.

VII. Exiliorum verò hæc irrogatio conceſſa eccleſiæ nondum erit iuſtâ explanatione diſtincta, abſque eò, quod meminerimus exilia duo relegationis, ac deportationis, tam inter ſe naturâ, & effectibus varia eſſe; vt nihil actum videatur in hoc eccleſiæ Iure exponendo, tributaque ei relegationis poteſtate, niſi & nouâ operâ quæramus, permiſſa nè eidem ſit eccle-

*a Cap. 4. de Apoſtatis ex quo Bernardus Diaz & Scholiaſtes Salcedus in Praxi crimin. Canonica c. 133. Acuria in decretum c. 2. diſt. 45. n. 3. ex Præpoſito, & Turrecremata.*

*b C. Nouimus 27. de verb. ſignificat. extr. vnica de Pœnis inter communes c. His 30. 23. q. 8. c. quamuis de Pœnis in 6.*

*c Bernardus Diaz in*

ſiæ,

ſiæ, an ſecùs, deportatio. Planè quibuſdam videbitur nulla ratione id in quæſtionem deduci; arcebuntque illicò à deportandi facultate Eccleſiaſticos Iudices: propterea quòd capitalem omninò pœnam, qualis hæc eſt, & corporalem alienam prorſùs ab Eccleſiæ manſuetudine arbitrentur; quæ quidem vel vnius membri mutilationem à ſe abiudicauit *g*. Deinde quòd exilium hoc fames comitetur, & paupertas, vtpote bonorum omnium ſpoliationem, quæ quidem mortis neceſſitatem ſæpiſſimè inducunt. Quâ ipſa ratione lethalis periculi à reis auertendi, clericorum carcerem non ſic pædore, ac ſordibus deformem eſſe debere, vt incluſis mors ab incommodâ eius habitatione timeri valeat, inter Doctores *h* vulgò recipitur. Atque item Iudicibus tantùm laicis permiſſum deportandi Ius videtur eo argumento, quòd in capite. *Cum non ab homine*. De Iudiciis, ad ſæcularem Iudicem puniendus mittitur, ſeu remittitur Clericus, *ita quòd* (verba ſunt Pontificia) *ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna imponatur*. Quod quidem non ita fieret, ſi exilium hoc maius, & capitale (de quo credere debemus Papam loquutum) iure ſuo irrogare poſſet eccleſia: cùm hæc non ſoleat, debeatúe hominem ſibi ſubiectum à ſe abalienare, niſi quid vltrà de eo faciat (quæ ipſa eſt eccleſiaſtica *i* phraſis) non habeat.

VIII. In contrarium autem aliqua Pontificij Iuris capita ſtare videntur. Leo VIII. Pontifex Romanus Othoni Imperatori obnoxius, ad exemplum Hadriani I. erga Carolum Regem Gallorum ſimiliter benefici, & liberalis, conceſſiſſe ei exiſtimatur confirmandæ ordinationis, ſeu electionis Pontificiæ Imperium: & eum, qui contra moliretur, non excommunicationi dumtaxat ſubiicere; ſed etiam, niſi reſipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis ſuppliciis affici decreuiſſe. Rei monumentum extat in capite. *In Synodo* XXIII. diſtinctione LXIII. apud Gratianum; Iuonemque lib. VIII. *k* Item Vrbanus Papa in cap. *Attendendum* XIII. XVII. quæſtione IV. prædiorum ſacrorum vexatores perpetuâ vult damnatos infamiâ, ita vt carceri tradantur, *aut exilio perpetuæ deportationis* (audis verba illius) *ſeruentur*. Calumniator necnon Diaconus à Gregorio Papa in cap. I. De Calumniatoribus, *Diaconatus priuari officio, & verberibus publicè caſtigatus in exilium deportari* iubetur. Sacerdos etiam qui peccata ſibi per confeſſionem alterius nota, cuiquam reuelauerit, *deponatur* (ait Gregorius Pontifex in cap. II. De Pœnitentia diſtinctione VI.) *& omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat*: quæ ipſa eſt maioris, ac ſeuerioris exilij, nempe deportationis, vt in ſuperioribus videre eſt, periphraſis. Nec abs re erit admonere (quod Boetius Ep. Friſius tentat in ſecundo libro Heroicarum, & eccleſiaſticarum quæſtionum, qui eſt De Iuriſdictione eccleſiaſticorum temporali, quæſt. IV. nu. 12.) Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſeu ſpiritualem non videri per ſe, ac ex natura ſua incapacem gladij materialis, quo poſſet mortis etiam, ſeu ſanguinis pœnas conſtitutionibus ipſis eccleſiaſticis determinare reis referendas: quamuis contrarium viſum fuerit magis decorum, atque ideò ab Eccleſiæ albo ſanguinariæ leges exulare iuſſæ ſint.

Diſcutiamus tamen hæc ſeriùs, & diſtinctiùs. Notandum in primis eccleſiaſticum Iudicem, puta Epiſcopum, ſiue huius Vicarium relegare aliquem IX.
extra ſuam diœceſim dumtaxat poſſe: adeò vt nec Metropolitanus Prouinciâ integrâ, hoc eſt omnium Suffraganeorum Epiſcoporum territoriis X.
prohibere poſſe videatur; niſi vt Metropolitanus; hoc eſt ab eo appellatus, quem damnauit Suffraganeus Epiſcopus, iudicium exerceat. Nam quamuis XI.
in contrarium adducantur Canones ſacri duo in cap. II. De Arbitris, & ca. *Tuarum* XI. De Priuilegiis, ab Stephano Quaranta, & Marco Antonio Genuenſi *l*; quàm non iure hi eam ſententiam iis canonibus tribuant, Pontificalia verba non oſcitanter legentibus, ſed rem totam, de qua ibi agitur æſtimantibus,

*Praxi c. 132.*
d *De ſacrâ Politiâ l. 2. Tit. 3. n. 12.*
e *V. poſt alios Martã de Iuriſd. P. 1. cap. 48. n. 5. & 23. Felicianũ de vega in Relect. ad caput. Cum non ab homine de Iudiciis n. 73.*
f *apud Martam vbi proximè P. 1. d. c. 48. n. 21.*
g *Ca. 4. De Raptoribus C. 5. & 9. Ne Clerici vel monachi c. 30. 23. q. 8.*
h *Couarr. in Clem. ſi furioſus P. 2. §. 5. n. 7. De Homicidio Marta de Iuriſd. P. 1. c. 48. n. 23.*
i *In d. c. Cũ non ab homine.*
k *Videndus Bapt. Platina in Leonis VIII. vita.*
l *Quis adducit Barboſa in De*


mantibus,

*officio & poteſt. Epiſ. P.1.Tit.4. n.59.*

mantibus, facilè patebit. Cum in capite ſecundo de Arbitris Presbyter ille innominatus non per Eboracenſem Archiepiſcopum exulare extra Prouinciam dicatur; ſed extra Prouinciam exulans non potuiſſe de ſuo beneficio per Archiepiſcopum obtinere iuſtitiam. Potuit quippè ſpoliatus beneficio conferre ſe aliò extra Prouinciæ limites, vt ad manum ei non eſſet copia legitimi à Metropolitano illo auxilij. Quamquàm ſi verum fatear, in hoc Alexandri Papæ III. epiſtolâ, vnde hoc ſecundum caput fuit deſumptum, exilij, aut, quod idem eſt, abſentiæ nomen, non ad presbyterum, ſed ad Archiepiſcopum ipſum referri poſſe, imò debere valdè ſuſpicor: verbaque leui correctione in meliorem ſenſum aſſerenda hoc modo; *per te adhuc extra Prouinciam exulantem*, hoc eſt Archiepiſcopum; pro eo, quod vulgò ſcriptum legitur; *per te adhuc extra Prouinciam exulans*: quod de presbytero ſonat dictum. Sub Alexandro III. Eboracenſem tenuit eccleſiam Rogerius; ad quem plures epiſtolæ directæ leguntur in Actis huius Pontificis; non hæc noſtra. Et hic Rogerius aulam Regis ſequebatur, quæ Londini, hoc eſt in Cantuarienſi erat Prouincia longè ab Eboracenſi: nam Henricum Henrici ... Anglorum Regis filium ab eo coronatum referunt Anglicæ Hiſtoriæ; Rogerius de Oueden in Annalibus, & Mattheus Paris in Hiſtoria ad annum MCLXX. Nec ab hoc ſenſu aberrat exulandi verbum: quod de abſentia quauis non ſemel dicitur: vt in Terentij Eunucho Actu III. Scena V. in fine. *A. Muta veſtem. CH. Vbi mutem? nam domo exulo nunc*, &c. Sed vt vt ſit, & coniecturæ noſtræ ſuffragator deſit; quonam argumento id pro Metropolitanorum iure perſuadebitur, presbyterum illum non ab appellato Archiepiſcopo, ſed ab eo, vt Epiſcopo ſuæ diœceſis in primo iudicio, ſiue, vt vocant, inſtantia damnatum? Prorsùs nullo.

XII. In altero verò Capite *Tuarum* XI. De Priuilegiis, præterquam quod nihil, quod huius partis proprium ſit, continetur, nec exilij mentio vlla eſt, ſed prohibitionis cuiuſdam Hieroſolymitanis equitibus ſuper colligendis per Prouincias eleēmoſynis intimandæ; hoc tale ius à Pontifice Maximo demandatum Lugdunenſi Archiepiſcopo ad aſſerendam huius muneris, & dignitatis ordinariam iuriſdictionem nihil idonei argumenti ſuppeditare nobis poteſt.

XIII. Defficientibus ergò his Iuris teſtimoniis, Regulæ fit locus in Metropolitanorum Iuribus, & auctoritate dignoſcendis, perpetuæ, ac ſolenni: nullam habere eos poteſtatem extra ſuam diœceſim, niſi in cauſis à Iure expreſſis: quam agnoſcunt Doctores *m* ſiue expreſſam, ſiue indicatam in cap. I. De ſupplenda negligentia Prælatorum libro VI. *Romana Eccleſia* V. capite *Venerabilibus* VII. De ſententia excommunicationis, in eodem libro. Si autem hi in ſubditos Suffraganeorum iuriſdictionem non habent, niſi conceſſa ſit expreſsè à Iure; nec item prohibere, aut interdicere territorium Suffraganeorum propriis ſubditis poterunt, quos in exilium mittere velint. Quemadmodum enim in homines, ita de locis ipſis non ſuæ ditionis cauere aliquid iniquum fuerit, & iniurioſum. Nam nempè ordines conferre Metropolitanus poteſt propriis ſubditis intra Suffraganei diœceſin *n*.

*m Gregorius Lopez laudās Hoſtienſem, Ioannem Andreā. & alios in l. 10. gloſſa 2. Tit. quinto Pa.1. Scacia aliis adductis. & ſacræ Epiſcoporū cōgregationis decreto. De Appellat. q. 8. n. 98. ver. Declara quarto &c. Barboſa cum aliis pluribus Pa.1. de Poteſt. Epiſ. Tit. 4. n. 2. & 27.*

*n Gloſſa in*

XIV. A regno autem integro relegare non poſſunt Epiſcopi, & Eccleſiaſtici Iudices; nec iura ciuitatis, aut natalium regni adimere, quæ ſæcularia ſunt, & profana. Excipias tamen eos, qui temporale habent dominium: quod in ſummo eccleſiæ Romanæ atque Apoſtolicæ, aliiſque quibuſdam Germaniæ, atque aliarum gentium Epiſcopis reperitur. Iura enim hæc temporalia eos ad arbitrium tollere, ac reſtituere, vtpote dominio temporali gaudentes, eoque libero, nullique poteſtati obnoxio, minimè eſt ambigendum. Vnde fit, nullum, quatumuis perpetuum, exilium ab eccleſiaſtico Iudice irrogari poſſe, quod rectè nos veterum deportationi conferre valeamus:

mus: ſi quidem ea non tantùm, quòd perpetua eſſet, ſed & quod bonorum, & iurium omnium ſpoliatio eſſet, grauiſſimum, & capitale genus exilij habitum fuit, & appellatum. Conſequenterque id in confeſſo haberi debet, Eccleſiaſticos Iudices, qui nullo temporali Dominio, ſed Eccleſiaſtico dumtaxat innituntur imperio, & iuriſdictione, in perpetuum, vel in tempus relegare extra diœceſim ſubditos poſſe; non autem extra regnum relegare, aut verè, proprieque deportare; hoc eſt, hodiernâ iam verbi acceptione, iure ciuitatis, atque aliis omnibus, quæ vt ciuis regni habet, in perpetuum deiicere. Neque enim quis alienam prouinciam, territoriumúe interdicens, neque ea iura, quorum neque ipſe, neque is, cuius iuriſdictione vtitur, poteſtatem habet, auferre præſumens, iure agit.

*Clem. vltima de Priuilegiis, in verbo*, etiã celebrare *quam inſignè appellat Couarr. c. 9. Pract. n. 1.*

Hæc res cum probari non indigeat ampliùs in ſæcularium Iudicum relegandi iure ſatis olim probata; ſupereſt quidem argumentis contrariæ partis, quæ deportandi ius, & morem eccleſiæ tribuere videntur, reſpondere. Et primo quidem de his qui repugnauerint Imperatorio illi iuri electionis XV.
confirmandæ Papæ Romani Carolo, & Othoni, eorumque ſucceſſoribus ab Hadriano, Leoneque Pontificibus Maximis tributo, vt ſatisfiat; non ſine doctiſſimorum hominum approbatione, ac tutela duobus his capitibus XXII. & XXIII. Sexageſimæ tertiæ diſtinctionis, dicam falſitatis impingere poteramus. Reiiciunt namque ea, vt ſuppoſititia, & in gratiam Cæſarum Germanorum conficta ex Theologis, Iuriſque conſultis, atque Hiſtoricis plures *o* noſtra hac tempeſtate. Sed quin huc peruenire ſit neceſsè; deſtinatum in XXIII. illo capite molientibus quidquam aduersùs ordinationem Pontificiam iſtam exilium irreuocabile, ſeu perpetuum facilè admittimus in territorio proprio, ac temporali Papæ; quod quidem is, vt ſæcularis Princeps iure irrogat. Nec enim de aliis, quàm de Romano Clero, & populo eius ditioni per omnia ſubiectis conſtitutio hæc Leonis VIII. concepta eſt.

*o Suarez, Bonacina, Azorius, Bellarminus, Baronius, Gretzerus, Fretus. Solorzanus: quos laudat Barboja l. 1. Iuris eccleſ. c. 1. n. 54.*

XVI. Vrbani autem Pontificia illa ſanctio relata in cap. Attendendum XIII. XVII. quæſt. IV. vel ad ſubditos temporali eius poteſtati, vt ſuperior Leonis, referenda eſt: vel dicendum perpetuæ deportationis factam ibi mentionem à Pontifice; non quòd irrogari vellet intra eccleſiam, iureque eccleſiaſtico eiuſmodi pœnam; ſed quòd æquum exiſtimaret iniquos, & ſacrilegos eccleſiarum ſpoliatores ſæcularium Poteſtatum manu, & imperio ſic puniri. Quod ipſum expreſſiſſe magis concilij Toletani cuiuſdam Patres videntur, vt animaduertere eſt in fragmento Burchardi curâ ſeruato lib. II. Decreti ſui cap. CLXXIX. & à DD. Garſia, Loaiſa inter deperditorum reliquias in collectione Hiſpanorum Conciliorum exſcripto. Siue hoc ex Concilio Antiocheno ſit, non ex Toletano: cui nempè Antiocheno tributum extat in capite II De Clerico excommunicato in Decretalibus. Verba ſunt Canonis. *Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus emendare potuerit minimè Regis iudicio exilio damnetur.* Planè ſi quem Pontifex eccleſiæ ſummus è Clericorum, aut Epiſcoporum numero parum ſibi morigerum, & ſciſmatis reum ad bonam mentem reducere olim non poſſet, laicos excitare conſueuit Magiſtratus, vt factam eccleſiæ iniuriam vindicarent: non implorato tantùm Principali auxilio, ſed indicatis etiam, & quaſi digito monſtratis maioribus, & quæ rem conficere poſſent pœnis, contumacibus imponendis. Vt Pelagius II. ad Narſetem Patritium Iuſtiniani Cæſaris in Italia Exarchum, ſeu Vicarium de Liguriæ, Venetiarum, & Hiſtriæ Epiſcopis turbas ſibi, Eccleſiæque mouentibus conqueritur; & quaſi iam deſtinat pœnis promeritis à Narſete irrogandis; in cap. *De Liguribus* XLII. XXIII. q. V. Similiterque Cæleſtinus III. ſiue alius, in cap. *Cum non ab homine* X. De Iudiciis. Ferè ſimilia ſunt cap. *Si quis* XVII. cap. XVIII. XI. quæſt. I. cap. *Nec licuit*


V. XVII.

v.xvii. Diſtinctione. Vnde profluxerunt leges noſtri regni xviii. Tit. ix. & lix. Tit. vii. Partitæ i.

XVII. Sed vt obiter de fragmento hoc cenſeamus Vrbani; aliqua nos mouent, quominùs id inter mera, germanaque vetuſtatis monumenta facile reponamus. Iactatur auctor Canonis Vrbanus i. Papa: & videtur quidem reuera auctor fuiſſe: nam Luitprandus, ſiue quis alius libri ſcriptor, de Vitis Pontificum, hanc ipſam aduersùs rerum ſacrarum vſurpatores tribuit Vrbano i. Diſertam legem. Attamen hoc ſi admittimus, temerè nos eò coniecimus, vt imprudentiæ, aut vanitatis arguendum exhibeamus ſacræ legis auctorem. Qui enim ſanus, & prudens Vrbanus potuit ſub Imperatoribus ethnicis latentis adhuc, & iuris nondum ſui Eccleſiæ caput, in antris ferè, atque Latibulis, Romanæ vrbis Principum, ac Poteſtatum iræ ſubductus (Pontifex enim fuit creatus anno Domini ccxxvi. ſub Alexandro Mammeæ filio) tantùm ſibi adrogare, vt exilium perpetuæ deportationis, qui ipſe ferè deportato, aut occiſo proximus fuit, ſacrilegorum pœnam diceret. Nonnè hoc eſſet ridiculum, & eo ſacrorum Apice diuinitus conſtituto, atque illuminato indignum? Certè illius libri auctor de vitis Pontificum non vltra quam ſacrilegij reos declaratos ab Vrbano ait huiuſmodi violatores. *Et quæcumque* (verba illius ſunt) *in alios vſus, quàm in prædictos conuerterint, neceſſariò ſacrilegij rei exiſtunt; & ſi non corpore, anima tamen mortui cadunt*: qui ipſe videtur tenor ſanctionis Pontificiæ fideliter ab eo auctore, vt meliùs rem Vrbani verbis, quàm ſuis proderet, exſcriptus. Addo quod in veteri quodam M. S. Decreti codice non Vrbano Papæ, ſed Concilio Herdenſi hæc lex tribuitur. Vt in margine editionis Plantinianæ, aliarumque Antonius Contius, vt exiſtimo, voluit omnibus notum. Locus quidem hic Herdenſis

XVIII. vbi gentium fuerit, nunc non ſuccurrit. Mentio tamen Concilij in eo celebrati, ſanctioniſque inde emiſſæ anſam, mihi offert opportunè hìc monendi; ad concilia plerumque Reges ipſos, & Poteſtatum ſæcularium ſecures, gladioſque acceſſiſſe; vt ſi quid minus poſſet mite, & exarmatum Eccleſiæ imperium, totum id ſeuerioribus editis legibus profana Regum ſuppleret auctoritas: adeò vt Concilia præſertim Hiſpaniæ noſtræ, non ſolùm Epiſcopales de rebus Eccleſiæ Synodi, quamuis tales reuera eſſent, ſed regni totius comitia, vt de ſtatu publico in commune conſulerent tam ſæculi, quàm Eccleſiæ Proceres, conuocata exiſtimari debeant. Quare ſi ex conciliis noſtris aliquem locum de maiore, ac ſeueriore exilio conceptum, qualis fortaſsè erit, quis produxerit, ad poteſtatem priùs ciuilem, & laicam ſpectare hanc pœnæ impoſitionem, & exequutionem exiſtimabimus; quàm vt mitiſſimam Eccleſiam iis, quæ tractare neſcit, aut non ſolet, armis, gladioque muniamus.

XIX. Reliqua duo capita non adeò nos arctant, vt deportationem fuiſſe in his decretam fateri habeamus opus. Namque in exilium deportari quid diuerſum eſt ab exilio deportationis; nec quid vlterius quam in exilium, ſeu relegationem mitti, aut deferri, in dicto cap. i. De Calumniatoribus. Similiterque perpetuâ, atque ignominioſâ peregrinatione in dicto cap. ii. De Pœnitentia, diſtinctione vi. adhuc intelligenda venit perpetua relegatio, ſine eo quod amittat exul iura ciuitatis. Niſi vtroque hoc loco de propriis ſubditis, quos iure Imperij temporalis habet, loquutos Pontifices credamus.

XX. Demùm quia corpore intacto exilium reis imponitur, etiam ſacri Deo homines, noſtris legibus, & more inueterato, ad nutum Principis, ſine vlla tamen pœnæ irrogatione, aut iuriſdictionis ordinariæ exercitio, rem exilij, hoc eſt à regno integro, aut parte illius repulſam patiuntur, In quo ſecundum naturale Ius, quo temporalia regna condita ſunt, atque inſtrumenta

omnia adminiſtrandi rectè, ac ſub imperio legum populos, regnantibus pro-uiſa, noſtri, & alij Reges, & Principes agere ſe non ſine conſilio grauiſſimo-rum plurium Iuris Doctorum *p* arbitrantur. Quæſtionis pondus, quod alij iam ſubierunt, ferre iterum ſine vllo prætio operæ, noſtri recuſant humeri.

*p Quos collegerũt magno numero D. Ioannes Solorzanus De Indiarum Iure tomo 2. l. 3. c. 27. D. Franciſcus Salgadus De Regia protectione Part. 1. cap. 2. nu. 273. & ſeqq. D. Petrus Gonzales à Salcedo De lege Politica lib. 1. cap. 10. n. 32.*

# CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

## De Pœnis non parentium, aut tranſgredientium exilia.

I. *Exilium perpetuo ductu temporis non per interualla eſt abſoluendum.*

II. *Gradus in Iure ſunt conſtituti ad coercendum exilij refugas.*

III. *Exilij refugæ excipiebantur ab omni indulgentia.*

IV. *Quatenùs liceat damnato pœnæ ſe furari.*

V. *Gradus hos dinumerant Marcianus & Calliſtratus.*

VI. *Relegari interdictis locis quid?*

VII. *Primus gradus. Qui à ciuitate relegatus non paruerit, à Prouincia relegatur ad tempus.*

VIII. *Pariter facit qui ab exilio redit ante tempus, & qui in tempore non it in exilium.*

IX. *Tempus enim aſſignabatur exeundi.*

X. *Et alicubi mos eſt, vt reus ſatiſdet de accuſatoris indemnitate.*

XI. *De more veteri Hiſpano in exiliis nobilium hominum.*

XII. *Retinendus eſt aliquot diebus exul ad petitionem eius qui rationes ſibi ab exule reddi poſtulauerit.*

XIII. *Frangens temporale exilium, in perpetuum mittitur.*

XIV. *Arrij Menandri reſponſum explanatur, in l.* IV. *§.* III. *De re militari.* XV.

XV. *In Hiſpania duplicatione exilij tempus refugæ.*

XVI. *Aliter in repetito cõtumacibus.*

XVII. *Qui ſemel refugit poteſt aſſeruari in carcere, vt ibi tempus exilij compleat.*

XVIII. *De exilio quod apud nos audit,* voluntario.

XIX. *Qui liberum exilium fregit, in inſulam relegatur. qui relegationem inſulæ, deportatur.*

XX. *Qui vero deportationem, occiditur.*

XXI. *Quandoque hi gradus inſuper habebantur, & mors cuicũque exulis contumaciæ indicabatur inter Romanos, Græcos, Hebræos.*

XXII. *Quid in hac re apud nos ſeruetur.*

XXIII. *Et quomodo vindicemus in iterantes contumaciam.*

XXIV. *Maioriani conſtitutio emendatur.*

XXV. *Orbis Romanus quodnam diceretur.*

XXVI. *Orbis noſter apud Maiorianum Occidentale Imperium vocatur.*

XXVII. *De ordine ſeruato in pœnis ſeruili-*

*ſeruilibus.*

XXVIII. *De refugis carceris, & tri-pemium.*

XXIX. *Inciuile factum etiam eorum qui exilij loco non exceſſiſſent,*

XXX. *De eo qui non ſponte redit in locum interdictum.*

XXXI. *De ea portione quæ loco interdicto acceſſit.*

*puniebatur.*

PErſpectâ, & explanatâ iam triplicis exilij naturâ, & differentiis à Mar-
ciano adumbratis, excipit nos dicta legibus pœna iis, qui excedentes,
I. formam ſententiæ, exiliique damnationis tranſgrederentur. Exiliũ quippe,
ſiue tempus exilij continuum debere eſſe, nec interpolandum, aut per vi-
ces adimplendum, ratio ipſa, & conſilium pœnæ imponendæ facit manife-
ſtum: prætereaq́; regula illa, quæ deſignatum à lege tempus, quodcumque
II. ſit, pro continuo habet, ſi non aliter exprimatur *a*. At quidem gradus pœ-
narum certos præſcribi æquum fuit, & ciuile; per quos à coërcitione le-
uiſſima vſque ad ſummum aſcenderetur ſupplicium; ſi qui leuioribus non
parentes ſeuerioribus pœnis ſeſe obnoxios vltrò reddidiſſent. Neque enim
antiquæ dumtaxat pœnæ reddi eos placuit: (quod alioqui ad eos pertine-
re, qui abſque auctore idoneo reuocati fuerant, reſcripto *b* quodam Traia-
ni Imperatoris admonemur) ſed grauius aliquid pœnâ illa perpeti, quam
contumacia eluſerant: quæ ſententia eſt eiuſdem Cæſaris ad Plinium re-
ſcribentis *c*. Relegatus nempè fuerat quidam in perpetuum à Iulio Baſſo
Proconſule. Huius deinde acta omnia reſciſſa ſunt, iuſque datum, his, de
quibus Baſſus aliquid conſtituiſſet, ex integro agendi per biennium dum-
taxat. Relegatus cùm intra hoc tempus non egiſſet, in Prouincia tamen mo-
rabatur. De hoc edixit Traianus, vinctum Romam mittendum ad Prætorij
Præfectum, vt ab eo grauioribus eâ, quam eluſit, pœnis ſubiiceretur. Adeo
III. dignum coërcitione, odioque hoc crimen exiſtimatum; vt ab indulgentiæ
quoque generalis fauore, quâ relegatis omnibus, deportatis, & in metal-
lum damnatis reditum indulſerunt quondam Auguſti Arcadius, Honorius,
& Theodoſius, hi tamen ſeparentur, & excludantur, qui ad locum pœnæ
deſtinatum ire noluerunt. l. x. C. De Indulgentiis criminum. Quare magis
miror, libertati eius, qui vt liber fieret, ſeruire triennio debuit, nequaquàm
officere, quòd triennij partem in fugâ exegerit, vti Paulus docet in l. XXXVIII.
IV. in fine D. De liberali cauſa. Planè non aliter, quàm vt effugiatur mors, da-
mnato licet pœnæ ſe ſubducere. In reliquis cauſis, vnde quiduis etiam ſæ-
uiſſimum, citra tamen mortem metuitur, aut ſuſtinetur, haud impunè ſit
ſententiæ Iudicis non paruiſſe. Hoc præiudicatum extat exemplo l. I. D. De
bonis eorum qui ante ſententiam &c. Videri poſſunt de hac regula *d* Dida-
cus Couarruuias, Antonius Corduba de Lara, atque alij.

a *Gloſſa in Rubrica de diuerſis & temporalibus præſcriptionibus Ant. Gomez l. 3. c. 1. n. 3. & c. 8. n. 1.*
b *apud Plinium l. 10. epiſt.* Memineris.
c *l. 10. epiſt.* Quod in perſonam.

V. Hos gradus duo Iuriſconſulti dinumerant, & conſtituunt: Calliſtratus
in l. XXVIII. §. XIII. & Marcianus in l. IV. De Pœnis. Sed non recenſeamus
eos iuxta verba huius poſterioris, & ordinem, qui exactior eſt. *Relegati, ſiue
in inſulam deportati debent locis interdictis abſtinere.* Hactenùs eſt generale
præceptum: à quo deſcenditur ad exempla in ſequentibus. *Et hoc iure vti-
mur, vt relegatus interdictis locis non excedat.* Hoc leuiſſimum eſt exiliorum,
(quod ante alia poni debuit) vt quis certis locis prohibeatur. Idque Mar-
cianus nouè, ſed non ineleganter dixit, *relegari interdictis locis*: quod acutè
vidit Lyklama lib. I. Membranarum ecloga XXIII. nè quid è ſcripturâ om-
nium librorum tollamus; quod negationis proſcripto aduerbio Cuiacius fa-
VI. cit libro VI. obſeruat. cap. XXXVI. Ait ergo Marcianus, eum, qui certo loco
fuit prohibitus, non debere excedere: *Excedendi* verbum abſolutè, & ſine
adiuncto

d *Couar. l. 1 var. c. 2. n. 11. Lara in l. Si quis à liberis §. ſed vtrũ n. 24. De liberis agnoſ. Acebedo in l. 2. Tit. 1. n. 25. Nouæ Compilationis.*

adiuncto nomine, vſurpans eleganter pro eo, quod eſt, aliter facere, quàm
fuit præceptum; ſententiæ non obtemperare. Idem quod *committere* abſo-
lutè poſitum in l. XVII. principio D. Pro ſocio.

Sed apponamus iam exemplum, quod naturâ priùs eſt, huius contuma- VII.
ciæ. Præbent hoc Marciani verba non huius loci ſed legis XII. hoc tit. quæ
ſic ſuppleri debent: *ſi à ſuâ ciuitate relegatus non excedat, ad tempus à Prouincia*
*relegatur.* Pari modo culpandum eſt ſi quis in exilium non ierit, & ſi quis ab VIII.
exilio redierit. Namque intra certum tempus, quod adſignabatur, excede-
re in præſcriptum locum, aut excedere ab interdicto debuit loco. Spatium IX.
vtique res ſuas componendi, dieſque exeundi conſueuit præfiniri: quod
refert Vlpianus in l. VII. §. XVII. d. tit. De Interdictis. *His qui relegantur* (ait)
*dies exeundi à Præſidibus dari & poteſt, & ſolet: etenim moris eſt ita pronuntiare:*
*illum Prouinciâ illa, inſuliſque eis relego: excedereq; debebit intra illum diem.* Te-
ſtimonia ex Briſonij formulis alia non tranſcribo Senecæ in Ἀποκολοκυντώσει,
Ouidiique. Iulianus Imperator, qui virtutes multas tranſitu illo in plurium
Pſeudo-Deorum caſtra fædauit, ad Ecdicium Ægypti Præfectum, ſiue Au-
guſtalem ſcribens, ſanctiſſimo Præſuli Athanaſio ante Kalendas Decembris
exilium ab vniuersâ Ægypto indicit: alioquin cohortem, quæ parebat Præ-
fecto, centum auri pondo mulctatum iri. Hæc inter epiſtolas eſt Iuliani. Æ-
quum id, & non ſine exemplo aliàs in l. Ab hoſtibus XV. in fine D. Ex quibus
cauſis maiores &c. Conſuetum tamen eſt alicubi hodiernis moribus, vt exi- X.
lio damnatus de accuſatoris ſui indemnitate ſatiſdet: alioqui nec breuiore
iſta vſura temporis ad colligendas ſarcinulas donare eum debere, allegans
conſtitutionem Sabaudici Senatus Faber exiſtimat in ſuo Codice, Tit. *De*
*Satiſdando*, diffinitione VI. In moribus noſtris olim fuiſſe ſcio, ſi quidem viro XI.
in primis nobili dictum eſſet à Rege exilium, vt intra nouem dies abiret;
quorum tamen vice ad preces Roderici Didaci cognomento Cidi Alphon-
ſus Rex VI. Caſtellanorum integros dies triginta eſſe in poſterum cauit: vt
in monumentis eſt legum noſtrarum; vnde hauſit retulitque in Valerium
ſuum Hiſtoriarum *e* (ita librum Miſcellaneum vocat) Didacus noſter Al- e l.1.tit.1.
mela operis auctor. Et fortè non hi dumtaxat triginta: nam verba hæc legi-
mus in Foro quodam Caſtellano, quem *De los Hiſoſdalgo* appellant, etiam-
num inedito, ac Petri Regis tempore nouiſſimum in libros, tituloſque di-
ſtincto. *Eſte es fuero de Caſtilla que quando el Rey hecha algum Rico home de tiar-*
*ra, à dar treinta dias de plaço por fuero; è deſpues nueue dias; è deſpues tercero dia:*
*debel Rey dar vn cauallo, è todos los Ricos homes que fincan en la tierra debenle dar*
*ſendos cauallos.* De hac præfinitione temporis agunt Giurba conſilio crimina-
li XLVII. Franchis deciſſ. CCCCLXXXVII.

Et hic quidem aptus locus eſt monendi hanc in exilium remiſſionem ſu- XII.
ſpendi debere à Iudice per non multum tempus ad preces illius, qui ſe cre-
ditorem exulis atteſtatus magnum ſibi præiudicium inde naſci affirmet,
quòd rationibus ſibi non redditis, abeat ille in exilium: dummodo preces
iſtæ ſubdolæ non ſint; nullumque ex dilatione incommodum timeri poſſit
reipublicæ. Argumento id euincunt Doctores Iuris petito è ſerui causâ:
cuius damnati præſentiam Antoninus Imperator ait Domino dari, quoad
rationes per eum adminiſtratæ reddantur, ac diſponantur, ſeu, (quæ lectio
melior eſt) *diſpungantur* l. I. Cod. de Bonis proſcriptorum. Sed adiungit in-
ſtare Dominum debere, *vt id velocius fiat, vt pœna ſua damnatus reddi poßit*,
Conducitque Caij regula in l. ſeruo legato LXIX. §. IV. D. De legatis I. Quæ
iura ſequuti veterum quidam, Bartolus nempè, Fulgoſius, Angelus, Sali-
cetus, exulis hanc cauſam pariformiter habent. Negant alij ſecundum mo-
rem iudiciorum hoc eſſe. Sed tamen nos, quos æquum magis eſt, libenter

 admitti-

admittimus, & admittunt nobiſcum doctiſſimi Iuriſconſulti *f*. Vides prio-
rem huius ſcalæ gradum in exemplo iſto Marciani : nempè intra temporalis
exilij cauſam, reſpectu loci , maioriſque ſpatij prohibiti pœnam creſcere
contumacis.

*f Peguera deciſſ. criminalium c.22. Iulius Clarus l.5. §. finali q. 97. n.1.*

XIII. Pro ciuitate ſcilicet Prouincia interdicitur. Hunc non tetigit Marcianus
gradum in hac l. IV. Sed abhinc qui ſequuntur. *Alioquin* ( infit ) ſi exceſſerit,
*in tempus relegato, perpetuum exilium.* Etiam ſi militiæ nomen dederit, non vl-
XIV. tro, ſed ad delictum reſpondens, diſſimulatâ ſua conditione : quæ ſententia
eſt compendio aliàs ſermonis obſcura valdè Arrij Menandri in l. IV. §. III.
De Re militari. *Temporarium* (ait) *exilium voluntario militi inſula relegationem,
diſsimulatio* ( aliàs, *diſsimulanti*) *perpetuum exilium.* Quâ quidem ſententiâ di-
ſertè expoſita hæc lex donata legitur inter Rufi leges militares. Is, qui vl-
trò ſe dedit militiæ, magis punitur eo, qui nominatus ad delectum reſpon-
dit conditionem ſubticens obnoxij pœnæ ſtatus. Voluntario militi pro tem-
porali exilio inſulæ relegatio, perpetua videlicet; alteri perpetuum , ſed li-
XV. berum exilium irrogatur. Sed tamen ſi ab exemplo argumentum admitti-
mus, quare ab exilio temporali temerè ad perpetuum tranſimus ? Cùm ſa-
nè in operis publici pœnâ, ſpatium, quod ſupereſſet, duplicari ei, qui refu-
git, dummodo intra decennium geminata abſolueretur pœna, conſueuerit;
auctore Vlpiano in l. VIII. §. VII. De Pœnis. Vnde lucem, & ſenſum reci-
piunt ambigua verba noſtræ l. X. Titulo XXXI. Partitæ VII. *Debeſele doblar
aquel tiempo que quebranto* : quæ ex his Vlpiani deſumpta ſunt, *duplicare eum
id temporis oportet, quod ei cum ſupereſſet fugit* : Ita videtur magis æquum. Sed
alio iure ciues ſuos vti reliquit ſcriptum Marcianus. Nobis autem ab eo non
recedendum eſt, quod noſtræ leges in exule cautum habent : cum Inter-
XVI. pretes *g* vulgò ex hac lege VIII. ſiue exemplo ipſius, & §. Temporales. In-
ſtit. De Actionibus, ad exules rem transferant. At repetitam contumaciam
non duplicatione illius poteſtremi exilij, quod fuit tranſgreſſus, ſed perpe-
tuo leges coërcent noſtræ. Exempli gratia : & qui exilium biennale fregit,
quadriennij exilium; qui quadriennij hoc, perpetuum exilium irrogat lex
XXXIII. Tit. VII. lib. I Compilationis. Semeſtre exilium tranſgredientem ſo-
lidi anni exilio punit, huius autem refugam perpetuo exulare iubet l. XXX.
XVII. Tit. IV. libri ſecundi. Nec diſplicent Baldus *h*, & Gregorius *i* noſter, qui du-
plicatione hac inſuper habitâ poſſe Iudicem putant exulem ad prohibita
loca reuerſum detrudere in carcerem; cuius nempè contumaciam frangen-
di ſæpiùs exilij prudenter vereatur; vt in cuſtodiâ tempus pœnæ ſuæ com-
pleat. Porrò ante duplicationem citerior alius exilium dicendi gradus, ex
XVIII. nouâ exiliorum differentiâ , quam vſurpare noſtra Iuris Politia cœpit, na-
tus non dudum eſt. Monuimus alio loco exilium quodam apud nos neceſ-
ſarium eſſe, audireque *ἰδιολικῶς k præciſſum* : quodam autem arbitrarium, pen-
denſque à voluntate Iudicis, qui remittere poteſt ; & hoc *voluntarium* ap-
pellamus. Solet ergo iuxta hanc differentiam ſic ſententia concipi : *condeno
en cinio años de deſtierro deſta villa, y ſu Iuriſdiccion por tiempo de cinco años : que
los tres ſean preciſos, y los dos à voluntad del Rey nueſtro ſeñor* ( ſiue ad ſuum ipſius
Iudicis arbitrium) *y no quebrante el preciſſo ſopena de cumplirlo fuero del reino, y
el voluntario ſua preciſo, y cumplirlo doblado.* Hucuſque formula.

*g Videndi Gomezius l.3. var. c.8 n.1. Peguera deciſſ. crim. c.41.*

*h In l. omnes. C. De Pœnis.*

*i In l.10. gl.4. Tit.31 Part.7.*

*k Particulariter, & propriè.*

XIX. Temporariam relegationem tranſgredienti pœna fuit perpetua relega-
tio : ſed libera, hoc eſt ſine inſula. Liberæ, perpetuæque relegationis refu-
gam inſulæ relegatio coërcebat. In Edicto Hadriani apud Calliſtratum l.
XXVIII. §. XIII. De Pœnis iam laudatâ, ſiue ſcienter, ſiue incurioſè bini fiunt
gradus ex his tribus. Ad tempus relegatus, ſi redeat, in inſulam relegari iu-
betur. Sed potiùs erit ad gradus Marciani I. C. qui poſterior fuit Hadria-

no, ac

no, ac rem totam accuratiùs tractat, gradum ſtyli noſtri ac doctrinæ com-
ponere. Sequitur in l. IV. *In perpetuum relegato inſulæ relegationis, perpetua ſcili-
cet: in inſulam relegato deportationis; in inſulam deportato pœna capitis adrogatur.*
Simillima ſunt in edicto Hadriani verba, & paſſim huius moris exempla. Et XX.
quidem deportatum, qui euaſerit, capite plectendum *l*, in eo, qui militiæ ſe
dedit, lectuſúe, aut vocatus diſſimulauit pœnam, eadem lex IV. §. II. De re
militari: & ipſamet §. I. in eo qui ad beſtias datus fuerat, ſtatuit. Similiter
is, qui apud nos à regno integro in perpetuum exulare iubetur, ſi redierit,
capite plectendus eſt: ſi exemplis vti volumus l. II. Tit. I. libro V. Ordina-
menti. Signatè diximus perpetuo extra regnum exilio, quod par eſt depor-
tationi antiquæ. Aliter atque ſi perpetua ſit ab aliquo tractu, aut vrbe di-
cta relegatio: cuius quidem exceſſus perpetuo regni exilio debet coërceri:
ad quod animaduertere Iudices ſummè oportet *m*.

*l V. Vincẽtiũ de Frãchis deciſſ. 140. n. 7. Pequeram deciſſ. 41. Fauiũ Amandola in addit. ad Franchis d. deciſſ. 140.*

Hucuſque regula ordinarij Iuris. Sed quid vetabat Principes, aut qui re- XXI.
rum potirentur, eam ex causâ, ſiue ad arbitrium mutare? Nam ecce Tibe-
rius, Suetonio teſte *n*, reliquos Iuuentutis Iudæorum ab vrbe remouit, ſub
pœnâ, ſi non obtemperaſſent, perpetuæ ſeruitutis. Honorius quoque ac
Theodoſius Mathematicis vrbe, & omnibus ciuitatibus prohibitis, qui non
paruiſſent, deportationis pœnam decernunt in l. X. C. De Epiſcop. audien-
tia. Et Seuerus milites Prætorianos, qui Pertinacem obtruncauerant, habitâ
concione iuſſit excedere centeſimum ab vrbe lapidem; quique intra hoc
ſpatium deinceps conſpiceretur, κεφαλικῶς *Capite* puniendum edixit: cuius
rei auctor eſt Herodianus libro II. Hiſtoriæ, cap. XLIII. Videnda vt l. vltima
§ II. De Pœnis. Ita concepta olim Clodia lex aduersùs Ciceronem, vt ſi in-
tra CCCCLXIII. millia paſſuum ab vrbe veniret, impunè à quouis occidi poſ-
ſet: vti Dio Caſſius refert lib. XXXVIII. Hoc & Græcis placuit; cum etiam
in hanc ſententiam lex ſcripta eſſet, capitale vt haberetur intra fines præ-
ſcriptos exulem deprehendi. Demoſthenes legis meminit in oratione ad-
uersùs Ariſtocratem; ad quam conformare videtur ſuas declamationes
CCXLVIII. ac CCXCVI. auctor ille, qui venditat ſe, ſub Quintiliani nomine.
Sed ea turbato ordine apud Græcum Oratorem legitur: quod Samuel Pe-
titus non vidit in commentario ad leges Atticas *o*: Sagacior in re Claudius
Salmaſius: qui ſic ordinat. *p* τὰς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐὰν δέ τις κατίῃ ὅποι μὴ ἔξε-
στι, φόνου ᾗ δίκας μὴ εἶναι. Hoc eſt. *Exules deferunto. Si quis eorum reuerſus ſit, quo
minimè licet, cædis verò ne poſtulantor.* Vterque ſcilicet Salmaſius, Petituſque
videndi de illa delatione quæ ἔνδειξις dicta Iulio Polluci, & Suidæ. Nos le-
gem Hebraicam *q* ad partes aduocare poſſumus, quæ propinquo interfecti,
vt vidimus, ſeu ſanguinis vindici Ius tribuebat interficiendi homicidam, ſi
extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ fuerant, inueniretur. Tandem XXII.
Hiſpana lex X. Tit. XXXI. Partitæ VII. iubet, *que el que fuere deſobediente ſalien-
do de la Iſla, o entrando en la tierra ſin mandado del Rey, deba morir por ende.* In quâ
tamen prudenter monet Gregorius non in alium, quàm à toto regno pul-
ſum tam ſeuerè animaduertendum; (nè extendatur, contra Iuris regulam,
lex pœnalis) quod legitur in l. II. Tit. I. lib. V. Compilationis. Aliter dixeris, XXIII.
ſi non ſemel, atque iterum, ſed tertiò redeat. Contumacia hæc vltimo ſup-
plicio tandem coërcenda. Exemplum eſt in l. V. Tit. XXII. libro VIII. eiuſdem
Regij operis: vbi de violatore exilij: *que le ſea doblado el deſtierro y ſi porfiare
tercera vez, que le maten por ello.* Sed tamen hic ordo in defectum ſententiæ
ipſius, quæ nil cauit de non obtemperantis pœna, videtur ſtatutus à lege.
Quare adhuc in arbitrium Iudicis erit eo non obſeruato ordine alias pœ-
nas, ſiue has ipſas, quo loco velit, contumacibus comminari *r*. Scilicet iuſtâ
aliquâ ratione ductus: quod credendum eſt, quoties extraordinariæ ali-

*m V. Pequerã d. c. 41. crim. deciſſionũ.*
*n In eius Vita c. 37.*
*o Tit. De Sicariis.*
*p In libro de modo vſurarum c. 17.*
*q Nu. c. 35.*
*r Ant. Gomez l. 3. var. c. 8. inf. Frãchis deciſſ. 140. n. 7.*


cuius

cuius aduersùs exilij refugas coërcitionis mos apud auctores Iuris probatur *f*.

XXIV Huiuſmodi interdictionis ſub mortis pœnâ exemplum aliud ſuppeditat Nouella quædam Conſtitutio Maioriani, quæ ad calcem eſt Theodoſiani Codicis. Eam produco libens, vt effulgeam magis idonea lectione, ſenſuque. Ambroſium quemdam adulterij damnatum, qui temporariæ relegationi non obtemperauerat, deportari iubet Maiorianus: hoc eſt rebus illius Fiſco vindicatis Italia ſubmoueri *pronuntiata omnibus perimendi licentia* (verba ſunt Conſtitutionis) *vt ſi comprehenſa vrbis noſtræ parte repertus fuerit, caſus iure videatur.* Quænam ſit hæc vrbi quæ interdicitur poſt Italiæ totius prohibitionem nec rediuiuus ſpero, Maiorianus dixerit. Fauentibus Muſis repoſui; *comprehenſa orbis noſtri parte.* Imperium regebat Occidentale Maiorianus, Rauennæ creatus Imperator nutu, deſtinationeque Leonis Thracis, qui Orientem tenebat. Moris autem fuit ab alterutro Auguſtorum ad Præſides ſuæ ditionis decreta dirigi, Conſtitutioneſque: inſcripto tamen vtriuſque Principis, & ſubſcripto vtriuſque conſulis nomine; eo ſcilicet inſcriptionis ordine, vt qui prior fuiſſet dictus Imperator etiam in alterius ditione, & conſtitutionibus priori loco nominaretur: quod non multi animaduertunt. Maioriani ergò Conſtitutio propriè eſt; non Leonis, non vtriuſque: (quanquàm ambo, Leoque priori loco, inſcripti legantur) ad Rogatianum miſſa Suburbicariæ Tuſciæ conſularem. In quâ priùs arceri iubet Italiâ reum: deinde orbe ſuo, hoc eſt Occidentalis Imperij tractu prohibet: tandem ipſi ait redire capitale futurum. Similiter Caſſiodorus *vtrumque orbem* dixit *t* de Orientali, & Occidentali Romano Imperio.

*f V. Decianum l. 2. Reſponſo 27.*

XXV. *Orbis Romanus* eadem notatione tum *u* Vlpiano & Conſtantino *x*, tum aliis dicta ea pars orbis quæ parebat Romanis. Et *Graium orbem* Statius *y*, *Europæum*, *Æoum* Ammianus *z*, *Aſſyrium* Iuuenalis *aa* dixerunt Minoſque apud Ouidium VIII. libro Metamorphoſeon *Orbem ſuum* Creten appellat Inſulam:

> *Certè ego non patiar Iouis incunabula Creten*
> *Qui meus eſt orbis, tantum contingere monſtrum.*

Inſigne his appendendum eſt Appuleij teſtimonium ex li. IX. Ibi poſtquàm ſoluiſſet è portu nauis Romam, Ægyptius Sacerdos, qui ritè, & auſpicato, ad ripam ſederat, in templum rediens, *de libro fauſta voto precatus* (verba Lucij Appuleij ſunt) *Principi magno, Senatuiq́, & Equiti, totoq́, Romano populo, nauticis, nauibus quæque ſub Imperio mundi noſtratis reguntur, renuntiat.*

*t 1. var. 4.*
*u In l. 17. D. De ſtatu hominum.*
*x In l. 1. C. de eunuchis.*
*y 1. l. Achilleid. v. 441*
*z L. 17. & 25.*
*aa Satyra 2*

XXVI Sed animaduerſione opus eſt deportationem nouo quodam ſignificatu in hac conſtitutione cenſeri. At corrigamus verba priùs, quæ hîc pertinent, nè ampliùs in vitio cubent. *Vnde Rogatiane cariſſime* (ſic excuſſum eſt) *noueris ad rigorem veteris diſciplinæ hanc perennitatem noſtræ obſeruationis adiecisse menſuram, vt ſecundum legem Diuorum retrò Principum, qui in ſimili crimine talia cenſuerunt, relegationem probroſi, ac nefandiſſimi rei deportatio adiecta continuo, & bonis* (lego *continuet*, *bonis*) *eius omnibus Fiſci vtilitatibus vindicatis.* Deportationis vocabulum ſine inſulâ poſitum mireris: quod ſuperiori ſæculo, & ſub vnico Rerum Domino nuſquàm auditum. Nempè noluerunt Romani antiqui Principes ab vniuerſo orbe imperij ſui pelli damnatos, nè ex ciuibus hoſtes facerent. Ideò inſulis mancipabant, atque includebant. Solonis conſilium Periandro datum prudens fuit: ſi tyrannidi omninò inſiſtendum cenſeret, vt neminem extorrem ageret, ne hoſtes ſibi ex ciuibus crearet, quod Laertius refert in Solonis vitâ. Diuiſo autem imperio ſatiùs habitum extra fines alterutrius portiones damnatos eiicere, nullo impendio vecturæ facto ad Inſulam ſubcuſtodia; præſertim eos, à quibus nil, in publicum timeretur. Manebat ergo publicatio bonorum, & imago veteris interdictionis,

terdictionis; ſi quando ſimiliter atque Maioriano hîc, aliis Principibus de
reo placitum eſſet.

In pœnis ſeruilibus, (vt id, quod proximum eſt, non prætereamus) ſui XXVII.
etiam gradus conſtituti ſunt. *Ex opere metalli ad metallum* (inquit Calliſtra-
tus) *nihil refert, nec diuerſa pœna eſt operis & metalli; niſi quòd refugæ operis, non
morte, ſed pœnâ metalli ſubiiciuntur.* l. v. in fine D. De extraordinariis cognitio-
bus. *Refuga* dicitur *operis* propria phraſi, quâ tùm noſtri ſæpe, tùm Tertul-
lianus, & ipſe forſan Iuriſconſultorum ex grege, vſus eſt elegantiſſimè in
libello de Habitu muliebri cap. v. Vbi de auri & argenti, ſeu terræ potiùs in
ornamenta, & mundum fœminarum transformationem: *Terra ſcilicet* (ait)
*planè glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officiis pœnali opere
deplorata nomen terræ in igni reliquit; atque exinde de tormentis in ornamenta, de
ſuppliciis in delitias, de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur.* Tam fre-
quenter Iuris vſurpat verba magnus hic ſcriptor, vt eo præcipuè argumen-
to vtantur qui Africano huic tribuunt quidquid fragmentorum ſub nomi-
ne Tertulliani præferunt Iuris libri. Similiter atque in metalli refugas, in XXVIII
cuſtodiæ ſcio gradatim vindicatum ex l. XXVIII. §. XIV. De Pœnis. In trire-
mium refugis quæſtio etiam eſt, an capite ſint puniendi. Sed quia ſignatè
non ſcriptum fuit apud veteres de hac pœna triremium, vt ſcriptum eſt de
opere metalli, eapropter extendenda non eſt ea gradationis regula & ne-
ceſſitas ad nouas pœnas; ſed in antiquis coërcenda. Ideoque in more poſi-
tum eſt apud quoſdam ita ſententiam formare de iis qui ad triremes mittun-
tur, vt ſi inde aufugerint, mortis pœnæ ſe obnoxios reddant. Videſis Vin-
centium de Franchis deciſſione CXL. ex n. 8.

Habeo quod recenſitis à Marciano contumaciæ pœnis, veluti alieno XXIX.
ponderi ἐπίμετρον, adiiciam: Inciuile factum eorum etiam, qui loco non ex-
ceſſiſſent, non minùs puniri, quàm exceſſum ipſum l. vlt. §. I. C. De Pœnis.
Germanum eſt Agrippæ exemplum in Suetonij Auguſto. *Agrippam nihilo
tractabiliorem, imò in dies amentiorem in inſulam, è continenti, tranſportauit.* Et
aliud Caſſij Seueri, de quo Tacitus IV. lib. Annalium: *Vt iudicio iurati Sena-
tus Cretam amoueretur effecerat,* (Seuerum Tiberius) *atque illic eadem actitan-
do* (propter quæ in relegationem incurrerat) *recentia, veteraq́ odia aduertit;
boniſq́ exutus interdicto igni, atque aqua ſaxo Seriphio conſenuit.*

Diuerſum erit, ſi non voluntate ſed coactus ad loca prohibita interdi- XXX.
ctus acceſſerit: de quo ſpecioſa eſt cautio in Platonis legibus lib. IX. Si quis
nauigans ad eam oram ni tempeſtatis delatus ſit, quæ interdicta ei eſt, pote-
rit quidem (inquit) morari ſoluendi tempus pedibus mare contingens: ſi au-
tem ab aliquo ad Iudicem perducatur, Iudex reducere eum debet intactum
in ſuum exilium. Hæc ferè optimus legiſlator, quod pulcherrimum eſt ar-
gumentum vt confirmet quis littora maris communia, nec tam continentis,
quàm ipſius pelagi partem videri. Similiter is extra pœnam eſt refugis pa-
ratam, qui non ſponte locum exilij exceſſit: puta qui deportatus, ex inſula
captus ſit ab hoſtibus. Reuerſus ergo is non duriùs accipietur, ſed quaſi poſt-
liminij iure iterùm deportabitur; vt captus ab opere metalli, & redemptus
ad opus ſuum reducitur: quod docet Tryphoninus in l. XII. §. XV. & XVII. D. XXXI.
De Captiuis. Et quia Miſcella quædam colligere cœpimus de exilij violato-
ribus; obſeruatione dignum eſt, pulſum regno aliquo, ſeu Prouincia debere
etiam vrbe abſtinere aut portione illa, quæ poſt dictam reo ſententiam Re-
gno, aut Prouinciæ acceſſit. Diſertè dixi, *acceſſit*: vt ſic à regula exclude-
rem eam vrbem, aut portionem ſoli, quæ non vt acceſſoria, ſed æquo iure,
& vt ſuis legibus ſtaret vnita eſt cum regno prohibito. Hîc enim poſterio-
re, quæ non coaleſcit alteri, ſed coniungitur, abſtinere is non debet qui eie-

 ctus

bb *In l. ſi conuenerit §. ſi nuda. De pign. actione.* cc *In l. 49. Tauri verbo* deſterrados. dd *In l. 1. gl. 6. Tit. 1. l. 5. Compil.*

ctus olim à regno eſſet. Sic ex Bartolo *bb* docent noſtri Didacus Caſtellus *cc*, & Ioannes Matienzus *dd.* Deinde adnoto exulem ad prohibita loca non impunè acceſſurum, quantumuis ſeſe alieno iuri, ac ditioni ſubiecerit, vt minus obnoxius ſit antiquæ damnationi, & imperio. Nam exulem quendam Neapolitani regni, qui ſe inter claſſiarios triremium Melitenſium profeſſus nomen fuerat, in vrbe ipsâ Neapoli deprehenſum Curia magnæ Vicariæ in furcam egit, auctore Maſtrillo in deciſſione CCLXXXV.

## CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

### An Eccleſiarum immunitate gaudeant exilij refugæ.

I. *An qui impunè occidi poſſunt, in eccleſia ipſa occidi poſſint.*

II. *Probatur magis non poſſe.*

III. *Vti nec filius, apertè, nec mulier prægnans etiam ſit proſcripta.*

IV. *Sacrilegij pœnam non ideo euadet quis, quia euadit pœnam homicidij.*

V. *In leuioribus exilijs, quæ impunitatem homicidij non præſtant, æquius eſt refugas immunitate eccleſiæ non gaudere.*

VI. *Afferuntur, quæ in contrarium ſtare videntur, Canonicæ leges antiquæ.*

VII. *Et Gregorij* XIIII. *Papæ nouum edictum.*

VIII. *Quæ ſolæ conſtitutiones ad hoc valent, quia Ius Immunitatis eccleſiaſticum eſt, non diuinum, aut naturale.*

IX. *Immunitatis priuilegium ad id tantùm reſpexit vt corporales pœnas euitaret ſupplicibus.*

X. *Vti plures docent.*

XI. *Canonum, Conciliorum, & prophanarum legum verba nil amplius continent.*

XII. *Caput* XII. *concilij Toletani* VI. *exponitur.*

XIII. *Arcadij edictum de abroganda Immunitate apud Proſperum Aquitanicum expenditur.*

XIV. *Ideo iudicia tantum ſanguinis fuerunt olim à Templis, & cœmeterijs remota.*

XV. *Tortura inter pœnas.*

XVI. *An damnatus ad torturam propter crimen cui non fauet eccleſia, tutus ſit, ſi ad eam confugiat?*

XVII. *Chriſtiani Principes ſic intellexerunt Immunitatis Priuilegium.*

XVIII. *Stiliconis & Creſconij Hiſtoria, ex vita S. Ambroſij Præſ. Mediolanenſis.*

XIX. *Alia de Eutropio eunucho: Zozimus oſcitantiæ notatur.*

XX. *Iuſiurandum quod ſit in extractione rei ab eccleſia nil ampliùs quàm mortis & membrorum immunitatem.*

XXI. *Paganis & infidelibus an ius aſyli?*

XXII. *Eutropius in eccleſia, an extra fuerit deprehenſus?*

XXIII. *Aliud ex Hiſpania exemplum.*

XXIV. *Sic exiſtimauit, & iuſſit Clemens* VIII. *Papa.*

XXV.

*XXV. Exilij refugæ confugientes in aſylum, non euitabant ſuam pœnam.*

*XXVI. Magnum templum Conſtantinopoli S. Sophiæ.*

*XXVII. Imo & aliquam contumaciæ pœnam non euadit, ab exilio ad eccleſiam confugiens.*

*XXVIII. Immunitatem non tueri exules ſententia eſt multorum.*

*XXIX. Expenduntur quędam huius ſententię rationes* I. *hic.*

*XXX. Item ſecunda.*

XXXI. *An confugiens ab exilio in eccleſiam in eccleſia videatur delinquere?*

XXXII. *An ſpe immunitatis videatur refugiſſe?*

XXXIII. *Quam falſum ſit eccleſiam non eſſe in territorio Principis.*

IN exiliorum refugis iam diu quæritur, gaudeant nè ſacrorum immunitate hi, qui interdicta ingreſſi, aut definita pœnæ loca egreſſi ad eorum aſylum confugerint. Ac primùm de his, qui eo genere exilij ſunt damnati, quod I.
interficiendi hoſtem publicum poteſtatem facit cuicumque de populo, (quem morem alibi *a* nos non iniuſtum, aut inuulgarem aſſerimus) plurium *b* ſententia eſt, iure eos poſſe vel in eccleſia occidi; atque adeò magis ab eâ violenter extrahi; dummodo eccleſia intra eius territorium ſit, qui tale exilium dixerat. Tolluntque ab eo, qui interficerit, ſacrilegij etiam noxam; eâ ratione iudicium hoc ſuum tuentes, quòd ſtatutum tollens homicidij pœnam quoduis aliud crimen, quod homicidio adiungitur, pœnamque etiam eius indulgere videatur. Quare id admiſſum, & iudicatum in Mediolanenſi ſuo Senatu ſcribit Ægidius Boſſius in Praxi.

a *L. 3. c. vlt.*
b *Azorius ad Tit. Cod. de crim. ſacril. & ibi Salicetus in Rub. Hoſtieſis, Nellus, quos laudat, & ſequitur Boſſius in Praxi Tit.* damnati quid amittant.

II. Quorum auctoritate non quidem eo perducar, vt iudicio adquieſcam ſic erga immunitatem ſacrarum eccleſiarum iniquo. Certum quippè eſt in primis, in leges ciuiles, quæ homicidia coërcent, ſtatutis laicalibus eſſe poteſtatem: in eccleſiaſticas, vnde Iura immunitatis fluxerunt, minimè eſſe. Iudex quidem ſecularis publico nomine in reum animaduertens iure poteſt iubere eum à quocumque occidi; veluti creans omnes, & ſingulos ciues vindictæ publicæ adminiſtros: quod præceptum, ſeu facultatem potius, tam prophani, quàm ſacri fori ſuffragium, ratioque non improbat, vt ad finem huius commentarij proprio loco animaduertimus. Facere autem nè ille ſit ſacrilegus, qui ſanguinem, quantumuis hoſtis publici, in loco ſacro effuderit, neutiquam poteſt. Maximè cùm præſtò ſit remedium, quo, illibato ſacrorum honore, vindictæ publicæ fiat ſatis: ſi nempè hominem ab eccleſiâ expulſum merito ſupplicio Iudex, quod poterit, impendat. Non enim niſi ob atrociſſima delicta, & quibus immunitatem ſacra loca non præſtant, huiuſmodi exilia cum homicidij impunitate ferè decernuntur.

Prætereà regula illa, quæ ex aduerſo prætenditur, impunitate donata, III.
videri omnia, quæ circa homicidium fiant impunè perpetrandum, falſiſſima eſt. Nam ecce in hac eadem causâ proſcripti hominis, quidquid non illud tantum, ſed alterius rei ſimul, aut perſonæ iura lædit, vtique non eſt permiſſum. Primum exemplum eſto, filius *c*, qui occidere nequit Patrem ſic proſcriptum. Secundum fæmina pari modo damnata *d*, quæ, ſi prægnans ſit impunè non occiditur. Quod vtrumque aliter eſſet diffiniendum, ſi permiſſa alicuius occiſione, quæque aliorum iura in eo, & circa eum violari poſſent. Tertium exul talis iam carcere incluſus, quippe qui ſub cuſtodia loci publici conſtitutus, iam non iure offenditur: quî ratione in hac re vtitur Bartolus *e*, & ex eo alij *f*. Demum quamuis homicidij pœnam effugiat IV.

c *Couarr. in 4. De Matr. P. 2. c. 7. n. 8. Placa de delictis l. 1. c. 36. n. 1. Menochius de Arbit. l. 1. q. 90. n. 41. & ſequentibus.*

is,

is, qui intra eccleſiam occiderit proſcriptum, ſacrilegij tamen non effugere Baldus diſertè docuit; quem plures alij *g* laudant, & ſequuntur. Ergò in eccleſiam confugientes reos non inde abſtrahere licet, aut expellere ad huiuſmodi exilium quod capitale eſt. Videndus Petrus Gambacurta Societatis Ieſu in aureo Tractatu de Immunitate Eccleſiarum lib. IV. Cap. XXXIII. num. 3.

V. In cæteris exiliis non ita ſeueris, quæque afflictionem tantùm corpori, vt notauimus, non læſionem important, conſentaneum magis videtur æquitati, & vniuerſalis Iuris, quòd ſcilicet ſacrum continet ac prophanum, rationi, atque propoſito exilij refugam ad templum confugientem abduci ab eo poſſe, & in exilij ſui locum reduci. Sed quia non pauci ex nouioribus *h* verentes nè in religionem peccent, ſi in aliquo derogent immunitatis priuilegio, exuli fauent, habereque in eo ſe debitum, ac legitimum templis honorem arbitrantur; excutienda eſt illorum traditio, priuſquam ſuperiorem noſtram muniamus.

VI. In primis Pontificij Canones, quorum eſt proprium *i* fines, & modum dicere immunitati ſacrorum, non aliter concedunt eccleſiæ miniſtris, atque defenſoribus facultatem conſignandi reos in manus laici Iudicis, quàm ſi accepto priùs ſacramento *de morte, ac debilitate rei, & omni pœnarum genere ſint ſecuri:* Ita enim concepta verba ſunt Concilij Aurelianenſis apud Gratianum in cap. *Id conſtituimus* XXXI V. XVII quæſt. IV. Et prætereà alij ſunt Canones ſic in genere id ipſum ſignificantes. S. Auguſtinus relatus in capite *Reum* IX. eiuſdem cauſæ, & quæſtionis: *Reum ad eccleſiam confugientem* (inquit) *nemo abſtrahere audeat, neque inde damnare ad pœnam, vel ad mortem, vt honor eccleſiarum conſeruetur; ſed Rectores eccleſiæ pacem eius, & vitam. & membra obtinere ſtudeant* &c. Et ante Auguſtinum Oſius Cordubenſis Epiſcopus in Concilio Sardicenſi hæc inter alia dixiſſe legitur, teſte eodem Gratiano in cap. *Si vobis* XXVIII. XXIII. quæſt. VIII. *Sed quoniam ſæpe contingit, vt ad miſericordiam eccleſiæ confugiant qui iniuriam patiuntur, & qui peccantes in exilium, vel in Inſulas damnantur, aut certè quamcumque ſententiam ſuſcipiunt, ideo ſubueniendum eſt his, & ſine dubitatione eis eſt petenda per eccleſiam indulgentia.* Extatque in Conciliorum Collectionis volumine I. hæc nota huc pertinens. *Poſt conſulatum glorioſiſſimi Imperatoris Honorij Auguſti* IV. *& Eutychiani V. C. quinto Kal. Maias Carthagine in ſecretario Baſilicæ reſtitutæ. In hoc concilio legationem ſuſceperunt Epigonius, & Vincentius Epiſcopi, vt pro confugientibus ad eccleſiam quocumque reatu inuolutis legem de glorioſiſſimis Principibus mereantur, nè quis eos audeat abſtrahere.* Quare hos nobis in re præſcriptos fines cùm nullâ aliâ via tranſgredi poſſimus, quàm ea eſt ab iiſdem ſacris conſtitutionibus, præcipueque à Gregorio XIIII. P. M. in Bulla, quam de Immunitate, atque eius priuilegij exceptionibus anno ſuperiori nonageſi-
VII. mo primo ſupra ſeſquimilleſimum promulgauit, vniuerſis eccleſiæ ſubditis, vt videtur, oſtenſa: in hiſque conſtitutionibus nuſquàm negetur aſyli Ius exuli confugienti in eccleſiam, minimè poſſe nos denegare aiunt ei ſubſidium, quod eccleſia non denegat. Cum regula ſit, in hac re, perpetua *k*, omnes eos, qui non expreſsè reperiuntur prohibiti, eccleſiarum immunitate gaudere. Quare hoc eodem argumento admittunt quoque permulti ad ſacra hæc aſyla triremium hodiernos refugas: quos non ſolum à maioribus, & ſeuerioribus contumacium pœnis, ſed ab antiqua etiam nauticorum ergaſtulorum, remigiique opere immunes volunt.

VIII. Hoc argumento ex Pontificum, & Conciliorum ſanctionibus petito, nec vllo alio comprobari debere reorum hanc aſyliam, ſiue immunitatem, ea ratio extra dubitationem conſtituit, quod ſacrorum Templorum immunitas

---

d l. 1. Tit. 30. Par. 7. Placa d. c. 36. n. 12. Menochius ibid. n. 55.
e In l. In laqueum. De adquir. rer. dominio.
f Ludouicus Gomez in c. Mulieres. De Iudiciis Placa d. c. 36. n. 20. Decianus Par. 2. l. 7. c. 11. n. 10.
g Remigius de Goni De Immu. fallentia 36. Peregrinus de Immunitate c. 5. nu. 11. Farinacius in Praxi 3. p. q. 103. n. 323.
h Nauarrus in Manuali c. 25. n. 19. Suarez de Reli. vol. 1. l. 3. c. 12. n. 6. plures alij quos refert & ſequitur Diana Reſol. Mor. Pa. 1. Tr. 1. reſ. 12. & P. 6. Tr. 1. reſ. 21.
i Plures apud Couar. l. 2. var. c. 20. n. 3. Queſada qq. Iuris c. 1. n. 4. 5. Auget autem &c.
k V. Clarũ in Praxi l. 5. §. fin. q. 30. n. 9. & 10.

nitas non Iuris naturalis, aut diuini à Chriſto Domino legis gratiæ promulgatore ſanciti, ſed eccleſiaſtici, à Pontificibus nempè Eccleſiæ Maximis, cenſione doctiſſimorum hominum *l*, qui verum dicere amant, repertum ſit, atque introductio. Quare ipſi Canones eccleſiaſtici, ac temporalium Principum leges, ſi quæ de Immunitatis hac indulgentia concipiuntur, non ad aliàs origines, quàm ad ipſorum Canonum ſacrorum ſtatuta hunc morem referre ſolent; vt videre eſt in cap. Inter alia VI. De Immunitate eccleſiarum; cap. Diffiniuit XXXII. cap. Id Conſtituimus XXXIV. XVII. quæſt. IV. & in capite IX. Concilij Toletani XII. Quæ ipſa capita legum ferè ciuilium conſtitutiones ad rem allegant ſimiles, neutiquàm prouocatura (ſi Deo placet) ad eccleſiaſticas, & multo minùs ad prophanas leges, ſi Iure alio antiquiore, atque diuino Hebræis olim monſtrato, (vt quidam *m* aiunt) res eſſet vtique præiudicata; vnde nobis qui eccleſiarum aſyla quibuſuis potiùs indulta ſuſpicamur, quàm exiliorum refugis, in eo maximè allaborandum IX. eſt, vt confirmemus nullâ ex his Pontificijs Conſtitutionibus anteà laudatis, nulloque alio ſiue ſacro, ſiue profano iure, hanc eccleſiarum immunitatem exulibus, aut quibuſquumque aliis non corporalium pœnarum reis vnquàm fuiſſe tributam. Repeto: Ad nihil aliud eccleſiaſtici aſyli priuilegium reſpexiſſe, quam vt reos ad templa confugientes, immunes corporalium omnium, quæcumque ſunt, pœnarum redderet: de cæteris pœnis, cum nihil exceptum ſit, aut ciuilis Iuris legibus ſanctione vllâ Canonicâ derogatum, ſummos Pontifices non curauiſſe, nec priuilegio ſacrorum impertiri voluiſſe.

X. Ita cenſent, ac de Immunitate ſacrarum eccleſiarum exiſtimant, vltra non extendentes *n* Oldradus, & Ioannes Igneus, quos pro ſe adducit, & ſequitur Martha, atque item Remigius de Goni, Aufrerius, Decianus, Antonius Gama, & Marius Curtelius de priſca & recenti eccleſiæ libertate cum Diana contendens, & Petrus Gambacurta.

XI. Sic verba concepta ſunt Pontificum, ſic Synodorum, ſic Regiarum, & Imperialium legum, vt nihil ampliùs, quam vitæ, & membrorum ſecuritatem eccleſiarum ſupplicibus cauerint, atque proſpexerint. Concilij Rhemenſis ſub Hadriano I. hæc ſunt. *Si quis fugitiuum ab eccleſia abſque ſacramento, quo ei iurandum eſt, vt de vita, tormento, & truncatione ſecurus exeat, qualicumque occaſione abſtraxerit, communione priuetur.* Innocentius III. Papa ad Regem Scotiæ, (ſiue *Conatiæ*, quomodò in exemplaribus Vaticanis ſcriptum eſſe notat Germonius *o*) relatus in dicto cap. *Inter alia* VI. De Immun. eccleſiarum; *Si liber* (ait) *quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, non eſt violenter ab eccleſia extrahendus, nec inde damnati debet ad pœnam, vel ad mortem: Sed Rectores eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam*, &c. Reliquas, & quæ citra mortem, & membrorum ſint mutilationem, pœnas adeò à ſuperioribus corporalibus, & grauioribus diſtinguit, vt his exceptis cæteras non prohibeat irrogari eccleſiæ ſupplicibus: nam ſequitur in eadem reſponſione Innocentij Papæ; *Super eo tamen, quod inique fecit, eſt legitimè puniendus &c.* Ex Concilio etiam Claromontano Vrbani II. tempore anno Domini MXCV. celebrato hæc ſunt. *Quod ſi quis pro ſecuritate eccleſiæ, vel crucis, aliquod crimen peregerit, & ad eccleſiam, vel crucem confugerit, acceptâ ſecuritate vitæ, & membrorum reddatur Iuſtitiæ.* Lex Wiſigothorum XVI. Tit. V. lib. VI. de homicida ad eccleſiam confugiente ſic ait inter alia. *Conſulto tamen Sacerdote, ac reddito ſacramento, nè eundem ſceleratum publicæ mortis pœna condemnet, Sacerdos cum ſua intentione ab altari repellat, & extra chorum proiiciat; & ſic ille qui eum perſequitur, comprehendat. Cui ab eccleſiâ eiecto non aliàs mortiferas inferat pœnas, ſed in poteſtate parentum, & eorum, cuius propinquus occiſus*

 *fuerit,*

*l* Couarr. l. 2. var. c. 20. n. 1. Decianus Tra. crim. l. 6. c. 25. n. 2. Marta de Iuriſd. P. 2. c. 50. n. [illegible]. Farin. tomo 2. Tit. De Carceribus q. 28. nu. 1. docteq; & metaphyſicè Petrus Gàbacurta De Immu. eccl. l. 1. c. 11 & l. 3. c. 7.

*m* Quos collegit Marius Italia l. 1. De Immun. eccl. c. 2. nu. 67. qui toto capite Couarrubiæ, & aliis còtrariæ ſententiæ auctoribus còtradicit: quod & facit Anaſt. Germonius l. 3. De ſacr. Im[illegible]n. c. 16. ex nu. 5. Petrus Pekius de manus iniectione c. 6. n. 5. Queſada q. 1. n. 2.

*n* Oldradus conſ. 154. Marta de Iuriſd. P. 2. c. 51. n. 15. Remigius De Immun. in Præſuppoſitus, præſuppoſito 3. n. 11. Aufrerius in Capella Tholoſana addit. 422. Decianus to. 2. l. 6. c. 28. n. 27. Gama deciſ. 52. Curtelius q. 12. n. 2. 3. & 4. Gàbacurta De Immun. l. 4. c. 33. 34. 35.

*o* L. 3. de Immun. ſacr. 16. n. 54

*fuerit, contradendus eſt; vt excepto mortis periculo, quidquid de eo facere voluerint licentiam habeat.* Hucuſque Chindaſuindi lex Catholici Regis, & pientiſſimi. Ad quem legem alia Conſtitutio facta in Concilio Toletano XII. ſub Eruigio Rege inferioris temporis, cuius caput I. de his eſt, qui ad eccleſiam con-
XII. fugium faciunt, quamuis generalibus verbis formata, referri debet. Nec diuerſi ſenſus videtur eſſe alia ſanctio Concilij Toletani VI. cap. XII. ſub Chintila, qui Chindaſuindum præceſſit; quod eſt de confugientibus ad hoſtes. In mixtura enim eos quadam iuſtitiæ atque pietatis, ſi ad templa ſe receperint, coërcendos non alio ſenſu conſtituiſſe videtur, quàm vt vità eis indultâ pœnis aliis non corporalibus obnoxios vellet. *Quod ſi ipſe* (inquiunt PP. Toletanæ Synodi) *mali ſui prius reminiſcens ad eccleſiam fecerit confugium, interceſſu Sacerdotum, & reuerentia loci Regia in eo pietas reſeruetur comitante iuſtitia.* Si non talis ſenſus vltimæ huius partis ſit, alius me de ſenſu legis doceat oportet. Noſtro Iure Partitarum non vltra cautum voluerunt Hiſpaniæ Reges. Legis 2. Tit. XI. Partitæ I. hæc verba ſunt. *Cà todo home, que fuiere a ella* (eccleſiam intelligit) *por mal, que houieſe fecho, o por debda que debieſe, o por otra coſa qualquier; debe ſer i amparado; e non lo deben en de ſacar por fuerça, nin matarlonin darle pena en el cuerpo ninguna, nin cercarlo alrededor de la egleſia* &c. Et infrà. *E los que lo quiſieren ende ſacar por auer derecho del mal que fico, ſi dieren ſegurança y fiadores que non le fagan mal ninguno en el cuerpo; o ſi non los podieren dar, que Iuren eſo miſmo* &c.

XIII. Videor inſuper mihi in quadam vel iniqua, & impia Cæſaris Arcadij ad ſuggeſtionem improbi illius eunuchi Eutropij lata de abrogandis aſylis ſacris lege veſtigium huius rei, ac differentiæ inter grauiores, & leuiores pœnas deprehendere. Quam, cum nuſquàm extet, ex fide idonei auctoris repræſentabimus. Proſper Aquitanicus in libro de Prædictionibus, & promiſſionibus Dei, Parte III. Promiſſione XXXVIII. ita ait. *Eutropius quoque præpotens plurimùm anima & mente paganus, cum in contumeliam eccleſiæ edictum obreptitiè ab Arcadio Chriſtiano Imperatore ſculperet, vt ſi quis ad eam confugeret, etiam ab altari ſublatus pœnas lueret ampliores, diuino iudicio ſuæ ſententiæ prior ipſe propinatus eſt.* Verbum illud *ampliores* fruſtrà erit, ſi non eo ſubindicatum voluerit Proſper edictum hoc impium id nouitatis induxiſſe, vt qui religione templorum ſe tuerentur, maiores, ſiue ampliores pœnas (& quænam hæ niſi corporales?) in poſterum non euitarent; vti prius leuiores, & minores, quæ ſcilicet cruciatum non inferrent, confugio in eccleſiam minimè deuitabant.

XIV. Quare Gregorius Papa à Gratiano laudatus in cap. *Reos* VI. XXIII. quæſt. V. dumtaxat de reis ſanguinis cauiſſe legitur, *vt defendat eos eccleſia, nè effuſione ſanguinis* (ille ait) *particeps fiat*: quaſi de aliis parum ſollicitus qui non luituri eſſent cruore delictum. Nullaque alia ratione, vt videtur, Lucius Papa III. *Sæculares iudices cauſas tantùm, vbi de ſanguinis effuſione, & corporali pœna agitur, in eccleſiis, vel cæmeteriis agitare* prohibuit; ratione quidem prohibitionis ſubiecta: *abſurdum enim eſt, & crudele* (ait Lucius Pontifex) *ibi iudicium ſanguinis exerceri, vbi eſt tutela refugij conſtituta.* Quæ planè ratio, aut peruincere debet non alios, quàm ſanguinis reos tutelâ eccleſiarum gauiſos fuiſſe; aut certè incongrua eſt ad rem, & imbecilla. Si enim tutela refugij omnibus fuiſſet, etiam non ſanguinis, ſed leuiſſimarum quarumcumque pœnarum reis, conſtituta, quare reliquis citra mortem, & ſanguinem iudiciis templa locum præbuerunt? Abſurdum etenim fuit non minus, iudicium ibi quodcumque exerceri etiam non corporale, etiam incruentum, vbi omni reorum, omni pœnarum, etiam leuiſſimarum, generi tutela erat refugij conſtituta. Cæterum de hac re plenius cautum fuit poſteriorum

Pontificum

Pontificum Conſtitutionibus tribunalia, & iudicia ſæcularium Iudicum omninò ab eccleſia remouentibus: cuius rei ſpecimen eſto Gregorij X. in generali Concilio Lugdunenſi ſanctio, quæ legitur in cap. *Decet.* §. *Ordinarij.* De Immunitate eccleſiarum in VI. *p*

XV. In pœnis corporalibus, quarum immunitatem præſtare eccleſiam ſupplicibus ſuis oſtendimus, torturam libenter includimus; licet non pœna, ſed quæſtio ſit tortura. Ab omni quippe eo, quod ſenſum corporis non mediocriter lædit, (quocumque appellare velis, ſeu pœnæ, ſeu afflictionis, alteriuſue rei nomine) immunem præſtat hominem, qui eo ſe contulit, eccleſiæ refugium. Et Concilij Rhemenſis iam laudata verba, *vt de vita, tormento, & omni truncatione ſecurus exeat*, magis quàm alia aliorum, id explicant.

p *Videri poteſt Antonius Auguſtinus Epitome Iuris Pontificij lib. 13. Tit. 16.*

XVI. Excipiunt tamen hanc cauſam non ſine rationis ſpecie. Poſtulatus criminis, cui non fauet eccleſia, hoc eſt proditionis, aut latrocinij, vehementiſſimis vrgetur indiciis, non iis tamen, quæ ad inferendam reo ſufficiant mortem, ſed iis quæ ad decernendam de eo quæſtionem. Torturâ iam decretâ reus perfregit carcerem, & in eccleſiæ aſylum conuolauit. Reddendum hunc hominem carceri, & quæſtioni affirmant. Ratio eſt, quia cùm crimen tale ſit, cui eccleſia non patrocinatur, probationes non ſunt inhibendæ, per eccleſiam; ſed ad exitum cauſæ quoquomodo ſunt à Iudice perducendæ; vt appareat dignus nè, an indignus ſit, cui ea ſuffragetur. Ex quarum probationum numero quæſtio, ſiue tortura eſt. Sic iudicatum non ſemel, aut bis fuiſſe in Luſitaniæ ſuo Senatu ſcribit Antonius Gama in deciſſione CLXXIX. idemque obſeruari in Caſtellæ regno ſubiungit, is qui additiones harum deciſſionum dedit, Blaſius Diaz de Mena. Quod nobis tamen, ſicut Gama ipſe non diſſimulat, dubitatiſſimum eſt.

XVII. Planè apud Chriſtianos Principes hæc interpretatio, atque intellectus Priuilegiis iſtius ſacrorum templorum perpetuus fuit. Idcirco ad eccleſiam confugientium vitæ quidem parcere ſolebant: inde tamen ad exilij pœnam eos deducere, quin derogare ſe Canonicis ſanctionibus crederent, minimè dubitabant. Nouellæ ſunt Conſtitutiones, Conſtantini Porphyrogennetæ ſecunda, & Emmanuelis Comneni VIII. *De voluntariis homicidis*; quæ cum aliis aliorum poſt Iuſtiniani, ac Leonis Imperatorum Nouellas, ex Enimundi Bonefidij interpretatione coniectæ ſunt à Dionyſio Gotofredo in corpus Iuſtinianæi Codicis; Græceque ipſæ legi poſſunt ab iis qui Græcè ſciunt, in Iuris Græco-Romani, quod Ioannes Leonclauius in lucem edidit, priore parte *q*. Vtraque hæc, vt τῶν ἐκκλησιῶν μέγα καὶ θεῖον προνόμιον, *eccleſiarum magnum, atque diuinum priuilegium* conſeruet, proſpiciatque ſimul Reipublicæ, voluntariis homicidis ad earum aſylum ſe conferentibus vitâ conceſsâ, exilium ab eo loco, vbi admiſſa fuit cædes, idque perpetuum, locoque circumſcriptum, patrimonio inter eorum filios, & interfecti hæredes diſtributo exſertim irrogat. Regis Theodorici Gothorum ſeu mauis Caſſiodori Regia ſenſa dictantis, hæc verba ſunt in tertio libro variarum cap. XXVII. de Iouino quodam curiali, qui ob collegam in rixa occiſum conſcius facti ſui intra eccleſiæ ſepta refugerat. *Hunc* (ait) *Vulcaniæ inſulæ perpetuâ relegatione damnamus, vt & ſancto templo reuerentiam habuiſſe videamur: nec vindictam criminoſus euadat in totum, qui innocenti non credidit eſſe parcendum.* At Caſſiodorus homo pius, & veræ religionis conſtans, licet ſub Theodorico Rege Arriano, bis ſenis his variarum libris comprehendit quæ in Quæſturæ, Magiſterij, & Præfecturæ dignitatibus ipſe variis in cauſis publicè dictauerat, vt ex Præfatione illius operis conſtat. Frequentiaque apud eum, & ſub hoc Principe honoris ſacris rebus, atque hominibus curioſè, ac piè habiti leguntur teſtimonia; in libro ſcilicet I. cap. XXIX. vbi ſpecialiter ait eccleſias

q *Pag. 111. & 163.*

cleſias ab omni iniuria cupere ſe alienas; in lib. III. cap. XLV. libro IV. cap. XX. & in Edicto Theodorici cap. LXX. & LXXI. In Angliæ quoque regno Eduardi II. lex, dum eccleſia Hieruſalem ibi erat, & non hara Babylonis, ſeruabatur (Polidoro teſte lib. I. Hiſtoriæ Anglorum) vt quoties quis delicti reus ad templum confugeret, in perpetuum exiret ab inſula exilium, intra quadraginta dies, & duodecim horas, (eo enim temporis ſpatio ſe Oceani æſtus ex alto incitat) in ſignum ſeruatæ per religionem vitæ manu crucem vſque ad littus geſtans.

XVIII. His omnibus antiquior eſt de Stilicone Comite, ac Creſconio ſupplice hiſtoria, quam verbis ipſis Paulini illius, qui S. Ambroſij vitam ſcripſit, repræſentamus. *Per idem tempus cum conſulatus ſui tempore Imperator Honorius in vrbe Mediolanenſi Lybicarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente, data copia eſt miſſis militibus ab Stilicone Comite, hortatu Euſebij Præfecti, vt Creſconius de eccleſia raperetur. Quem confugientem ad altare Domini Sanctus Epiſcopus* (Ambroſius) *cum clericis, qui in tempore aderant, defendendum circumdedit. Sed multitudo militum, quæ Duces ſuos habebat de perfidia Arrianorum praualuit aduerſus paucos: atque ablato Creſconio exultantes ad amphitheatrum reuerterunt, eccleſiæ luctum non modicum relinquentes. Nam Sacerdos proſtratus ante altare Domini factum diu fleuit. Sed in tempore cùm reuertiſſent, & renuntiaſſent his, à quibus fuerant deſtinati, milites, dimiſſi Leopardi ſaltu celeri ad eundem locum, in quo ſederant, qui de eccleſia triumphabant aſcendentes, grauiter laniatos reliquerunt. Quod vbi vidit tunc Stilico Comes pœnitentia motus eſt, ita vt per multos dies ſatisfaceret Sacerdoti.* At quid factum deinde ab eo ſperas, qui expiare crimen ſuum omnibus modis, eccleſiæque obſequium reſtituere debitum geſtiebat, niſi reſtitutum fuiſſe ei Creſconium ſupplicem, immunemque ab omni pœnâ ad aſylum ſuum redire iuſſum? Minimè hoc factum. *Sed quia grauiſſimorum criminum erat reus, & aliter emendari non poterat, ad exilium deſtinatur, non multo poſt indulgentia proſequente.* Hæc totidem verbis Paulinus.

XIX. Porrò in Conſtantinopolitana vrbe tribus poſt annis huic ſimillima facta eſt eccleſiaſticæ Immunitatis, & ſacri aſyli interpretatio in Eutropio Eunucho. De quâ re Nicephorus Callixtus lib. XIII. eccleſ. Hiſtoriæ diſtinctius aliis, Socrate videlicet, Zozomenoque, agit: priorque his Zoſimus lib. VIII. Cuius verbis factum notare animus eſt, ſimul vt non vno eum errore, lapſum incurioſitate noſtri, hoc eſt Chriſtiani moris, vtpote impium, atque ethnicum, Chriſtianiſque infenſiſſimum, admoneam. *His auditis Arcadius* (ex verſione ait Leonclauij) *arceſſit Eutropium, & abrogatâ dignitate dimittit. Eutropius ſe curſu Chriſtianorum ad eccleſiam confert, quæ ab illo ius aſyli habebat.* Fallitur primò hîc Zoſimus. Eutropio enim auctore abrogatum fuerat, potiùs quam irrogatum eccleſiæ magnæ Conſtantinopolitanæ de qua loquitur, priuilegium aſyli, teſtantibus cunctis eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus Nicephoro, Socrate, Zoſomeno, Caſſiodoro, & vltra eos Proſpero Aquitanico, cuius quidem locum paulo antè produximus. Deinde ait ille. *Quia verò Gaines inſtabat Tribigildum* (is erat copiarum barbararum Dux in Phrygia) *aliter de ſuo remiſſurum impetu negans, niſi de medio tolleretur Eutropius, etiam contra legem, quâ Ius Aſyli ſanctum eſt eccleſiis, hominem inde abreptum in Cyprum relegant accuratæ cuſtodiæ traditum.* Alterum conſtituo hîc errorem inde natum, quòd non benè Zoſimus calleret quouſque ſacri aſyli ius pertingeret. Cum Eutropio iure actum erat, ſi relegatione tantùm fuiſſet punitus, & non morte; quæ quidem contra ſacramentum præſtitum iniquè, atque impiè fuit ei tandem irrogata. Sed attexamus reliqua auctoris verba, vnde nobis deſumenda ſunt huius ſententiæ argumenta. *Vrgente verò Gaine, & ad cædem eius Arcadium impellente, tandem illi, qui res Imperatoris adminiſtrabant,*

*niſtrabant, iuſiurandum Eutropio præſtitum, cùm extraheretur ab Eccleſia, per cauil-
lationem eludentes, eum è Cypro reuocant: quaſique iuraſſent non ſe morte multaturos
ipſum dum Conſtantinopoli eſſet, Chalcedonem miſſum interficiunt.* Vides iuſ- XX.
iurandum in extractione huius interpoſitum nil pluſquàm veniam mortis
comprehendiſſe. Vti illud eſt quod petit ſibi Adonias Dauidis filius à Salo-
mone fratre præſtari cap. 1. libri 2. Regum. *Ecce Adonias timens Regem Salo-
monem tenuit cornu altaris dicens: Iuret mihi Rex Salomon hodie, quod non inter-
ficiat ſeruum ſuum gladio.* Veroque admodum videtur ſimile Ioannem Chry-
ſoſtomum virum Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ rei propugnatorem acerri-
mum Conſtantinopolitanæ vrbis præſentem Epiſcopum, non aliter quàm
accepto ſacramento in re legitimo, atque ſolenni Eutropium ſupplicem in
manus conſignaturum Arcadij Satellitum. Cumque in eâ oratione, quam
habuit coram, & in Eutropium ipſum, quæque hodie ſupereſt, totis elo-
quentiæ viribus id cum populo egerit, vt pro ſupplicis vita & eccleſiæ ho-
nore communibus officiis, & precibus Imperatorem ſimul omnes interpel-
larent. Habeo & aliud in re argumentum, cui non parum tribuo. Lex ho-
die legitur in Theodoſiano Codice, ſcilicet XVII. Tit. *de Pœnis* ſententiam
continens Eutropio dictam in Cyprum Inſulam relegationis: quæ niſi iu-
re lata fuiſſet in Eccleſiæ ſupplicem, & ſine vlla in ſacram ædem, vnde ex-
tractus fuit, irreuerentia, & iniuſtitia, in collectionem iſtam à Chriſtiano
Imperatore minimè redacta fuiſſet, aut redigi permiſſa.

Non ignoro, aut diſſimulo duplicem excogitari poſſe huic exemplo eua- XXI.
ſionē, factique rationem. Prima eſt: Eutropio immunitatis eccleſiaſticæ ius
non fuiſſe, quia paganus erat, atteſtante id ſaltem Proſpero in laudato loco
Partis tertię, operis de Prædictionibus, promiſſione XXXVIII. cum extra pri-
uilegium ſint, qui extra eccleſiam ſunt, vt vulgò r exiſtimatur. Sed reſ- r Videndus Couarr. l. 2 c. 20 n. 11. Curtellius q. 22.
pondeo hanc diſtinctionem Chriſtiani, & non Chriſtiani ſupplicis non eſſe
huius temporis, quo inualere cœpit ius aſyli in eccleſiis. Vel ſi aliter dicen-
dum ſit propter legem I. C. de his qui ad eccleſiam confugiunt, in Eutro-
pio ſaltem minimè fuit dubitatum, gauderet nè is refugio eccleſiæ, an mi-
nùs, quamuis paganus: ſiquidem non ante iuramentum præſtitum, vt nar-
rat Zoſimus, de incolumitate, ac vita ſupplicis, ab eccleſia fuit deductus.
Quod quidem iuſiurandum, ſi pagano aſylus in eâ non eſſet, minimè fuiſ-
ſet interpoſitum. Quare nec aliquis Hiſtoricorum de hac re ſcribens admo-
nuit vſquàm fruſtrà petiuiſſe infidelem Eutropium à fidelium templo a-
ſyliæ tutelam. Alia euaſio eſt; Eutropius extra eccleſiam fuit deprehenſus, XXII.
cum ipſe illius tutelæ, ac priuilegio prior ceſſiſſet. Certi autem iuris eſt ex-
tra eccleſiam captos ſine vllo piaculo mactari, ac ſupplicio impendi, mul-
toque magis aliis pœnis ſubigi. Deprehenſum verò extra eccleſiam innuitur
in Homiliæ alterius Ioannis Chryſoſtomi inſcriptione, quæ eſt ſuper ver-
ba illa Pſalmi XLIV. *Aſtitit Regina à dextris tuis* &c. quæque habita dicitur,
*cùm Eutropius extra eccleſiam deprehenſus eſt.* Sed hunc obicem vidit iam, & à
planâ Eutropianæ Hiſtoriæ via remouit Clariſſimus Annalium eccleſiaſti-
corum ſcriptor, Volumine V. ad annum CCCXCIX. num. 25. eam homiliam
ad quamuis aliam cauſam extra hanc referens, atque epigraphen teſtimo-
nio homiliæ ipſius refellens, ac peregrinitatis arguens. Sed hæc de Eutro-
pio ſatis nos prolixè. Ad alia tranſeamus.

In vita quoque Sancti Maſonæ Antiſtitis Emeritenſis à Paulo Diacono XXIII
eiuſdem vrbis, edita legitur Vacrilam quendam, qui cum aliis coniurauer-
rat in necem ipſius Epiſcopi, atque item Claudij Prouinciæ Ducis, cùm de-
ſtinatus in exilium templo ſe commiſiſſet Eulaliæ Virginis, non ideò liberè
iuſſum inde abire à Recaredo Rege Catholico in primis, & religioſo; ſed


vnâ

vnà cum vxore, filiis, omnique patrimonio in ſeruitutem ipſius Baſilicæ mancipatum fuiſſe. Quod quidem ſolidæ immunitati eccleſiis adiudicari ſolitæ omnium pœnarum non mediocriter derogat.

XXIV Et hanc quidem eſſe ſummorum Pontificum voluntatem, ac mentem docuit in re ipsâ Clemens VIII. Nolle ſe affirmans refugia eccleſiarum excipere, ac tueri bannitos cuiuſcumque ſint generis: vt videre eſt in quadam epiſtola ipſius nomine ab Alexandro Cardinali Florentino, eodemque Clementis in Pontificatu ſucceſſore ad Neapolitanum Antiſtem data XI. die Aprilis anni MDCII. Hanc Stephanus Quaranta in ſumma Bullarij *ſ*, & Marius Italia de Immunitate eccleſiarum ſcribens *t* proferre in lucem non dubitarunt. Quare id in communem iuit conſuetudinem & praxim, teſtante eodem nuper laudato Italia *u*, vt Prælati etiam ipſi eccleſiaſtici reos in eccleſiam receptos aliò tranſmittant: quamuis praxim ipſe improbet, exilium reputans in pœnis corporalibus: ab inueteratâ tamen conſuetudine, quantumuis parum rectè, & per abuſum introductâ videri ſibi ait *x* non eſſe temerè recedendum.

*ſ Tit. Bannitorum factores fol. 89.*
*t L. 1. c. 5. n. 16.*
*u L. 1. c. 6. §. 3. n. 2.*
*x d. §. 3. n. 4.*

XXV. Planè id quod Sanctiſſimus Pontifex Clemens VIII. circa illos exules; quos hæc noſtra ætas, præcipueque Italia, & Germania bannitorum appellatione donauit, vt loco ſuo videbimus, placere ſibi oſtendit, exemplis quoque antiquæ & Chriſtianæ hiſtoriæ comprobatur. Quoties enim cumque à loco exilij ritè irrogati excedens committebat exul ſe in tutelam eccleſiæ, inſuper habitâ, & remiſsâ ei ob loci religionem duriore contumaciæ pœnâ, cui obnoxium corpus reddiderat, in exilij antiquam ſedem, aut in cuſtodiam monaſterij remittebatur. Ioannes Cedrenes de rebus agens Ioannis Tzimiſcæ in compendio ſuo Hiſtoriarum hæc ad rem ſcribit, quæ Latina ex Græcis damus. *Statim igitur Tzimiſca percuſſores iſtos extorres agit: & Theophanonem in Proconneſum relegat. Vnde poſteà occultè cum profugiſſet in magnum Templum, exturbata eo à Baſilio Cubiculario in Prouinciam Armeniacam eſt deportata in Damidis monaſterium recèns ab Imperatore conditum.* Hæc Cedrenus. Hoc

XXVI ipſum eſt magnum templum S. Sophiæ renouatum Conſtantinopoli à Iuſtiniano, eoque ante alia Magni templi nomine Græcis notum: de quo Procopius in libello de ædificiis Iuſtiniani, Agathius de Bello Gothorum libro V. Theophylactus Simocatta Hiſtoriæ Mauricianæ lib. VIII. cap. VIII. & qui quampluribus laudibus appellat Georgius Franza lib. III. Hiſtoriæ cap. XVII. Cuius Templi, atque ei conceſſi aſyli Iuris meminit Conſtantinus Porphyrogenneta in Nouella quadam, quæ incipit Ἡ μωσέως νομοθεσία, *lex Moſis* &c.

XXVII. in Iuris Græco Romani laudato priùs Syſtemate *y*. At ipſa ea Manuelis Imperatoris ſanctio paulo ante adducta publicationem inſuper bonorum irrogat huic contumaciæ ab exilio immunitatis ſpe fugiendi; quandocumque corpus refugæ illibatum ſeruari opportuit. Hic tenor legis ex verſione Leonclauij. *Quod ſi quis homicidarum, qui ad ſanctiſſimam maiorem eccleſiam confugerat, & exilio perpetuo condemnatus erat, vel vt in vinculis eſſet, ac per omnem vitam ſuam cuſtodia clauderetur, inuentus fuerit eo loco liberè vagari, quo cædem perpetrauit, vinctus à Quæſtore loci ad Maieſtatem meam mittetur; & quæcumque tunc eius bona reperta fuerint, in Lucrum tam Quæſtori cedent, quam ei, qui homicidam indicauerit ex æquo inter ipſos diuidenda.* Eademque Nouella eos, qui rei cædis conſulto perpetratæ ad monaſteria fugientes tonderi ſe, atque inter ſodales religioſos volunt deinde cenſeri, tranſacto tempore canonici examinis iubet in eis monaſteriis vel inuitos manere, ac per vniuerſum vitæ ſpatium ſine ſpe exitus detineri.

*y 1. p. pag. 109.*

XXVIII Quare immunitatem eccleſiæ non conuenire exulibus quidam ex noſtris apertè docent: aliique non improbant. Odofredus affirmat deciſſio-

ne

ne CCCCXXII. Remigius probabilem ait ſententiam in Tractatu de Immunitate, fallentia XXXVI. Petrus Sarpus de Iure aſylorum hoc ſaltem rectè cenſuit capite V. Marius Curtellius rem tractat ſatis modeſtè, ac temperanter lib. I. De Priſca & recenti eccleſiæ libertate quæſt. XII. Petrus Gambacurta apprimè doctus & Immunitatis prudens æſtimator atque eruditus explanator lib. IV. cap. XXXII. Concinitque Supremæ Curiæ Gallicæ decretum quod Rebuffus attulit ad ordinationes Regias volumine ſecundo art. I. Gloſſa I. n. 28. *Decimo* (inquit) *fuit prohibitum à Curia ſuprema inſtigante Procuratore Regio religioſis Sancti Martini ne bannitos à Rege recipere habeant; & ſi receperint, à die notitia ſtatim ab immunitate expellant: hoc anno* MDLXXVI. *die* XXV. *Februarij.* Hæc ille.

Rationes alias huius regulæ non nemo *z* tres conſiderat. I. eſt; Iam damnatos non defendi ab eccleſia: quod citra mortis cauſam veroſimile faciunt ea quæ initio capitis ſequentis à me annotanda ſunt. Sed Antoninus Diana in VI. Parte Tract. I. Reſolutione XXI. improbans hanc legum Canonicarum interpretationem, atque inter iam damnatos & ſtatim damnandos diſtinctionem, ita arguit. Exul contumax, rediensque in locum prohibitum noui criminis reus fit: quare non vt damnatus eccleſiâ arceri, ſed vt damnandus eccleſiâ foueri debet. At conſideratio hæc doctiſſimi Theologi ac I. C. non ſine quodam eximij honoris elogio à me ſemper nominandi, parum aduersùs eos habet virium, qui exiſtimarint exilij refugam in eccleſiâ manentem non inde ad nouam pœnam, ſed ad antiquam extrahendum; non de nouo propter contumaciæ recens crimen damnandum; ſed damnationi ſuæ, quam contumacia eludere voluit, reſtituendum, de nouoque mancipandum. Vt ſerui reſtituuntur Dominis non ad nouam pœnam, ſed ad ſtatum ſuum, & conditionem ſeruiendi. XXIX.

[*z Sarpus d. c. 5.*]

Secunda ratio eſt: grauius delictum eo, cuius cauſâ miſſus fuit in exilium, is committit, qui conſultò redit ad locum prohibitum; ſcilicet perduellionis grauiſſimum, atque atrociſſimum: nam exules hoſtes ſunt Reipublicæ; nec licet hoſti ad hoſtilem locum deuenire. Sed cùm non omnes exules conditionem iſtam peregrinitatis incurrant, nec hoſtium loco habeantur, non eſt cur immoremur in hac penſandâ ratione, quæ non totam regulam in tuto ponit. Atque item non ſine controuerſia eſt *aa* perduellionis omne crimen ſecludi hoc priuilegio immunitatis. Quare nos ad certiora ex incertis tranſeamus. XXX.

[*aa V. Dianam Pa. 6. Tract. I. reſol. 18.*]

Tertia ratio eſt. Qui ſe in eccleſiam loci prohibiti coniecit, ibique manet, in eccleſiâ ipsâ delictum committit, dum intra limites ſibi ad excedendum præſcriptos contumaciter verſatur. Hæc vero eſt in cauſâ immunitatis regula à multis tradita *bb*, Iure iſto aſyli non gaudere qui in eccleſia ipſa delictum perpetrat; deducta nempè ex capite vltimo de Immunitate eccleſiarum. Sed nec ratio hæc mihi ſatisfacit. Namque is qui cum furto in eccleſiam confugit; ex eo rei furtiuæ intra ſacrum locum contrectatione, non videtur ibi nouum crimen committere: quod aduersùs quoſdam veterum acutè, ac prudenter vidit noſter Didacus Couarruuias *cc* Hiſpaniæ, ac totius Iuriſprudentiæ lumen, & columen. Ita ſimiliter qui temerè ingreſſus eſt fines loci prohibiti, & nè apprehendatur ad contumaciæ pœnam, eccleſiæ ſe committit, non iure dicetur nouum crimen ex eo, quod templi aſylo ſe tuetur, admittere. Diuerſum prorſus eſſet in eo dicendum, qui ad exilium ire iuſſus, nè exire compellatur, in ædem ſacram ſe contulit, indeque exturbari ſe non poſſe contendit. Idem de eo dicam, qui à loco exilij rectâ in eccleſiam venit, putans ſe ibi impunè eſſe poſſe male morigerum, & contumacem. Eiiciendus namque eſt vterque, aut perducendus in ſuum exilium. XXXI.

[*bb Panor. in c. vlt. de Immun. eccleſ. & alij apud Couarr. l. 2. c. 20. nu. 15. Gomezio l. 3. var. c. 10 n. 2. Claro l. 5. §. fin. q. 30. n. 13.*]

[*cc d. c. 20. n. 15. §. vigeſimo octauo &c. quem Clarus ſequitur d. §. fin. q. 38. n. 16. in fin.*]

exilium. Hi enim contumaciæ hoc crimen grauiſſimum intra eccleſiam ſine dubio, & ſpe immunitatis illius committunt. Prior autem ille ob perpetratum iam contumaciæ crimen, ne in nouam tradatur pœnam, templi ſe religioni ſupplicem credit.

XXXII. Quarta ratio alia, atque aptior fortè adduci poteſt. Eccleſiaſticæ immunitatis ſpe videtur quis ad prohibita remeare loca, & in his manere: aliàs non auſurus pedem eò inferre, niſi eccleſiarum, quæ ſic frequentes, & vbique ſunt, cogitaret aſylum. Spe autem immunitatis delinquens eâ non fruitur *dd.* Si minùs congruæ tibi, lector, memoratæ videbantur rationes, ad Achillem noſtrum te reuoca; nuſquàm ſcilicet in Canonicis legibus exilium, ſimilemúe aliam non corporalem pœnam eccleſiarum ſupplicibus irrogari prohibitam.

*dd Couar. d.c. 20. n. 15. §. vigeſimo ſexto &c. Menochius l. 5. præſumpt. 10. n. 4. & 5. Cauellius q. 5.*

Non tamen ſine cenſione iuſta prætermitti debet quorundam Interpre-
XXXIII tum traditio, qui dùm eccleſiaſticæ iuriſdictionis pomærium vſque & vſque extendant, nil minùs verentur, quàm eccleſiæ ipſi & eccleſiaſticis omnibus inuidiam, laicis autem Principibus, necnon & moderationi, ac modeſtiæ ipſius eccleſiæ non mediocrem iniuriam facere. Docet non vnus, aut alter exulem in templo manentem eius loci, vnde eiectus eſt, non intelligi exilium fregiſſe; quia quamuis eccleſia ſit ratione ſitus in territorio ciuitatis, quoad Iuris tamen effectus, & præcipuè ad ligandum ſtatuto Principis id quod fit intra eccleſiam, verè non dicitur eſſe in territorio: quia eſſe in loco exempto, & extra territorium æquiparantur: quod Interpretes docent in l. vltima D. De Iuriſdict. omnium Iudicum. Hæc verba ſunt Antonini Dianæ in IV. Parte Tract. I. reſolutione XCII. In quâ re arguendâ, & adfligendâ, nil plus quàm ab auctore illius rogabo: ſi extra territorium Principis eccleſia eſt quoad Iuris effectus, quonam iure Princeps, aut qui vicem illius gerit in Republica, eccleſiam ingreditur, atque inde reum abducit, quem eccleſia priuilegio ſuo non tuetur? Reuera enim ſi eccleſia extra territorium eſt Principis, tam is qui reus eſt criminis atrocioris, ac priuilegio aſyliæ indigni, quàm is qui eccleſiæ immunitate gaudere debet, extra territorium Principis eſt. Non enim ex eo fiet territorij Principis Eccleſia, quòd reus immunitatis priuilegio gaudere nequeat. Rurſùs arma legibus ſæcularibus geſtari prohibita intra eccleſiam ipſam reo detrahuntur, qui ipſe deiiciendus non eſt eccleſiæ aſylo: vt grauiſſimi docent Iuriſconſulti *ee*, ac Theologi, reclamante quamuis inter alios Antonino ipſe Diana Parte I. reſolutione VIII. Tractatus I. & Parte VI. Tract. I. reſol. VIII. Deinde inſanum eſſet, intra eccleſiam tutò, atque impunè factum opus dicere, quod Princeps lata lege per totam ditionem ſuam fieri vetuit. Nempè edicto promulgatum fuit, nè quis telam texeret auream, vel ſericam; ne quis fabricaret palmares tubulos, ſeu ſclopeta (vt verbo vtar huius ætatis) breuiora; ne quis frumentum, aliaúe, niſi ad præſcriptum pretium venderet. Audeat nè aliquis tantùm deſipere, vt dicat omnia hæc tutò fieri intra ædem ſacram poſſe? Atqui hoc neceſſariò fateri debet, qui quoad Iuris effectus, & præcipuè ad ligandum ſtatuto Principis id, quod fit intra eccleſiam, extra territorium Principis eccleſiā collocat. Cùm potiùs affirmari omninò debeat illum hominem, qui ſic edictum aut legem latam temerare auſus fuerit intra eccleſiam, aſylo ipſius iure non vti, atque eâ exturbandum; quamuis aliàs legi non obtemperans, & ad eccleſiam confugiens eo fruiturus eſſet priuilegio immunitatis.

*ee Couarr. d.c. 20. nu. 18. §. trigeſimo ſexto &c. Gomez Decianus, Placa apud Bobadillam l. 1. Polit. c. 13. nu. 108. & Curtellius q. 8. n. 3. Suarez Fagundez. Ioannes à Cruce Gambacurta, alij apud Curcellium ibidē. Sanchez tom. 1 opuſcul. l. 6. c. 1. dubio 14. Villalobos & Naldus apud Dianam P. 1. Tract. 1. reſol. 3.*

CAPVT

# CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

## Contrariis argumentis ſatisfit.

I. *Argumentum* I. *ex cap.* Id conſtituimus XXXIV. XVII. *q.* 4.
II. *Damnati an gaudeant priuilegio aſyli.*
III. *Hi qui iuri alterius obnoxij ſunt, eo non eximuntur, ſi ad eccleſiam confugerint: vt ſerui.*
IV. *Æquum hoc eſſe defenditur.*
V. *Serui, qui monachi facti ſunt, reſtituunt. Dominis.*
VI. *Remiges an confugio in eccleſiam à pœna triremium liberentur?*
VII. *Et quid in eo qui conduxit remigio operas ſuas?*
VIII. *Vel qui cum ſoluendo non ſit creditori, debet ei ex ſtatuto ſeruitium præſtare, aut ex pacto?*
IX. *Pœnarum omne genus in cap.* Id *conſtituimus ad corporales tãtum pœnas debet referri.*
X. *Quod probatur ex cap.* De Raptoribus XIII. XVI. *q.* I.
XI. *Ex cap.* Inter alia. *De Immun. eccleſ. cap. Reum* IX. XVII. *q.* IV.
XII. *Quid ſit in d. cap. Reum.* Pacem petere *aut* obtinere?
XIII. *Supplex eccleſiæ legitimè puniẽdus eſt citra mortis, & mutilationis membrorum pœnas.*
XIV. *Conuenientiſſimum eſt ſupplicis exilium tam ſibi, quàm reipublicæ.*
XV. *Non bene interpretatur Gloſſa, & alij verbum* puniendi *de pœnâ pecuniaria.*
XVI. *Laudatum cap.* Id conſtituimus. *correctum videtur cap.* Inter alia. *De Immun. eccleſiarum.*
XVII. *Eccleſia non debet publicæ rei præiudicare.*
XVIII. *Deſuetudine abrogata ſunt quædam capita Immunitatis.*
XIX. *Clementis* VIII. *Papæ de hac re litteræ.*
XX. *Sanciendæ aſylorum religionis antiqua ratio iis tantùm fauebat, qui fato quodam, non malitia peccaſſent.*
XXI. *Argumento ſecundo ex Sardicenſi Synodo ſatisfit.*
XXII. *Epiſcopi ſeſe interponebant pro damnatis.*
XXIII. *De Bulla Gregorij* IV. *Papæ.*
XXIV. *Nil obſtare eam, quo minùs Eccleſiæ ſupplicibus imponatur exilium.*
XXV. *Nec item quo minus Eccleſiæ refugæ, ab eccleſiâ in exilium reuocentur.*
XXVI. *An generalis ſit hæc Bulla.*
XXVII. *Item de alia Vrbani* VIII.
XXVIII. *Exilium ſupplicibus non vt pœna irrogari videtur.*
XXIX. *De carceris raptoribus.*
XXX. *Duplicari an poſſit exilium ſupplicio.*
XXXI. *Et ſi ſæpe effugiſſet, an carcere detineri, & ſeruari?*

ESto quidem, ſi non immunitatem omnium pœnarum diſertè cauerit ecclesiæ ſupplicibus Lex Canonica. *Id conſtituimus obſeruandum.* (Patres I.

 aiunt

aiunt ſuperius laudatæ Aurelianenſis Synodi) *quod eccleſiaſtici Canones decreuerunt, & lex Romana conſtituit, vt ab eccleſiæ atriis, & domo Epiſcopi eos abſtrahere omninò non liceat; ſed nec alteri conſignari, niſi ad euangelia datis ſacramentis de morte & debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri, ita vt ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conueniat.* cap. Id conſtituimus XXXIV. XVII. quæſt.
II. IV. Hoc vno loco nititur aduerſantium traditio *a*. Cui quidem nonnulli ex noſtra parte reſpondere ſolent, conſtitutionem hanc de his pœnis explicantes, quæ nondum latæ ſunt, aut irrogatæ: quaſi de iis tantùm pœnis proſpicere voluerit reis ad eccleſiam confugientibus; cauereque magis nè rei damnarentur, eccleſiâ quaſi intercedente; quàm vt damnati pœnis iam impoſitis eximerentur. Ita de hoc Aurelianenſi decreto cenſent Petrus Gregorius *b*, Martha, Decianus, alij. Quibus conſenſit Clemens VIII. Papa in eâ, quam ſuperiore capite laudauimus, Epiſtola Cardinalis Florentini, quæ apud Quarantam, & Italiam legi poteſt, damnatorum ſicut & bannitorum omne genus ab hoc aſyli, & immunitatis iure procul haberi debere conſtituens verbis apertiſſimis, omnemque ambiguitatem excludentibus. Atque ita quidem obſeruatum ab huius ſanctionis tempore aliter atque obſeruabatur in Panormitana vrbe ſua, & eius territorio, teſtis eſt ipſe Marius Italia *c*: cui credendum potiùs de conſuetudine eius loci, quem habitabat, quàm Farinacio, & aliis contradicentibus *d*, ex Farinacij eiuſdem regulâ quæ Iuris ipſa regula eſt, oſtendere poſſumus: Doctori nimirum de loci illius more, in quo verſatur referenti debere omninò credi; traditâ ab eo in Praxis ſecundo volumine *e*.

III. Planeque ea videtur Eccleſiaſticarum legum mens, & conſilium, vt ſeclusâ mortis, & quacumque aliâ ſanguinis pœnâ, quæ ſemper excipiuntur, aſyla templorum quærentes ad antiquum ſtatum remittant, nec in aliquâ re iuri aliorum in eis quæſito abrogare velint. Quare ſerui ad eccleſiam fugientes conſignari, tradique in Dominorum manus ſolent; cautione tantùm ab eis per eccleſiæ defenſorem, aut æconomum de ſalute, & ſecuritate ſupplicis acceptâ. Sic determinatum fuit Pontificia, atque Imperialibus Conſtitutionibus: cap. Metuentes XXX. cap. vxor. XXXI. cap. Id Conſtituimus XXXIV. XVII. quæſt. IV. L. Si ſeruus IV. & l. VI. §. V. C. de his qui ad eccleſiam &c. l. III. C. Theodoſ. eodem tit. l. ſuper confugientibus VI. eiuſdem Tituli in hoc eodem Theodoſij Codice: quæ quidem eadem ipſa eſt, (nec vulgò animaduertitur) atque integra quidem, cum dicta l. Si ſeruus IV. atque
IV. hinc, non ex Iuſtiniano, qui decurtauit, ad rem noſtram petenda. Cuius legis æquitatem Didacus Couarruuias tuetur *f* aduersùs eos, qui legem impietatis accuſant; quaſi eadem illa ſit, quam referente Eutropio Conſule Impp. Arcadius & Honorius de tollendo ab Eccleſiis aſylo promulgauerunt. Hæc enim, auctore Nicephoro *g*, ex publicis monumentis fuit ſublata; nec ad manum Iuſtiniano, aut Triboniano eſſe potuit. Deinde iniquitatis nil continet Domino ſeruum in priſtinam ſeruitutem reſtitui; quod lex iſta, quam ex vtroque Codice laudamus, additâ etiam ſecuritatis cautione, præcepit. Necnon & iniqua illa ſanctio auctorem habuit Arcadium Cæſarem; quamuis vtriuſque nomine, vt moris fuit, prodierit inſcripta; vt eccleſiaſticæ Hiſtoriæ omnes produnt auctores. At noſtra hæc ex l. Si Seruus IV. Theodoſi iunioris, & Valentiniani eſt ad Hierium, (non ad Imperium, vt legitur in Iuſtiniani Codice) Præf. Prætorio inſcripta. Quod vltimum adnotare prætermiſſit vir doctiſſimus. Quanquàm ſi verum fateamur, non de eâ ſanctione, quæ extat in l. Si ſeruus, Theodoſiique, ac Valentiniani Auguſtorum eſt, querelæ fiunt tanquam de iniqua, & Eutropij nutu promulgata apud Baronium volumine quinto Annalium ad annum CCCLXXXIX.

ſectione

a V. præter ſupra laudatos Boëtium Eponē l. 3. Eccl. & heroic qq. ad c. Inter alia n. 16. De Immun. eccleſiarum.
b Pet. Greg. l. 33. Synt. c. 22. n. 5. Marta d Iuriſd. p. 1e c. 51. n. 18. Decianus l. 6. qq. cri c. 26. nu. 8. Sarpus c. 5. Curtellius q. 10. nu. 5. & 51.
c C. 5. §. 8. n. 4.
d Apud Giurbam conſ. crim. 30. n. 23.
e Tit. De Carceribus q. 28. n. 13.
f L. 2. var. c. 20. n. 14.
g L. 3. c. 4.

ſectione LXXXVIII. Sed de illâ, quæ in Theodoriano, extat Honorij & Arcadij tempore factâ, cuius initium, *Si quis in poſterum ſeruus* &c. Cui quidem licet obſtare non poſſit vltima hæc ratio diuerſæ inſcriptionis, ſaltem obſtare debent aliæ duæ abrogationis Arcadianæ legis, atque item huius l. *Si quis in poſterum*, ad quam reſpexit Baronius, ſummæ æquitatis nulli quærelæ, aut calumniæ obnoxiæ. Eiuſdem planè cum eâ ſententiæ ſunt de ſeruis à V. monachiſmo ad ſeruitutem priſtinam remittendis Nouellæ Iuſtiniani nona cap. ſecundo, & CXXIII. cap. XXXV. potiorque his, quia eccleſiaſtica, neſcio cuius Concilij Toletani ſanctio, quam Burchardus lib. VIII. cap. IX. & Iuo Parte VII. capite XLI. ſuorum Decretorum laudant. Et quod Apoſtatæ religioſorum ordinum à ſuis Prælatis extrahantur ab eccleſia diſciplinæ cauſa, ſi eo confugerint, auctore Panormitano in dicto cap. Inter alia: quanquam contrarium fuerit in Gallia iudicatum apud Rebufum in Commentariis ad Regias Ordinationes *h*.

VI. Huc etiam reducendi ſunt qui exiſtimant damnatos ad ergaſtulorum naualium opus, ſeu malis ad triremes, ſiue è carcere, ſiue in tranſportatione, ſiue è triremibus ipſis euadentes in templa, reſtituendos eſſe ſuæ operis pœnæ. Quamuis enim ſeruilem ſtatum ex eâ damnatione non videantur accipere poſt Authent. *Sed hodie*. C. de donat. inter virum, & vxorem; quæ derogauit Caij regulæ in l. Qui vltimo XXIX. D. De Pœnis: damnati tamen ſunt ad ſeruiendum perſonaliter, vt verbis vtar, & ratione legis noſtræ IX. Verſiculo, *Z mandamos a qua leſquier Iuſticias* &c. Tit. XXIV. lib. VIII. Compilationis. Imò & videntur quodammodo ſerui ex l. XV. Tit. XIII. Partita ſecunda, (quod nobis præ Iuſtinanæo ius eſt) cuius hæc ſententia: *Câ ſin duda el que face el ierro, el miſmo ſe mete en ſeruidunbre de la pena, que mereçe auer por el* &c. quaſi dicat obnoxium ſe, cum delinquit, reddere, eius, quæ irroganda ſibi ex legibus eſt, pœnæ ſeruituti. Aliàs enim crimen ipſum abſque ſententiâ non fecit vſquàm aliquem pœnæ ſeruum, l. Quoad ſtatum D. eodem tit. de Pœnis. Et conſequenter exemplo ſeruorum reſtituendi ſunt remiges ad ſeruile, aut quaſi ſeruile hoc miniſterium. Antoninus tamen Diana diſtinguit remigem à ſeruo, in eo, quòd hic nullius criminis reus ſit, ille autem vllius ſit: quare remigem ait non reſtituendum, ſeruum ait reſtituendum. Ignorabam ego nempè, idcirco deteriorem eſſe conditionem ſerui, quòd non peccauiſſet. Sed dicendum remigem fugitiuum non vt reum ab eccleſia extrahi, ſed vt pœnæ mancipem, ſeruiendique conditioni addictum, vti ſeruus addictus eſt. Quare hanc partem ſequuntur noſtrates omnes *i* qui ab eâ lege latâ ſuper hac re ſcripſerunt, & præter hos non vnus, aut alter Italorum *k* Marta, Gambacurta, Curtellius, alij, quos contrariæ partis ſectatores laudant *l*, Antoninus Diana, & Marius Giurba, & Thomas Benius.

VII. Sed quod minùs rectè Marius Giurba *m* exiſtimauit, meo iudicio id nempè eſt, gaudere etiam immunitate eccleſiæ, remiges, qui olim ſe ipſos, vt prætium participarent, in nautica hæc ergaſtula ad certum tempus coniecerunt. In quo quidem non multos ei credo adſenſuros, qui ſcierint, & perpenderint hanc non pœnam eſſe, ſed contractum: Contractuſque (qualis iſte eſt, quod nec diffitetur ipſe Giurba *n*) iuſtos non vllo alterius rei priuilegio infirmandos: nec dolosè agentibus opitulari eccleſiam debere. Nam quamuis delinquens quaſi contrahere videatur, & ſeſe facto ſuo pœnæ, ac damnationi obligare; nec ideò minùs ab eccleſia defendatur; verè tamen is pœnam illam non ſpontè ſubit, nec propriè contrahit, vt voluntarius publici remigij manceps contrahit: quem prorsùs adigendum vt contractum ſuum, & pactum ſeruet, nullus dubito. Quis enim feret ſeruum

h *Vol. 2. Tract. de Immun. eccleſ. art. 1. gloſſa 1. nu. 24.*

i *Villadiego in Polit. c. 3 n. 215. Lara in l. Si quis à liberis 5. ſed vtrum n. 16. & ſeqq. Bobadilla l. 2. Pol. c. 14. n. 73. Heuia in curia Philippica Pa. 3. §. 12.* Retraidos *nu. 49. Gama deciſſionẽ laudans Luſitani Senatus, deciſſ. 359. quæ incipit.* In cauſa cuiuſdam Santos Gonzalez *&c.*

k *Marta 2 par. c. 51. ex n. 17. Curtellius q. 40. integra Gãbacurta l. 4. c. 33. & 35. qui addit non debere adſtringi remigio, niſi homo ſit laboribus aſſuetus.*

l *Diana p. 1.*

haud ſponte ſuâ, ſed conditionis neceſſitate ſeruientem in manus tamen Domini conſignari ab eccleſiâ; nec Dominum cogi ſeruum ſuum accepto prætio liberum dimittere: at verò eum, qui prudens, & volens addixit ipſe alicui ſe, & operas ſuas accepto prætio, nec tamen ſeruitutis conditionem ſubiuit, ſed alium ſtatum duratione ſaltem benigniorem ac tolerabiliorem, magno ſcilicet publicæ rei incommodo, cui cedere debent priuatorum vtilitates, aduersùs contractuum firmitatem, & vniuerſi Iuris regulas intra eccleſiam recipi; & dum prætium, quo conduxit operas, reddat (quod Giurba vt neceſſarium adnotat) ſecurum eſſe iuberi.

*Tract. 1. reſ. 40. & P. IV Tract. 1. reſ. 45. & P. VI Tract. 1. reſ. 21. Giurba conſ. criminali 30. n. 18. & 19. Thomas del Bene de Immun. eccleſ. Pa. 2. c. 14. dubio 10. ſectione IX.*

*m Dicto cõſilio 30. n n. 25.*

VIII. Conferunt nonnihil huc pertinens Antonius de Butrio, & alij DD. in cap. Inter alia. De Immunit. eccleſiarum. Nempè ſi ſtatutum ſit in loco aliquo, debitorem, qui ſoluendo non ſit, creditori ſuo præſtare ſeruitia pro debito, fruſtra quærendum ab eo ius aſyli, & eccleſiæ refugium, ne ſeruiat: cum iniquum prorsùs ſit iure illo priuare creditorem. Adiungit conſequens aliud Boetius Epo Friſius in III. libro quæſt. Heroicarum & eccleſiaſticarum, qui Commentarium continet huius Tituli De Immunitate eccleſiarum in Decretalibus; eum, qui (vt frequens eſt, & moribus receptum) in caſum non ſolutionis ſemetipſum, ſiue corpus ſuum ad carceres obligauerit, aſyli iure vti non poſſe; cùm fides data ſeruanda ſit omni lege diuinâ, humanaque, tam ciuili quàm Canonica. Quod ille docet in Commentario ad idem cap. Inter alia. nu. 8. Hæc de remigibus.

IX. Sed quanquàm hæc verborum Concilij Aurelianenſis interpretatio non abſurda ſit, aut ratione Iuris deficiatur, vt iam vidimus: proprior magis, & accommodatior Synodi huius, & aliarum ſacrarum Conſtitutionum menti, & propoſito ea nobis videtur. Pœnas cùm nominant Pontificij Canones, atque Concilia, corporales tantùm, non aliàs intelligunt, quantumuis in genere, indefiniteque loquantur. *Omne pœnarum eſſe* in Aurelianenſi concilio, ſiue in d. cap. Id conſtituimus, à confugis, & ſupplicibus amotum in venerationem ſacrarum ædium, comprehendit, ac interdicit tantùm corporalia ſupplicia, non alias pœnas, quæ ad ſolatium potiùs læſæ partis, ſiue totius Reipublicæ, quàm ad coërcendum tam leuiter reum imponi ſolent.

X. Rem ita eſſe ex eiuſdem Concilij ſecundo, hoc eſt quod ſequitur, capite palàm monſtrabo: cuius hæc verba ſunt, relata etiam in cap. De raptoribus III. XVI. quæſt. 1. *De raptoribus autem id conſtituendum cenſemus, vt ſi ad eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & fœminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & parentibus reddatur: & raptor mortis, vel pœnarum immunitate conceſſâ, aut ad ſeruiendum ſubiectus ſit aut redimendi ſe liberam habeat facultatem.* Mortis hæc impunitas, vel pœnarum illa eadem eſt cautio de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere, cuius meminit retrò proximum ſynodi caput. Indefinita enim propoſitio, vt cum Dialecticis loquar, & Iuriſconſultis, vniuerſali æquiualet. Videnturque omninò Patres ipſi cùm formulam, & modum proſpiciendæ reis immunitatis in primo capite diſertis his verbis propoſuiſſent, *de morte & debilitate, & omni pœnarum genere*; circumſcripſiſſe in ſequenti eandem formulam eo compendio *mortis, & pœnarum* impunitatis. Quo enim alio idoneo ſenſu verba hæc vltima ſint accipienda, nescio cum his qui ignorant. Atqui hoc dato, vt æquum dari, ac neceſſarium eſt, pœnarum omnium impunitatem cauere iuberi raptoribus eccleſiam, in capite hoc ſecundo neceſſe non minus erit hoc ita accipere, vt corporalibus dumtaxat voluerit eos eximere: ſiquidem ab illâ ſeruitutis (quæcumque illa ſeruitus ſit o) pœnâ, quam apud raptæ mulieris patrem ferre debet, ipſos neutiquàm liberat. Contradictionem ergò hæc duo non habent in Aurelianenſi ſanctione immunitatem

*o V. Gambacurtam l. 4. c. 32.*

mortis,

mortis, & pœnarum, ſiue omnium pœnarum reo præſtari, & tamen ſeruiendi pœnæ eundem obnoxium manere. Non enim vltra quàm corporalibus pœnis eccleſiæ tutelam implorantes voluit ſubducere.

Et quidem hæc ipſa verbi *Pœnæ* acceptio tam clara eſt apud Innocentium Papam in d. cap. Inter alia de Immunitate eccleſiarum, vt magis nequeat. XI.
Liberum hominem, *quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, violenter* non eſſe *ab eccleſia* extrahendum ad Scotiæ Regem ſcribit: *nec inde damnari debere ad mortem, vel ad pœnam.* Quæris quid mortis, & pœnæ indefinitâ mentione ſignatum velit? Ipſe aperit ſubiungens: *Sed Rectores eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam.* Nec minus manifeſta eſt apud S. Auguſtinum in cap. Reum IX. XVII. quæſt. IV. Vnde ſuperiora Innocentij Papæ III. verba deſumpta videntur. *Reum ad eccleſiam fugientem* (inquit) *nemo abſtrahere audeat, neque inde damnare ad pœnam, vel ad mortem, vt honor eccleſiarum conſeruetur.* Infit tamen: *Sed Rectores eccleſiæ pacem eius, & vitam, & membra obtinere ſtudeant. Pax* velut ſolenne fuit verbum in prehendendo aſylo, XII.
aut implorando numinis auxilio. Virgilius de Didone & Anna ſorore ait in lib. IV.

*Principio delubra adeunt, pacemq́ per aras*
*Exquirunt.*

Et Statius de ara Clementiæ Athenis libro XII. Thebaid.

*Huc victi bellis, patriaque è ſede fugati*
*Regnorumq́ inopes, ſcelerumq́ errore nocentes*
*Conueniunt, pacemq́ rogant.*

Ad quam phraſim reſpicere potuit Auguſtinus. Simile eſt in Capitulario Caroli Magni lib. I. cap. CXL. *Si quis ad eccleſiam confugium fecerit, in atrio ipſius eccleſiæ pacem habeat.* &c. *Pax* ergò apud Auguſtinum nil plus quàm generale nomen eſt ſecuritatis, ſiue immunitatis veniæque earum, quæ ſignatè pòſt exprimuntur, pœnarum, mortis videlicet, & membrorum mutilationis, aut læſionis. Siue *Pax* eſt ab eo qui læſus fuit, ſecuritas; vt benè aduertit Petrus Gambacurta *p*.

Atqui nè impunitus euadat omninò reus in fine ait Auguſtinus: *tamen legitimè componat quòd iniquè fecit*: & nè pecuniæ quidquam pœnæ hîc intelligamus, Innocentius Papa ſic magis explicat in d. cap. Inter alia: *Super hoc tamen quod iniq́ fecit, eſt aliàs legitimè puniendus.* Hoc ſummâ æquitate nititur, vt ſalutem ſibi pér aſylum reus faciat: nec tamen quod iniquè fecit aduerſùs aliquem, impunè ei omninò cedat. Raptor igitur in ſeruitutem ei datus, quem in filiâ offendit, legitimè punitur, componitque quod iniquè fecit. Homicida deductus ab eccleſiâ, & in exilium miſſus ademptâ bonorum parte, additaque in ſolatium &, qui ſanguinis eſt vindex, legitimè componit quod iniquè fecit, legitimeque punitur. Conuenientiſſimum quippe eſt, & vtrique parti ſummè expetendum exilium homicidæ ſcilicet, aut alterius criminis rei, à loco illo, vbi cædem, aut aliud facinus perpetrauit: quod non impedire, ſed vrgere omnibus modis eccleſia debet. Tum vt ab illius capite diſcrimen auertatur; nè inſidiis eorum, qui necem vindicant, præſens ſit expoſitus. Necnon vt eo ſaltem ſolatio remotionis homicidæ, atque in exilium remiſſionis funeſtæ proſpiciatur familiæ. Quo facto etiam cauebitur, vt bona ex parte eſſent irarum, atque odij cauſſæ remoto reo ab oculis, & memoria eius, quem exacerbaturus erat, ſi non inde abiiſſet, iuſtumque ipſius dolorem refricaturus: occaſioneque alterius ſceleris, quantùm potis eſt, remoueatur. Quas cauſas afferunt Nouella Conſtantini priùs laudata, ſimulque altera Emmanuelis Comneni, Theodoricuſque apud Caſſiodorum lib. III. Variarum cap. XLVII. *q* Nec fidendum eſt Scholiographo, atque

XIII. *p* L.4.c.30 n.4.

XIV.

XV. *q* *Videndus Curtellius*

*d q.12.n.5.6.14.& ſeqq. & P. Gābacurta qui hæc prudentiſſimè expēdit dicto l. 4. c.33.*

aliis verba illa d. cap. Inter alia, *eſt aliàs legitimè puniendus*, ad pœnam pecuniariam referentibus. Qui eos ſequi mauult, quam verum ipſum, doceant nos oportet, quo alio loco de pecuniariâ pœnâ *puniendi* hoc verbum legerint, ſiue audierint vſurpatum, & quænam ſit pœna pecuniaria legitima hoc eſt lege præcepta, aut deſtinata iis qui pro ſcelere perpetrato mortem, aut mutilationem membri pati aliàs debuerit? quod bene conſiderat Petrus Gambacurta *r*.

*r d.l.4.c.11.n.14.*

XVI. Demùm exiſtimare poſſumus, quantumuis generalem in Aurelianenſi hoc concilio traditam fuiſſe immunitati eccleſiarum regulam ab aduerſariis contendatur, hoc ipſum caput, eiuſque ſanctionem ceſſare feciſſe Innocentium III. Papa meâ nouâ promulgatâ in re ſanctione, quæ eſt in d. cap. Inter alia. De Immunitate eccleſiarum: quod vnus animaduertit laudatus ſæpè Gambacurta *ſ*. Hoc enim eſſe in facultate Pontificum vt leges immunitati ſacrorum præſcribant, ſiue ampliantes pro rei neceſſitate antiqua placita, ſiue reſtringentes, omnes hi mecum fatebuntur, qui origines huius exemptionis, non ad Diuinum ius, ſed, vt manet dictum ſuperiùs, ad eccleſiaſticum retulerint.

*ſ L.3. c.10. n.22.*

XVII. Hæc decent Dei eccleſiam, ne iniuriarum naſcatur occaſio, vnde iura naſcuntur, vt aiunt Auguſti in l. Meminerint VI. C. Vnde vi: *Fauor enim eccleſiaſticus*, (vt Innocentius inquit Pontifex in cap. Nuper VI. de donat. Inter virum, & vxorem, & in cap. Ex tenore II. De foro competenti) *contra iuſtitiam concedendus non eſt*: quod idem cenſeo ac dicere; quando impertito eo iniuſtitia fit alteri. Nec credendum Dei Sacerdotes, & Vicarios omnimodam impunitatem eccleſiarum ſacrarum ſupplicibus tribuere voluiſſe: cùm permultis experimentis omni ætate ſit comprobatum, aſyla improbis delinquendi animos facere: iniquumque eſſe tale quid ad Chriſtianum morem poſſe adaptari, quale impiis olim Tacitus tertio Annali veritus non eſt adiudicare: protegere ſcilicet *flagitia hominum, vt cærimonias Deûm* populos. Quare Tiberius non ſine multâ Romani Senatus diſquiſitione veterum aſylorum ſanctitatem per Græciæ vrbes magnâ ex parte abrogauit; referente hoc eodem Annalium ſcriptore, Suetonioque in Tiberij vita *t*.

*t Cap.37.*

XVIII. Deſueuiſſe ideò vel inter Chriſtianos obſeruari quædam immunitatis huius capita, ſeu ſacri priuilegij partes, ob numerum eccleſiarum, & delictorum frequentiam, exemplis allatis docet Iulius Clarus in Praxi *u*.

*u L.5. §. finali q.30. ex n.1. verſ. ſcias autē &c.*

XIX. Extantque bonæ memoriæ Clementis VIII. P. M. nomine quædam datæ ad Prælatos, ſeu Gubernatores Prouinciarum eccleſiaſticæ ditionis litteræ *x*; in quibus præter crimina illa maiora, & atrociora priuilegio immunitatis à Canonibus ſacris prohibita, aliis etiam cauſis, damnatorum videlicet, & bannitorum omni generi, vt iam diximus, decoctoribus, & in vniuerſum improbe aut ſceleratè agentibus, denegari iubet eccleſiarum aſylum. Suadentque neceſſitatem huius reſtrictionis plures *y* doctrina, & pietate grauiſſimi viri, qui rem ſeriò expenderunt.

*x apud Mariū Italiam l.1. tit.5. in principio n.16. & c.6. §.8. n.2.*

XX. Iſque planè olim fuit creditus ſanciendæ aſylorum religionis ſcopus, & tota ratio, vt eis tantum qui non malitia in leges, ſed imbecillitate peccauiſſent, *læſis*, inquam, *non lædentibus* (quæ phraſis eſt in hac re frequens ſummorum legumlatorum) præberent ea inuiolabile refugium: vt videre eſt in Nouella Iuſtiniani XVII. cap. VII. *Οὐ τοῖς ἀδικοῦσιν ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις*, *non iniuriâ afficientibus, ſed iniuria affectis*; vt ait Harmenopulus in Promptuarij libro II. Tit. IX. Simile fuit propoſitum in Refugij antiquis Hebræorum vrbibus, vt alio loco diximus. Et religionem, ſanctitatemque locorum, vel apud ſuperſtitioſiſſimos Gentiles iis non ſuffragatam, qui iniuſtè, ac deliberatè quidquam feciſſent, exemplum Græciæ ſuadet apud Licurgum in

*y Decianus Pa.2. l.6. c.29. n.1. plures apud Bobadillā l.2. Pol. c.14 n.92. Couarr. l.2. c.20 n.4. quē laudat Gābacurta l.5. c.9. n.1.*

Oratione aduerſùs Leocratem: cuius verba ſic Latinus vertit Interpres. *Hunc transfugam* (Calliſtratum Athenienſem) *cùm Apollinem Delphis audiſſet, ſi rediret Athenas*, τυχεῖν τῶν νόμων, *conſequuturum ſe leges, reuerſum ad aram duodecim Deorum confugientem, nihilominus tamen vrbis cenſurâ morti adiudicatum refert.* Excuſatque ambiguum Oraculi reſponſum hoc modo: *eſſet enim graue, & indignum ſi eadem piis, & ſceleratis à Deo monſtrarentur.* Hæc Lycurgus. Quare Philo Iudæus in libro *de ſpecialibus legibus*, dedendos aiebat in ſupplicium deliberatæ cædis reos, qui in eccleſiam confugiſſent, cum hoc præconio ἀσυλίαν ἀνιέροις τὸ ἱερὸν μὴ παρέχεσθαι, *nefariis hominibus in templo ius aſyli non deberi.*

Sed obſtat itidem ſuperiori regulæ, quâ nos ab immunitatis priuilegio remouere nitimur exules, quod Oſius in Sardicenſi Synodo propoſuit, Synoduſque ipſa probauit: petendam eſſe ab eccleſiâ indulgentiam reis, qui, cùm peccaſſent, in inſulam, vel in exilium damnarentur, & ad miſericordiam eccleſiæ confugiſſent: quæ habentur in cap. Si vobis XXVIII. XXIII. quæſt. VIII. Sed facilis ad hoc eſt reſponſio. Non hîc de eccleſiarum agitur immunitate, ſed de interceſſione Epiſcoporum, aut eorum qui eccleſiam adminiſtrant pro reis damnatis. Mos enim per hoc tempus hic inualuit, vt Epiſcopi officium ſuum in huiuſmodi cauſis interponerent. Sic S. Ambroſius Mediolanenſis à Gratiano Imperatore extorſit, pagani cuiuſdam, ad ſupplicium qui ferebatur, ſalutem, auctore Zoſomeno lib. VII. cap. XXIV. Sic alij Præſules, ſeu viri eccleſiaſtici extra immunitatis cauſam, quæ hîc prætenditur, apud Principes, aut Magiſtratus ſalutares preces pro reis interpoſuerunt. Cuius rei exempla multa adducit illuſtriſſimus Annalium eccleſiaſticorum ſcriptor volumine V. ad annum CCCLXXXIX. ſectione XCII. Et aliud ab his diuerſum extat in Codice Theodoſiano l. vltima (quæ in Iuſtinianæo eſt l. XXV.) De Pœnis. De qua re Oſium retuliſſe ad PP. Sardicenſis Synodi nullus dubito. XXI. XXII.

Tandem obſtare videtur ſuperioribus regula illa generalis, quæ facta eſſe dicitur eccleſiarum immunitati à Gregorio Papa XIV. in bullato eo diplomate quod omnes huius temporis ſcriptores laudant, qui in hoc argumento verſantur. Quod quidem, præterquàm quòd in collectione Cherubini Bullarum legitur, explanatur præcipuè à Mario Italia in opere ſuo De Immunitate eccleſiaſtica, & à Petro Gambacurta Societatis Ieſu Sacerdote in Commentariis de Immunitate eccleſiarum ad eandem Conſtitutionem; affertur que & expenditur à Mario Curtelio in libris ſuis de priſca & recenti eccleſiæ libertate. In hac videtur conceſſum, cautumque eccleſiæ aſylum quorumcumque delictorum reis, ſi demas publicos latrones extra vrbes in agro & viis graſſantes, agrorum depopulatores, proditoriè homicidas, aſſaſinos, vtriuſque maieſtatis diuinæ, & humanæ perduelles, ac denique eos qui intra eccleſiam ipſam hominem ſuſtulerunt, membroúe aliquo mutilauerunt. Vnde ſi alios, & in his exilij refugas ab eccleſiarum aſylis voluerimus arcere, contrarium Pontificiæ conſtitutioni velle videbimur. XXIII

Huic obiectioni vt reſpondeamus, nilque nos ſtatuere velle quod minùs conforme ſit Gregorianæ huic ſanctioni oſtendamus, poſitionem noſtram duplicem ob oculos iterum ponimus. I. eſt. Reum ab eccleſia deductum ſolenni præſtito iuramento, & cautione de impunitate corporalis pœnæ, adhuc poſſe à laico Iudice in exilium dari, quia exilium pœna corporalis non eſt. II. Exulem qui ab exilij loco fugit in eccleſiam, aut intrans in locum prohibitum commiſſit ſe illius loci eccleſiæ, poſſe inde abduci, & in ſuum exilium remitti. Neutri harum partium, ſi quid video, præiudicare voluit Gregorius Pontifex. Non primæ; quia ſanctio huius integra verſatur in deſignandis XXIV

ſignandis criminibus quæ extra priuilegium immunitatis eſſe in poſterum
debent; & in præſcribenda ſuper hac re & negotio immunitatis notione,
quam omninò adiudicat eccleſiæ Iudicibus. At verò nec verbum vllum de
pœnis habet, quarum impunitatem præſtat, aut minùs præſtat eccleſia; nec
ex ſumma legis & propoſito quidquam aduersùs hanc partem induci poſſe
videtur: ſed hoc totum ex præcedentibus Conſtitutionibus, & Canonum
ſolennibus regulis diiudicandum reliquiſſe Gregorium. Si quid enim ab his
regulis & maiorum diſciplina diuerſum introducere, ſeu reuocare in pri-
ſtinos vſus, ſeu quod ambiguum erat, declarare voluit, verbis apertiſſimis, vt
legiſlatorem decet, id totum expreſſit. Cum autem nil de pœnarum gene-
re ſupra id quod anterioribus conſtaret legibus, hæc ſanctio habeat Conſti-
tutum, nil in cauſa eſt, cur eam, & non ſuperioris temporis Canones in
hac determinanda cauſa interrogemus.

XXV. Secundæ itidem noſtræ poſitioni de abducendo ab eccleſia, & reducen-
do ad ſuum exilium exule, pariter atque ex eadem ratione mens Pontificis
non aduerſatur. Fatemur enim delictum hoc ab exilio euadendi, aut in lo-
cum prohibitum introeundi, ex illis non eſſe, quæ ab eccleſiæ immunitate
Gregorius arcet; conſequenterque huius delicti reum debere vti hoc priui-
legio, & aſyli ſacro iure gaudere. At cum germana & propria ratio huius
priuilegij non alia ſit, vt ſuperiùs probare conati ſumus, quàm vt ſupplices
eccleſiarum eximat corporalibus pœnis; nullaque alia lex Canonica in cor-
poralibus pœnis reputet, aut reputari iubeat exilium illud, quod ſtatum ho-
minis non mutat, aut libertatem infringit; imò corporalem non eſſe ſaltem
multorum conſtans ſit opinio, quam lex noſtra Regia Hiſpanienſis confir-
mat; exulem non malè exiſtimamus ita ſuſcipiendum eſſe ab eccleſia,
quemadmodùm ſuſcipi debere eos qui priuilegio huiuſmodi non arcentur,
iuſſa legum eccleſiaſticarum olim determinauerunt. Proderit ergò exuli
eccleſiæ ſupplici hoc ſacrum indultum, nè ſi ſeuerius aliquid & corporale
aliàs fuerit in ipſum propter contumaciam ex præſcripto legum noſtrarum
ſtatuendum, tale quid irrogetur. At quominùs pœnam non corporalem e-
uadat, neutiquam proderit. Certè Iacobus Antonius Marta vir litteratiſſi-
mus, & Aduocatus Romanus, qui de Iuriſdictione tot annis poſt Grego-
rium, latamque hanc eius legem doctiſſimè fuit commentatus, nil ab ea im-
z De Iuriſd. Pa.2.c.51. n.17.18.19 peditus eſt, quominùs admitteret z tam exules, quàm remiges, qui confu-
giſſent in eccleſiam, debere pœnis ſuis reſtitui, vt ſuperiùs manet anno-
XXVI tatum.

Haud equidem ignoro non vnum eſſe aut alium ex nouioribus, qui de
hac Gregoriana conſtitutione ita cenſent: non ſic generalem eam eſſe, &
omnibus dictam: ſed corrigere tantum natam abuſus quoſdam ex Indultis,
& priuilegiis Sixti, atque Pij Pontificum tempore conceſſis aduersùs eccle-
ſiarum immunitatem quotidie magis inualeſcentes; non vero Canonica
priſca iura, & Pontificias leges, aut ex earum mente iuxta neceſſitatem rei
deductas olim iudicio grauiſſimorum Interpretum, & reipublicæ admini-
ſtratorum ad ſimiles cauſas extenſiones, quas continere maximam æquita-
tem negari non poſſe affirmant. Sed hæc legis Gregorianæ, quæ tam gene-
ralibus verbis concipitur, ad vniuerſitatem fidelium directa videtur, inter-
pretatio & reſtrictio mihi neutiquàm placet. Nihilominus tamen eam tota
quæſtione I. libri I. De priſca & recenti eccleſiæ libertate perſuadere cona-
tur Marius Curtelius; & ante eum Petrus Gambacurta tribus integris ca-
pitibus VII. VIII. & IX. libri V. De Immunitate eccleſiarum: Id ipſumque
arbitratus eſt eodem met promulgatæ Conſtitutionis anno ſcilicet MDXCI.
Ioannes Gutierrez vir doctiſſimus lib. III. quæſt. Pract. quæſt. I. nu. 36. re

fertque.

fertque huius partis ſectatores Zerolam in Praxi Epiſcoporum, alioſque Antoninus Diana in Prima parte Tract. I. De Immunitate, reſolutione I. Conſciique huius Pontificij decreti ſic reſtrictæ interpretationis omnes videntur eſſe illi, quotquot à prædictæ Bullæ promulgatione crimina ibidem non excepta ab Immunitatis priuilegio excipiunt ipſi, veteribus Canonum regulis, & antiqui moris obſeruantiæ, vt olim, deferentes, qui non pauci ſunt. Et quod præcipuum haberi debet ab ipſa etiam Apoſtolica ſede, dum ei præeſſet Clemens VIII. Papa, multùm ab Gregoriana iſta varians interpretatio nata eſt huius ſacræ immunitatis. Quartodecimo namque à promulgatione eiuſdem anno, ſcilicet huius ſæculi quinto, laudati Clementis nomine datæ litteræ ſunt ad Neapolitanum Antiſtitem ab Alexandro Cardinali Florentino, qui poſteà & ipſe Leo XI. appellatus aliquot diebus rexit eccleſiam; in quibus diſertè ait Clementem nolle ad eccleſiarum aſyla pertinere, aut in iis admitti (verbis vtar ipſius epiſtolæ vernaculis) *ſorte alcuna di condennati, ne banditi ladri, o, altre genti di male affare, ne falliti, e debitori.* Hoc eſt damnatorum omne genus, bannitos, latrones, alioſque huiuſmodi, necnon & decretores, fideique ruptores: Iubetque hanc Pontificis voluntatem omnibus ſibi ſubiectis fidelibus notam facere Archiepiſcopum, nè ignorantia tueri ſe vltra poſſent. Integram epiſtolam legere eſt apud Marium Italiam lib. I. cap. 5. initio num. 16. & Quarantam in ſumma Bullarij ſub tit. *Bannitorum fautores* aa. Hac fortaſſe nititur perſuaſione, quòd vſus non ita frequens eſt in pluribus Prouinciis Gregorianæ huius ſanctionis. De Hiſpania id atteſtantur plures *bb*. Necnon & in Gallia, Germania, Venetorum ditione & Ducatu ſuo, (Mediolanenſi, vt credimus) adhuc ex veterum legum regulis non huius nouæ Gregorij Conſtitutionis, iura dici ſacræ immunitatis, affirmat, vt audio ſi falſus non eſt, neſcio quis, aut vnde homo Petrus Sarpus de Iure Aſylorum cap. VII.

aa *Fol. 89.*

bb *Carraſco Ad leges Recopilat. c. 3. Curtelius l. 1. q. 1. n. 50.*

XXVII. Eſt & alia Vrbani felicis recordationis Papæ VIII. Conſtitutio, cuius meminit Antoninus Diana Parte VI. Tract. VI. Miſcellaneo, Reſolutione XXXIX. in fine, damnantis ea omnia quæ præiudicio immunitatis inducta, aut obſeruationi mandata vbique ſint, etiam quæſito eo colore, quòd Pontificiæ bullæ non fuerint publicatæ, vſuúe receptæ: quæ ferè ſunt Dianæ ipſius verba. Hanc quidem nos, viri grauiſſimi teſtimonio aquieſcentes, vt par eſt, atque æquum veneramur, cordeque ſuſpicimus: negamus tamen ex ea quidquam aduersùs concluſionem hanc vtramque noſtram poſſe deduci. Nihil enim ab eccleſiaſticis Canonum regulis, aut eccleſiæ, orbiſque Chriſtiani perpetuo iudicio alienum has continere hæc ipſa diſputatio ac diſquiſitio priùs habita, non obſcurè demonſtrat.

XXVIII Accedit ſuperioribus aliud, quo Gregorianæ huius legi, etiam ſi pœnas omnes vel corporales, vel non corporales, ab eccleſiarum ſupplicibus amouere voluiſſet, quantumuiſque ea generalis ſit, & ad omnes Chriſtianos directa, poteramus reuerenter obſequi, & tamen exilium adhuc quibuſdam reis eccleſiæ immunitate defenſis imperare. Nempè exilium in hac cauſa his etiam eccleſiarum ſupplicibus, qui ſe ab omni pœnarum genere aſyli priuilegio aiunt liberos, non vt pœnam, ſed in reorum ipſorum tutelam, & pacis publicæ incolumitatem irrogari poſſe defendimus. Intereſt enim parti læſæ iniurioſum hominem longè ab oculis habere, cuius ad aſpectum, ſeu præſentiæ recordationem iræ ſtimulos eſt perpeſſurus: Intereſt reum ipſum ſubtrahi alioſum ab eorum oculis, & vicinia, quos grauiter ſiue in corpore, ſiue in honore, ſiue in pecunia offendit, nè facilè incurrat vitæ periculum, expoſituſque aduerſariorum inſidiis nuſquam ſit tutus, ac ſecurus. Demùm intereſt Rempublicam ipſam offenſionum, & diſcordiarum aut

nouorum criminum cauſas præcidi. Quod vtique ſi Iudex pro munere cauebit, maius profectò obſequium Deo præſtiterit, quàm in præpoſtera, ſuperſtitioſaque Iuris Immunitatis interpretatione aliqua Deo ipſi, atque Reip. importuniſſima, atque ingratiſſima, quæque ſibi fruſtrà religionis ac pietatis velamentum obtenderit. Hanc conſiderationem Petrus Gambacurta diſertè, atque prudenter adductis aliis extendit, atque exornat lib. IV. cap. XXXII. nu. 10. & ſequentibus.

XXIX. Vnde nobis aliquot, antequam finiamus, (ſi non improbari digna ſint, quæ præmiſſimus) vtiles ad praxim poſitiones facere in exilij cauſa, & immunitatis hac re opus eſt. I. In effractore carceris confugiente ad eccleſiam. Nempè ſi mortis, alteriuſue corporalis pœnæ reus ob crimen non exceptum, vel vtique iam damnatus ad huiuſmodi pœnam, eruperit in templi aſylum, omninò defendendus eſt ex communi omnium conſenſu Doctorum *cc*. Addimus nos, non niſi ſub eâ cautione incolumitatis vitæ, & membrorum, & cuiuſlibet cruciatus in poteſtatem laici Iudicis conſignandus. Attamen non mortis, aut corporalis, ſed exilij, aut ſimilis pœnæ reus, ad loca ſacra erumpens minimè detinendus eſt; ſed ſub fide eiuſdem cautionis ad ſuum carcerem bonâ eccleſiaſticorum veniâ reuocandus. Adiungit rem oppidò ſingularem Antonius Gama Luſitaniæ regni quondam Senator, fractionem hanc carceris poſſe quidem pœnis non corporalibus, hoc eſt exilio vſque puniri, ſi ab eccleſiâ extrahatur, & non niſi eâ pœnâ exactâ eidem eccleſiæ reſtituendum: ipſa enim, atque eius immunitas, non ab omni ſed à mortis dumtaxat, ſeu corporali aliâ pœnâ ſupplicem reddit ſecurum. Quod à Senatus ſuo Luſitano decretum ſcribit quinquageſima ſecunda deciſſione.

cc *V. Couarr. 2. var. 20 nu. 13. Boëriũ deciſſ. 110. n. 8. & 9. Germoniũ l. 3. De Immunit. ſacrorũ c. 16. n. 77. Giurbam conſ. crim. 30. n. 3. & 10.*

XXX. Secundum in his, qui ab exilio reuerſi ſunt ante tempus, aut in exilium non exceſſerunt, ſed in eccleſiâ manent: extrahi poſſe eos ab eccleſiâ exiſtimo, damnarique in contumaciæ pœnam duplicatione illius exilij, quod tranſgreſſi ſunt. Ratio prompta eſt ex ſuperioribus. Immunitatis enim fauor non inhibet exilij damnationem, quodcumque illud ſit exilium, dummodo non perpetuum, hoc eſt capitalis, atque adeò corporalis, pœna. Quod ergo exilium irrogari poteſt alterius criminis reo ab eccleſiâ educto, pari ratione irrogabitur ei, qui exilium ſibi iam dictum contumaciâ eludere voluit. Exilium dixi perpetuum à regno arcere Immunitatem eccleſiarum à ſuis ſupplicibus. Addo etiam perpetuum carcerem *dd*: atque item fuſtigationem, ac triremium damnationem. Quamuis enim Innocentius III in d. cap. Inter alia, de vitâ & membris cauere tantùm velle videatur iis, qui ad eccleſias confugerint, hoc ita intelligendum eſt, non de integritate membrorum tantùm, hoc eſt ne aliquod membrum reo mutiletur, ſed de immunitate ſcilicet, ne aliquo modo membra cædantur, doloreue macerentur. In quo aſſentior libens Petro Gambacurtæ id poſt multum rei examen grauiter docteque affirmanti *ee*.

dd *V. Curtellium q. 12. n. 13. & 14.*

XXXI. Tertium: ſi prudenter timeatur ab eo, qui ſemel tranſgreſſus eſt exilij fines, par alius impetus refractarij, & contumacis animi, retineri carcere, & vinculis, non in pœnam, ſed in cuſtodiam poterit. Quamuis enim vincula corpus non leuiter grauent, atque adeò corporalis luela ſceleris videri poſſint, non ideò hanc proſcribimus detentionem carceris, ex eo quod omnem corporalem pœnam ab eo, qui immunitatis priuilegio ſe tuetur, proſcripſerimus. Imò vſurpari debere in hac cauſa non inuiti damus: ſi quidem non alio modo exerceri, perducique vſque ad exitum poteſt ſæculare illud, ac iuſtum imperium, quo exactus fuit in exilium reus: nè impunitũ omnino maneat crimen; & vt læſis aliquo modo ſatisfiat; rixarumque præcidatur occaſio.

ee *In l. 4. c. 22. n. 16. V. etiam in c. 34.*

occaſio. Quibus ſi iuſtè impulſus ſæcularis Iudex reo ab eccleſia extracto exilium dixit, eodem ipſo Iure vtens naturali, quo ſubditorum paci, atque reipublicæ inuigilare opus habet bono, iudicium hoc ſuum tueri, atque omnibus modis implere munus ſuum admotâ etiam, ſi aliter nequit, contumacis corporali afflictione, hac ſcilicet cuſtodiâ carceris debet.

## CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

### De Receptatoribus exulum atque eorum pœnis.

I. *Recipere quid ſit?*
II. *Hoſpitij, aut tabernæ Dominus qui tranſeuntem excipit, pœna receptorum non tenetur.*
III. *Pœna receptatorum ex l. Iulia de vi priuata relegatio.*
IV. *Pecuniaria pœna quandoque receptatores mulctati.*
V. *Propinquorum, affiniumue ſuſceptores clementius habebantur.*
VI. *Parentem proſcriptum, vxorem liberos an liceat occidere?*
VII. *Receptatoribus publicorum patriæ hoſtium pœna fuit mors.*

ANtequàm diſcedamus à reatu, & ſordibus exulum, pœnæ oſtendendæ illorum ſunt, qui veteris temporis interdictos, atque huius ætatis exules ſententiæ quoquomodo non obtemperantes recepiſſent. *Recipere* eſt, I.
refugium abſcondendi causâ præſtare: vti ait Vlpianus in l. I. D. De ſeruo corrupto. Ex qua verbi nota recepiſſe non videbitur hoſpitij Dominus, qui II.
quidem ſuſcepit exulem, & tranſeuntem pauit. Denegant tamen ei, nec impunè futuram hanc indulgentiam tenent *a* Nellus de ſancto Geminiano, & Boſſius; contra quam alij *b* cenſent. In prohibitis olim igne atque aqua, & inſuper tecto (quod alicubi exprimitur, vti aliàs diximus) procul dubio eſt, nec tranſeuntes hoſpitio accipi, aut exhiberi à quoquam, iuuariúe potuiſſe. Planè eum, qui receptaſſet interdictum, celauiſſet, tenuiſſet, lege Iulia III.
de vi priuata damnari Paulus ſcribit quinto ſententiarum libro. Tit. v. Cuius legis pœna tertiæ quidem bonorum partis fuit publicatio, atque infamia inſuper: l. I. & l. vltima D. Ad legem Iuliam de vi priuata. Paulus loco proximè adducto relegationem adiunxit inſulæ, ſi honeſtior ſiet; humiliores metallo addicens: quam appendicem omiſſerunt (ſi non vtramque pœnam lex aliis, & aliis criminibus ſeorſim indicebat) Marcianus & Modeſtinus in teſtimonium nuper ex dictis legibus I. & vltima, quarum auctores ſunt vocati: Iuſtinianus quoque in §. VIII. Inſtitutionum de Publicis Iudiciis. At verò Vlpianus incerto libro, cuius fragmentum ex Baſſilicis iam à doctis IV.
viris præfixum eſt Florentinæ editioni Digeſtorum, pecuniariam pœnam expreſſit, alteram ſubindicauit; ſed in relegatorum ſuſceptoribus. Ait enim in l. XI. De Interdictis. *Interdùm pecuniariter damnantur, qui relegatos ſuſcipiunt.* Quare interdum? Græcus ſcholiaſtes apperit. *Interdum verò* (ait) *& ipſi relegantur, cum illi ob magnum crimen relegati ſint.* Lex Salica pecuniariam tantum agnoſcit damnationem Tit. LIX. *Et quicumque ei, aut panem dederit, aut in hoſpitalitatem collegerit, ſiue ſit vxor ſua, aut proxima* DC. *den. qui faciunt ſolidos* XV. *culpabilis iudicetur.* Pecuniariam quoque Ripuaria lex receptoribus exulum indixit Tit. LXXXIX.

a *Nellus de Bänitis & ex eo Boſſius in Praxi Tit. de Rapinis n.34.*

b *quos Gailius laudat de Pace l.2. c.10. n.35.*

 Excuſa-

V. Excuſabantur tamen, aut clementiùs in eos animaduertebatur, qui neceſſitudines ſuas recepiſſent. Hoc in cauſâ illius qui latronẽ affinem, cognatumúe ſuſceperit, monitum Pauli eſt in l. II. De Receptatoribus. Et inſigne quoddam Auguſti Cæſaris indulgẽtiæ exemplum præbitum eſt in Tito Iunio Philopœmene: quem ille hominem, eo quòd patronum ſuum cælaſſe
VI. olim diceretur, equeſtri dignitate ornauit, aiente Suetonio *c*. Quæſtionis tamen adhuc inter nouiores eſt tam Iuris Conſultores, quàm Theologos, an liceat filio exhibere atque alere patrem exulem proſcriptum; anè contrario interficere eum poſſit, qui publicus hoſtis fuit anteà declaratus. Plures omne charitatis vinculum huiuſmodi pœnâ ſolui exiſtimant. Prudentioribus verò magis placet, excepto patriæ hoſte, ac perduellione, ſacram debere ſemper eſſe filio perſonam patris, etiamſi ex ſtatuto, àut ſententiæ formâ occidi aliàs à quouis poſſit. Alere ergo eum temerè, nedum interficere poſſe filium aiunt. Conſuleſis Petrum Placam de delictis cap. XXXVI. *d* Menochium, Scacciam, Surdum, & è Theologis Paulum Laimanem, & alios. Hoc ipſum in vxore defendit Scaccia *e*, & Surdus, & ante eos Placa, & Andreas Gailius: non verò in conſanguineo etiam primi gradus *f*: quanquàm puniendum hunc mitiori pœnâ non illa conſuetâ, & legitimâ receptatorum affirmat Scaccia. Cuius tamen de cætero ſententiam probare non poſſum, qui neſcio quâ ratione occidi non iniuria filium proſcriptum à patre exiſtimauit *g*. At non minus eſt charitatis vinculum in parente aduersùs filium, quam in filio eſt erga parentem. Placet ergo his iuribus, quæ à naturâ ipsâ veniunt derogare non poſſe ſcriptas leges.

*c In Aug. c. 17.*

VII. Quandoque ſeueriorem aliam receptatoribus pœnam deſignari placuit, mortem videlicet: quod ſtabilitum voluit Plato. φυγάδος ἢ ὑποδοχῆς (libro XII. de legibus ait) θάνατος ἔστω ζημία. *Eius, qui exulem receperit, pœna ſit mors.* Quæ tamen ſanctio non ad quemuis exulem, ſed ad eum, qui reipublicæ hoſtis in poſterum habendus eſſet, ſpectat. Eâ namque ratione vtitur, ciuem debuiſſe quos, aut hoſtes, aut amicos ſua ciuitas habet, pariter ipſum habere. Idem Athenis obſeruatum nullus dubito: aliorum verò exulum ſuſceptoribus leuiorem irrogari conſueuiſſe. Saltem de aduersùs hos actione liquet ex Suida, cuius hæc ſunt verba. Ἐφήγησις ἐπὶ δίκη εἰσαγομένη ἐπὶ τοὺς ὑποδεξαμένους τὸν εἰργόμενον ὑπὸ τῶν νόμων ἐπιβαίνειν τῆς χώρας, οἷον φυγάδα ἢ ἀνδροφόνον. Id eſt. *Ephegeſis, ſeu Demonſtratio, actio eſt in eos intendenda, qui eum ſuſcipiunt, quem à regionis ingreſſu leges arcent, vt exulem, aut homicidam.* In Romano ſolo pœna etiam mortis dicta fuit proſcriptorum ſuſceptoribus Corneliâ lege, quam promulgauit Sylla, deque proſcriptis inſcripta eſt. Cautum nempè eâ, vt proſcriptum ſuſcipere capitale eſſet, etiam fratrem, etiam filium, etiam parentem: quod refert Plutarchus, aliíque auctores. Sed huius tam ſæui temporis leges nil minùs merentur quàm quod ad ciuiliora reipublicæ tempora exemplis ſuis atrociſſimis quidquam præiudicent. De receptatorum hodiernis pœnis quamplures *h* tractant quod conſulere potes. Nos ad Reſtitutionem exulum properamus.

*d Menochium l. 1. q. 90. ex n. 45. Scacciã de Iudiciis l. 2. c. 9. n. 1019. & ſeqq. Surdũ de alimẽtis Tit. 1. q. 3. ex n. 8. Laiman l. 3. de Iuſtitia to. 3. Pa. 3. c. 2. n. 2.*

*e Scaccia vbi prox. Placa d. c. 36. nu. 3. Surdus Tit. 7. q. 26. n. 11. Gailius l. 2. de Pace c. 10. n. 16. & ſeq.*

*f Scaccia d. c. 9. n. 1033*

*g d. c. 9. nu. 1030.*

*h Gailius de Pace l. 2 c. 10. Placa d. delictis c. 36. Boſſius in Praxi Tit. De Rapinis ex n. 22. Menochius de arbitrariis caſu 348. qui exceptiones omnes inculcant. Gratianus diſceptationum Vol. 4. c. 638. ex n. 4. Giurba conſilio 28. Franciſcus Niger Cyriacus Controuerſ. Iuris 345. latè.*

DE

# DE EXILIO SIVE DE POENA EXILII EXVLVMQVE CONDITIONE, ET IVRIBVS.

## LIBER TERTIVS

### CAPVT PRIMVM.

### SVMMARIVM.

De Reſtitutione à temporali exilio.

I. *Poſt tempus exilio præſcriptum reditus liber fuit apud Romanos.*

II. *Quod & hodie obſeruatur.*

III. *Quemadmodum & redire poteſt Iudice mortuo aut remoto, qui ab eo relegatus fuit pro tempore ſui muneris.*

IV. *Tempora duorum exiliorum an ſimul currere poſſint.*

V. *Reuerſus abſtinebat nouis honoribus pro tempore.*

VI. *Explanatur l.* XIII. *De Decurionibus.*

VII. *In eos tamen quos habuit, poterat ſtatim recipi.*

VIII. *Explicatur l.* 11. *C. De his qui in exilio &c.*

IX. *Si tamen famoſi criminis non fuiſſet damnatus.*

X. *Nam Infamia temporalis nō eſt.*

XI. *Solebant tamen Principes huic regulæ ſigillatim derogare.*

XII. *Tandemque in ordine motis hoc decretum generaliter.*

XIII *Non in relegatis.*

XIV. *Ratio huius differentiæ.*

XV. *Hodiernus mos.*

IAm tempus eſt, atque opus nobis, ( quemadmodum funus olim proſequenti veteres ignem ſupergrediebantur redeuntes, aquâ inſuper aſperſi : quod genus purgationis ſuffitionem volebant *a*) funeſtum exilij tractatum abſoluentibus, lætiora reſtitutionis tempora, veluti expiandi gratiâ, reſumere : ignemque, quem reſtinguere lugentes ſolebant, noſque ſimul cum aquâ exulibus noſtris diu prohibemus, accenſâ optati

*a Feſto auctore in Aqua.*

reditus face miſeris infamiæ, paupertatis, ac ſordium noxis, vel quidem animi noſtri cauſâ, poſtrema hac parte operis inſtaurare. Ac priùs de temporali exilio quærendum eſt, vt ordine agamus; quæque in patriam redeuntis

I. poſt exactum pœnæ tempus iura olim fuerint. Inter Romanos expleto exilij tempore, nihil moræ fuit, quominùs in prohibita loca rediret exul. Platonis autem lex aliter concipiebatur, quæ quidem ex conuerſatione & moribus damnatorum in exilio, (vt ſcriptum is reliquit libro nono de legi-

II. bus) an redire deberent, eiecti ſua illa vrbe ad tempus, duodecim viros diiudicare atque æſtimare voluit. Hodierno tamen omnium nationum iure nihil derogatum eſt huic reditus libertati: poteſt enim *b*, quin facultatem impetrare habeat opus, ſtatim atque exilij præfinito tempore defunctus eſt, exul reuerti. Huius rei rationem continent verba illa Papiniani ex l. Fratres XXXIII. De Pœnis; quantumuis ſub obſcura: *quia temporaria coërcitio, quæ deſcendit ex ſententia, pœna eſt abolitio.* Hoc eſt, quia hæc ipſa ſententia Iudicis, quæ ad tempus pœnam irrogat, ex die tranſacti temporis damnatum abſoluit. Quare nulla eget nouâ facultate Iudicis, qui duplicem veluti ſententiam, ſcilicet ad tempus condemnatoriam, ex tempore abſolutoriam ſuſcepit. Exemplum eſt in Interdicto ad tempus lato in eccleſia; ceſſat enim lapſo tempore *c* abſque vlla relaxatione: item ſuſpenſio ad tempus tollitur ſine vlla abſolutione *d*, cùm elapſum eſt tempus.

III. Idem dicendum eſt de eo, quem per Magiſtratus ſui tempus exulem dixit Iudex: quod ratione non caret; exemploque adiuuatur eius, qui à Iudice toto tempore ſui Magiſtratus aduocare prohibitus fuit: de quo dubium non eſt finito eo reuerti poſſe, & apud ſucceſſorem præſtare ſe reis aduocatum, ex l. VI. D. De Poſtulando. Debet tamen is, qui reuerſus eſt, ſi de eo quæſtio vertitur, probare finitum tempus, quod Bartolus, & ex eo alij *e* iam animaduerterunt.

IV. Vtilemque ac pulcherrimam vocat nonnemo *f* eam quæſtionem huius partis propriam; vtrum ſcilicet præfinita tempora duorum exiliorum currere ſimul poſſint. Nempè is, cui decennalis fuerat relegatio impoſita, propter aliud crimen in exilium rursùs decem annorum condemnatur. Opus ſcire eſt, an ſecundum decennium ſtatim à ſententiâ, aut non niſi poſt abſolutum priùs, incipiat. Bartolus *g* ter ſe vidiſſe ait ſuper hac quæſtione diſputatum: affirmatque, quod & nos ſequimur, decennio ſecundo ſic impoſito, vt ſpecies, non genus ſit præſcripta, videlicet hoc decennio, vel his decem annis proximis, expectandum non eſſe prioris decennij exitum: nè aliud ſit aliàs decennium ab eo quod in ſententiâ præſcriptum fuerat: argumento l. ſi vſusfructus mihi biennium VI. D. De Vſuf. legato. Planeque diuerſum eſſe, ſi generaliter, & indefinitè decem annorum irrogatum ſit exilium: neque enim antequam priori decennio ſatisfactum ſit, curret ſecundum. Cauendum namque vt reus ſine dolo vtramque damnationem ſuſcipiat, neque idem tempus pœnis duabus contribuatur: maximè cùm certum ſit, non his decem ſequentibus annis, ſed abſolutè decem quibuſque annis videri exilium impoſitum; nè fruſtra ſit. Quod exemplo ſerui, cui, ſi decem annorum operas præſtiterit, relicta fuit libertas, confirmabimus ex l. Seruus XIV. §. I. De ſtatu liberis; adulterique, qui deprehenſus à marito, aut patre viginti horis teſtandæ rei cauſa detineri ex Iulia lege poterat, auctore Vlpiano in l. capite XXV. in principio, & §. IV. D. Ad leg. Iul. de Adulteriis *h*.

V. Planè quia ordine ad tempus motos, & temporali damnatos relegatione auctores noſtri Iuris ſæpè coniungunt, Ius, quod ab antiquo obſeruatum fuit commune amborum, exponitur in l. ordine XV. D. Ad Municipalem.

Nempè

*b Baldus in proœmio Digg. §. Hæc autem tria Ang. in l. Si unum §. ſi cum reo, in lectionibus antiquis de Pactis: Decius conſ. 145. Referunt alios & ſequuntur nouiores Segura in l. ſi ex legat. cauſa ex n. 52. Giurba conſ. crim. 30. nu. 33. Surdus cōſ. 88. n. 8. & deciſſ. 144. inf. Far. in fragm. cri. Pa. 1. lit. B. inu. 97. & ſeq. Peralta in l. Statuliberum §. Stichum n. 4. De leg. 2.*

*c Gloſſa vulgò recepta in c. Nō ex vobis de Spōſalibus.*

*d Gloſſa in Clem. 1. de decimis, quā plures ſequuntur apud Couar. de Matr. 2. p. c. 6. n. 19.*

*e Greg. in l. 10. gloſſa 7. Tit. 31. Par. 7. Gomez l. 3. c. 8. n. 2.*

*f Is qui ſecit ad Bartolū additiones loco infrà laudando.*

*g In l. In Senatuſcōſultis 15. §.*

Nempè ad nouos honores tam is, qui ordine, quàm is qui patriâ remotus fuit, tanto tempore non admittebatur, quanto dignitate, aut patriâ caruit: confirmante Gordiano Imp. in l. II. Cod. de his qui in exilium dati &c. libro X. Neque id ſaltem ſine permiſſu Principis: quod quidem de relegato Diui Cæſares Antoninus, & Verus reſcripſerunt in l. XIII. De Decurionibus.

VI. Qui ipſi altero reſcripto, quod Papirius Iuſtus in eadem lege adduxit, modum certum allegandis ritè in ordinem Decurionum eis, qui ab exilio reuerterentur, ſtatuunt. Videlicet allegi noluerunt, niſi eius ætatis, qui cum olim delinquerent, decurionatum gerere nondum poſſent; hoc eſt, vt æſtimo, hi qui propter ætatem veniam magis merentur: deinde niſi *dignitas certa in ſpem eius honoris*, hoc eſt indoles gerendo muneri opportuno, & veluti reipublicæ tractandæ nata, *fecerit in Princeps* indulgentiâ ſuâ dignum hominem exiſtimet: nam ita componere Papirij verba, & ſententiam non prorſus malè quis poterit; quanquam aliter viſum ſit Haloandro, Budeo; & aliter Cuiacio lib. XX. obſeruationum capite vltimo. Conſultò dixi ad nouos VII. honores. Quid enim ſi relegetur, aut ordine moueatur Decurio? Iam diuerſa ſit vtriuſque pœnæ cauſa. Ordine motus, cum expletum interdictionis tempus eſt, Decurio eſt, etiam ſi aliis honoribus interim prohibeatur: in dicendaque ſententiâ eum locum tenet, quem priùs habuit. Relegatus verò non in locum ſuum reuertitur; ſed, vt Decurio ſit, fieri, creari Decurio debet; quod ſtatim licet: neque in ordinem ſuum reponitur, ſed velut nouus venit. At in eo ſimiles ſunt, quòd in horum locum, eo tempore, quo pœnæ ſubiacent, alius Decurio ſublegi poteſt; redeunteſque expectare debent, donec locus vacet. Hæc ex Vlpiano iſtorum iurium exactiſſimo enarratore deſumpta ſunt in l. II. D. De Decurionibus. Obſtare tamen videtur VIII. quod expleto tempore pœnæ regreſſus, ab Imp. Gordiano dicitur priſtinam dignitatem recipere, in dicta l. II. C. De His qui in exilium &c. lib. X. At tamen hoc interpretantur quidam *i*, vt recipere dicatur, ſi nempè electus de nouo ſit: nam per reditum capax ſit recipiendi.

*vlt D. Ad Turpilianū.*
*h V. additiones ad Bartolū in d. l. 15. & alia ſimilia apud Baldū in l. vltima C. de repud. hæred. vbi & Paulus à Caſtro n. 3.*

At nonniſi ex famoſo crimine huiuſmodi pœnæ fermè irrogantur, cuius IX. nota durat etiam finito interdictionis tempore. Quare ergo non arceantur curiâ, & honoribus in perpetuum? Arcet vtique Papinianus in l. V. De Decurionibus: quomodo etiam eos, qui ad opus publicum temporarium damnati ſunt (quorum cauſa, & conditio ſimillima eſt relegationi) infamiæ damno poſt impletum tempus adhuc ſubiectos Auguſti reſcripſerunt in l. VI. C. Ex quibus cauſis infamia irrogetur. Planè nihil verius, certiuſque eſt an- X. tiquo iure ſemel infamem factum perpetuo ignominioſum eſſe, dummodò per Principem exiſtimationi ſuæ non reſtituatur. Propterea neceſſarium fuit Papiniano declarare in Corneliam legem non excidiſſe, qui falſum inſtrumentum in cognitione Præſidis non quidem ipſe fecit, ſed factum ab alio recitauit; vt ſcilicet perſuaderet, propter eam cauſam ordine motum, recipere dignitatem ſuam tempore finito, creariúe Decurionem poſſe cùm reuertitur, qui relegatus fuerat: in l. XIII. §. I. D. Ad legem Cornel. de falſis. Alioqui perpetuo remoueretur ordine ſuo is, qui in pœnā legis, quæ ignominiam importabat, incidiſſet. Examinanda ergo fuit cauſa damnationis eius hominis, qui tempus pœnæ expleuit, vt, ſi ignominiam contineret, nunquàm non ab honoribus arceretur; qui quidem integris tantùm ciuibus patere ſolent *k*. Si tamen ab initio non infamis factus; aut ſaltem perpeſſâ ſeueriore aliquâ pœnâ veluti de infamiâ futurâ tranſegit; quoniam labes illa, & quaſi lacuna famæ (vt aliàs loquitur Agellius *l*) ratione iſta inſolentis pœnæ ſolidatur; aditum is ad honores reciperet, utque in locum ſuum ordine olim motus rediret, relegatus reſumi poſſet. Sic tulit ius antiquum; ſic

*i V. Scipione Rouitum deciſſ. Neapolit. 37.*
*k l. vn. C. de infamibus l. 10. l. 8 & 12. de Decur, Ca. Infamibus de Regulis Iuris.*
*l l. I. Noct. Attic. c. 5.*

reſcriptis

reſcriptis nondum emollita prior ſeueritas, atque ætas legum. Et quidem ad hunc morem accommodare reſponſa, quàm ad poſteriores conſtitutiones maluerunt Papinianus in l. Ordine xv. D. Ad Municipalem, & in l. Ad tempus v. De Decurionibus: atque Arrius Menander, in re militari, quà de agit in l.iv. §.ad tempus. D. De re militari: quæ ipſa lex inter militares Rufi ante alias refertur.

XI. Fruſtrà quippè molita ſunt quædam reſcripta ius hoc omninò euertere. Nam ecce D. Hadrianus reſcripſit generaliter, *de exilio reuerſum poſtulare poſſe:* dein Titus Antoninus, ſcilicet is qui Pij cognomentum meruit, *eum, cui aduocationibus in quinquennio interdictum eſſet, poſt quinquennium pro omnibus poſtulare non prohiberi.* Quorum reſcriptorum ſententiam ſic Papinianus interpretatur; vt, quia *diſtinctio non adhibetur, quo crimine ſilentium, vel exilium ſit irrogatum,* placuiſſe videri *nè ſcilicet pœna tempore determinata contra ſententiæ fidem alterius* porrigeretur l.viii. D. De poſtulando. Poſtulare autem pro omnibus, & paſſim munus eſt, quod Prætor non permittit infamibus gerere l.i. §.viii. D. eodem titulo. Similiter Antoninus, & Verus, qui ſtatim à D. Pio Antonino rerum potiti ſunt, non abolitionem infamiæ, ſed permiſſum dumtaxat ſuum deſiderari reſcripſerunt, ad hoc vt in tempus relegati, ac reuerſi poſſent allegi, ac in ordinem cooptari: Si non ad eos, qui ſine ignominiâ damnati ſunt referri oporteat hoc eorum Auguſtorum reſcriptum cuius anteà mentionem feci ex Papirij Iuſti fide in l. xiii. De Decurionibus. Prætereà Seuerus & Antoninus, de quodam Metrodoro, quem biennio abſtinere ordine Decurionum Proconſul iuſſerat, Proconſulis voluntatem in temporis præfinitione tam ad temporariam Decurionatus prohibitionem, quam ad abolendam, expleto illius tempore, ignominiæ notam referunt in l.iii. C. Ex quibus cauſis infamia irrogetur. Qui quidem videntur conſcij eſſe ſuperiorum temporum, quæ iam laudauimus, atque Principum benignitatis. Abſque etenim Principali eſſet indulgentia, Proconſul nunquàm facere poſſet, quin ex causâ, quæ ignominiam continet, damnatus, infamis perpetuò remaneret.

XII. His inquam reſcriptis non vſque adeò inualuiſſe temporalis infamiæ introductionem adducta Papiniani teſtimonia priſcum adhuc morem laudantia, poſtquam reſcripta iam emiſſa fuiſſent, optimam fidem faciunt. Ergo opus fuit edicto Antonini Caracalli; quod in ordine motis, non in relegatis ita cauit, (auctore Vlpiano in l.iii. §.i. De Decurionibus) *vt ſcilicet* *cuicumque, aut quacumque cauſa ad tempus ordine, vel aduocationibus, vel quo alio officio fuiſſet interdictum, completo tempore nihilominus fungi honore, vel officio poſſet.* Vtiturque ſpecioſâ illa ratione, quam cæteri etiam, qui de hoc cauerant retrò Principes, conſiderauerunt: *neque enim* (addit) *exaggeranda fuit ſententia, quæ modum interdictioni fecerat*: nimirum vt ſententia non ſibi repugnaret modum faciens interdictioni; quæ propter incurſam ſimul diffamiæ (quod verbum D. Auguſtini eſt alicubi) non abolendam notam ſine modo, atque perpetua eſſet. Hoc ipſum, quod edicto ſanciuerat, non multò poſt idem Antoninus confirmauit reſcripto quodam Diogeni dato; poſt impletum videlicet interdictionis ſpatium infamiam non protogari; quod eſt in l.i. C. De His qui in exilium dati vel ordine moti ſunt lib.x. de qua lege ſupra iam iuxta aliorum coniecturam dictum. Siue non reſcriptum ea ſit, ſed ſuperioris edicti pars, quomodo in exemplari ſuo M.S. poſitam epigraphen Antonius Contius teſtatur; nempè ita: *Pars edicti Imp. Antonini propoſita Romæ v. Idus Iul. duobus Aſpris conſulibus*: Vnde ſcimus promulgationis annum, primum ſcilicet Antonini & Getæ fratris, quo duo Aſpri conſules fuere; vt ex Faſtis Græcis Caſiodori, & Cuſpiniano conſtat.

Sed

Sed nihil dum de relegato conſtitutum ſcias, quem Vlpianus ab indul- XIII.
gentia edicti apertè remouet in d. l. iii. De Decurionibus. Manſit ergò is,
qui ignominioſè relegatus eſſet, ſi non antiquæ ſuæ exiſtimationi à Princi-
pe reſtitueretur, perpetuò infamis toto iure ciuili. Niſi Gordiani reſcriptum
toties adductum ex d. l. ii C. De his qui in exilium &c. De eo cauiſſe (vti
iam de ordine motis cautum fuerat) temporeque finito ad honores admiſ-
ſiſſe quibuſdam videatur. Ego vix credam, ſi non aliæ coniecturæ adiungan-
tur: potiuſque indefinita, & generalia reſcripti verba referam ad eas rele-
gationes, quæ ſine infamia contingunt: vt etiam referre ſimiliter opus eſt
Vlpiani regulam de Iure reuerſorum in l. ii. D. De Decurionibus, & for-
taſſe reſcriptum illud Antonini & veri in l. xiii. D. eodem titulo. At quæ-
nam cauſa fuit ordine motos, non autem relegatos expleto pœnæ tempore
honorum capeſſendorum compotes faciendi? Summa quidem ratione hoc XIV.
factum: Qui enim biennio v. g. Decurionatum prohibebat, aut debuit
poſt biennium muneri, ac loco ſuo reddere interdictum, aut ſanè fallacis,
vanæque ſententiæ coram prudentibus eorum, quæ recta, & ciuilia eſſent,
æſtimatoribus cauſam dicere. Relegationis autem duæ partes ſunt; abſen-
tia, & ignominia: quarum alteram is, qui ſententiam dicit, perpetuò irro-
gat; alteram ſcilicet peregrinationem, ſiue loci prohibitionem temporis
certo ſpatio determinat. Nulla ergo eſt in verbis contradictio, ſicut in prio-
re cauſa. Et nos omnia hæc ferè, ne aliorum operam minus nobilem com-
mendemus ex commentariis ſummi viri deſumimus ad Papiniani librum
ſecundum quæſtionum in l. viii. de Poſtulando, primumque Reſponſorum
in l. xv. D. Ad Municipalem: & quidem fermè

*Vt puerum docto credas dictata Magiſtro*
*Reddere.*

Sed quid dedignetur huic Magiſtro? De Hodierna huiuſmet iuris apud XV.
nos atque exteros obſeruatione legi poſſunt Wezenbechius in Parat. De His
qui not. infamia, num. 8. Caſtellus de Bouadilla noſter in Politica lib. iii.
cap. viii. num. 14. D. Franciſcus Amaja in l. Vnica num. 100. & ſequentibus.
C. De Infamibus libro x.

# CAPVT SECVNDVM.

## De Reſtitutione à perpetuo exilio, & poteſtate reſtituendi.

I. *Reditus per indulgentiam concedebatur.*

II. *Nec tamen exulibus dabatur ſpes indulgentiæ.*

III. *Quamuis vulgare eſſet vt reſtitueretur.*

IV. *Reditus ſemper in voto exulum.*

V. *Quibuſdam ſic dicta pœna, vt reſtitui non poſſent, nec ſupplicare.*

VI. *Irreuocabile exilium.*

VII. *Mutatio exulis in clementiorem locum.*

VIII. *Conditio, ſi redierit exul.*

IX. *Quidam exules noluerunt reuerti.*

X. *Poteſtas reuocandi exules penes populum Rom. lata lege.*

XI. *Aliàs penes ſolum Principem.*

XII. *Iudex ſemel à ſe damnatum reſtituere nequit.*

XIII. *Nec reuocare vt eum interroget de nouâ causâ.*

XIV. *Græciæ mos exules reuocandi ad littus Atticæ, vt cauſam dicerent.*

XV. *Idem de in tempus relegatis.*

XVI. *Conſenſus in hac re multarum gentium.*

XVII. *Regij Senatores etiam ſupremi non reuocant exules ſine Principe.*

XVIII. *Neque locorum peculiares Domini qui Regibus ſubſunt.*

I. PErpetuum exilium, ſiue deportationis, ſiue relegationis impetratâ nimirum reſtitutione abrogari debuit. Per reſtitutionem, ſiue indulgentiam reditus concedamus; quem & poſtliminium vocant Impp. Honorius & Theodoſius, in l. II. C. Theodoſ. de Repudiis; Græci generali verbo ἐπάνο-
II. δον. Planè quia exilij verbum, & pœna ſine vllius temporis præfinitione accipiebatur, tueri iudicium ſuum nuſquàm exulibus, raroúe reſtitutis, expeditum ſibi magis, ac decens antiquis viſum fuit. Quod notat Diodorus in reſtitutione Q. Metelli. Cùm enim Metellus filius promiſſis barbâ, & capillo ſordidatus quotidie de reſtituendo eo ad populum oraret: *populus, etiamſi ſpem reditus* (inquit Diodorus) *contra leges exulibus proponere minimè vellet, precibus tamen adoleſcentis commotus Q. Metellum ab exilio reuocauit.* Latina verba
III. ſunt ex Græcis Diodori exceptis de vitiis & virtutibus tranſlatæ. Et tamen
IV. hoc vſitatiſſimum, exules vt reſtituerentur: quare hoc in votis eorum fuit perpetuis: hique (vt Iſocrates ait in Panegyrico) ἀεὶ κάθηνται προσδοκῶσι, *ſemper reditum ſpectant*: paſcique eos vanâ ſpe reditus Tragicis Poëtis non ſemel dictum. Æſchylus in Agamemnone.

> οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένοις.
> *Exules paſci ſolere ſpe vaga non neſcio.*

Euripideſque in Phœniſſis interroganti Iocaſtæ reſpōdere facit Polynicen

> IOC. Αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος:
> *Spes annè paſcunt exules, fama vt refert?*
> POL. Καλοῖς βλέπουσί γ' ὄμμασιν, μέλλουσι δέ.
> *Blando tuentes ore, ſed tardæ nimis.*

Nam

Nam quibuſdam ſic irrogari ſolitum exilium apud Romanos ſcio, vt nec reſtitui poſſent, nec ſupplicare. Quod inconſcius eorum, qui fluenta Nili præter fas, & morem vſurpauiſſent, Impp. Honorius & Theodoſius cauerunt in l. Vnica C. De Nili aggeribus non corrumpendis: & ſimile quiddam eſt in l. ii. C. Theodoſ. de Repudiis, & l. xiv. C. De Epiſcopis, & Clericis. *Irreuocabile exilium* hoc dicitur in l. xi v. § iii. C De Sacroſ. eccleſiis: De qua eius forma ſunt & caput vii. Nouellæ vii. & alij loci. Lampridij in vita Seueri hæc verba huiuſmet ſententiæ eſſe Petrus Faber exiſtimat ſecundo libro ſemeſtrium cap. xiii. *a Ac ſi fefelliſſent, vel teſtes, vel hi, qui ſententias dicebant, poſtea in vltimum reiicerentur locum ciuium, condemnatione adhibita, quaſi falſi rei approbati, ſine vllius indulgentiæ propoſito.* Hoc eſt, inquit ille, ſine ſpe veniæ ac reſtitutionis: quod calculis ſuis approbauerunt ſummi illi vindices Hiſtoriæ Auguſtæ Caſaubonus, atque Salmaſius. Ad eos qui non ſub hâc lege inexpiabilis exilij peregrinarentur, pertinere optimè potuit reſtitutionis benignitas: ac ſæpè quidem, vt ex ſeueriore ad clementiorem conditionem exilij calamitas reformaretur. Auguſtus Iuliam filiam *poſt quinquennium demum ex inſula in continentem, lenioribuſq; paulò conditionibus tranſtulit; at vt omninò reuocaret, exorari nullo modo potuit:* quod Suetonius his verbis narrat in eius vita cap. lxv. Ergò nil mirum eſt, eam conditionem. *Si redierit exul, ſi reſtitutus fuerit*; in relictis pro impoſſibili conditione non haberi: vti certum eſt apud Iuris Interpretes *b*. V. VI. VII. VIII.

a Pag. m. 121.

Et tamen noluerunt quidam exules, cum poſſent, redire. P. Rutilius vir grauiſſimus inter Romanos, cum diſſenſione ordinum magis quàm vllâ ſua culpâ reus eſſet factus, atque in exilium fugatus, Mitylenis manſit: illíque à Mithridate captis, Smyrnam conceſſit, ciuitate hac donatus: nec Voluit poſt Syllanam victoriam, quod licebat, in patriam redire. *Quapropter* (ait Valerius Maximus *c*) *Fælicis cognomen iuſtius quis moribus grauiſſimi viri, quàm impotentis armis aſſignauerit. Quod quidem Sylla rapuit, Rutilius meruit.* Hiſtoriam hanc monumentis librorum ſuorum conſignauerunt. M. Tullius Cicero in Bruto & pro Rabirio. Ouidius de Ponto lib. i. elegia iv. Dio Caſſius adductus à collectore excerptorum de vitiis & virtutibus. Paulus Oroſius lib. v. cap. xvii. Aliique. Nos illius magnitudine animi laudatâ, qui potius Romam abſentia ſua damnauit, quàm ab ipſa damnatus eſt, ad alia tranſeamus. IX.

b Cepollà caut. 38. cũ alijs apud Grat. vol. 1. diſcept. c. 138.

c L. 6. c. 4.

pag. 639.

Sed, priuſquàm reſtitutorum iura colligamus, quinam habuerint poteſtatem exules reſtituendi, operæ prætium erit adnotare. Tempore Reipublicæ inter Romanos, (quoniam ita eſt natura rerum, vt eadem commodiſſimè per contraria inducantur, ac diſſoluantur) aliâ lege opus fuit, vt is rediret, qui lege pulſus fuiſſet. Furius Camillus exemplo eſt, die dicta à L. Appuleio Trib. plebis, & cùm ſpontè abiiſſet, abſens damnatus. Hic accepto Senatus decreto, *vt & comitiis curiatis reuocatus de exilio iuſſu populi Dictator diceretur*, non priùs tamẽ Ardeâ, quo ſeceſſerat (vt in Liuij Libro quinto eſt) diſceſſit, *quàm comperit legem latam*: rationemque adiunxit, *quòd nec iniuſſu populi mutari finibus poſſet.* Simillimum eſt quod in C. Mario ſcribit Plutarchus, hunc ſimul cum Cinna Conſule vrbem iam ingredientem in porta ſubſtitiſſe; patriaque ſibi interdictum ex lege dixiſſe: quare ſi præſentiâ ſua opus eſſet, nouâ legem illam priorem abrogandam. Et Senatus Iulium Cæſarem adminiſtratione reipublicæ olim à ſe ſubmotum, in integrum poſt *reſtituit inducto priore decreto*: quæ verba ſunt Suetonij Tranquilli in eius vita *d*. Imperiali æuo ſolus Princeps X. XI.

ὦ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλεν

*Cui populi imperium, & rerum commiſſa poteſtas:*

d In Iulio cap. 16.

e Homeri verſus apud Iulian. Caeſ. epiſt. ad Themiſtid.



In

*In cuius manu* (vt Seneca eleganter ait I. libro de Clementia) *qualem quiſque ſortem, ſtatumq́; habeat, poſitum eſt: cuius ore quid cuique mortalium datum velit, Fortuna pronuntiat: Cui poteſtas populi & in populum data eſt* vti ait idem epiſtola XIV. Quem ita compellare (vt olim apud Æſchylum) populus debet

*Σὺ τοι πόλις, σὺ δ' τὸ δήμιον*

*Tu res populi, tuq́; vrbs tota eſt.*

Vt vertit Grotius *f*. Solus, inquam, Princeps reſtituere potuit. Marcianus, *Nemo poteſt* (ait) *commeatum, remeatumúe dare exuli, niſi Imperator ex aliqua cau-*
XII. *ſa*. l. IV. D. De Pœnis. Neque enim hoc fuit in arbitrio Magiſtratus poſitum, ſine Principali auctoritate vt reſtitueret etiam à ſe damnatos. Seneca VII. Controu. VIII. *Iudex* (inquit) *quam tulit de reo tabellam, reuocare non poteſt.* Hoc ita expreſſum fuiſſe in mandatis, quæ in Prouincias euntibus dabantur, teſtis eſt Plinius lib. X. epiſtola LXIV. Obſeruatumque omninò; ſiue is Iudex alicui pœnam impoſuerit, quâ ille affici non debuit l. IX. §. II. De Pœnis (fortè ei, qui nocens videbatur, ratio innocentiæ poſteà conſtitit l. XXVII. in principio. De pœnis. l. I. in fine. D. De Quæſtionibus; *g* quanquam aliter nobis ius dictum eſt in l. IV. Tit. XXX. Partita VII. *h*) ſiue reus ab exilio eſſet reducendus, vt grauioris criminis cauſam diceret, vti factum in Q. Vibio
XIII. Sereno apud Tacitum lib. IV. Annalium, atque in Themiſtocle apud Thu-
XIV. cidydem primo libro Hiſtoriæ, Plutarchumque in eius vita. Sed tamen dignus eſt qui litteris ſæpè tradatur Græciæ mos, cuius meminerunt Demoſthenes in Ariſtocratea, Pauſaniaſque in Atticis, Helladiuſque in Chreſtomathia apud Photium, atque alij *i*. Lex erat, vt qui in exilium abierant, ei quod nouum crimen, ſiue accuſatio fuiſſet in eos conflata, Atticæ littus accedentes è naui cauſam dicerent, Iudicibus in littore conſiſtentibus: (*exilicam* nempè cauſam, quomodo eam, quæ aduersùs exulem habetur, vocat Feſtus in *Exilica*) quod iudicium Phreattis habebatur. Porrò generalis regula eſt, quam laudamus, legis XLII. §. I. D. De Reiudicata, l. XXVII. in principio, De Pœnis; l. XV. C. eodem tit. l. I. C. ſententiam reſcindi non poſſe: l. III. Tit. XXII. Partitæ III.

XV. Nec in deportatos tantùm, ſiue perpetuo exilio damnatos reſtitutionis facultas vnius fuit Principis; ſed etiam in relegatos ad tempus. Quare inſolens edictum illud Traiano Imperatori olim viſum, quo Caluus in triennium à ſe relegatos, nondum tempore exacto, reſtituerat; requiſiturumque à Caluo ſeſe huius facti rationes ipſe Plinio *k* reſcripſit. Planè omne genus exulum ſignificare poteſt Ælius Lampridius, Cleandri, penes quem rerum ſumma fuit ſub Commodo, impotentiam deſcribens: nempè is *ab*
XVI. *exilio reuocatos* priuata auctoritate, *dignitatibus ornauit*. Ita olim Romæ, quando leges obſeruabantur, iure obtinuit: Ita & nunc huius ætatis gentes, quæ regnantur, obſeruant. Gallicæ legis circa hoc ſcriptæ ſententiam exponit, exornatque Petrus Rebufus *l*. Nobis dicta lex eſt I. Tit. XXX. De los Perdones. Partitæ VII. quam plures *m* ex noſtris commendant. Scribitque Ioannes Bodinus lib. I. De Republica cap. IX. Mandatâ Senatui Mediolanenſi, atque Neopalitano ſummâ, planeque Regiâ poteſtate, vt etiam ab iis appellari ſe nollet; duas tamen res excepiſſe Carolum Imperatorem; nè ſcilicet delictorum veniam tribuere ipſi poſſent, aut litteras Salui conductus (ita vocant quod nos *commeatum*, qui Latinè loquimur) reis criminum dare: cuius rei meminit quoque Iacobus Martha de Iuriſdictione Parte I. capite XLIV. in fine. Planè hoc differre eum, qui perduellionis iudicium fugâ euaſit, ab eo, qui propter contumaciam non faciendi ſui copiam in alio quolibet

f *L. 1. de Iure belli c. 3.*

g *Bartolus & alij veteres apud Gomezium l. 3. Tit. 8. n. 4. & Farinacium 1. to. p. 1. q. 6. n. 12.*

h *De qua videndi Gregorius ibi: & Anton. Gomezius 3. var. 8. Paz in Praxi To. 1. 5. p. c. 3. §. 10. n. 6.*

i *Apud Samuelem Petitum ad leges Atticas pa. 517. Scotum 5. obſeru. 1.*

k *Lib. 10. epiſtola 65.*

l *Ad Conſtit. Galliæ Tit. De Reſcriptis articulo 7. gl. 1. ex n. 1.*

m *Gregorius ibi & in l. pen. ſcholio 3. tit. 31. eiuſdem Partitæ: Acebedo in l. 15. Tit. 5. l. 2. compilationis n. 1. Auendano de exequendis mandatis cap. 7. Auiles cap. 1. Pretorum verbo* Derechamente *nu. 7. Gomezius 3. var. 8. nu. 4. Bobadilla lib. 2. Polit. c. 16. n. 122.*

libet iudicio damnatus exilio fuit, notat Andreas Gaillius *n*, de Germania ſua) quod nempè huius poſterioris abſolutio ad quemuis Iudicem, lege id Imperij permittente; illius verò ad ſolum Principem ſpectet. Quare regulam laudatæ legis iv. non tantùm ex veteribus plures, ſed ex neotericis, ſine exceptione aliquâ ſolent admittere *o*. Nam & præiudicatum illi ipſi aliunde ſciunt, ampliari, aut minui pœnam, (eoque magis remitti) poſt ſententiam dictam ſine Principali auctoritate non poſſe: nimirum ex l. Acta xlv. §. i. De Re iudicata, L. Moris eſt 9. §. ii. De Pœnis: ſiue ſententiam quamuis retractari ab eo qui dixit: l. i. C. Sententiam reſcindi non poſſe non corporalem tantum, ſed & pecuniariam l. i. D. De Quæſtionibus.

XVII. Quod eo extendes, vt neque hi qui vice ſacra iudicare olim dicebantur; (quo loco Præfecti erant veteris Romæ: hodiernoque more, & legibus ſupremi Senatus Patres, & Cancellariarum Iudices *p*, qui Regio etiam nomine & ſigillo vtuntur, haberi debent) exules ſine Principe reuocare poſſint. Non temerè dixi ſepremi Senatus Patres: ſi quidem hi non niſi à Rege ipſo ſubſcriptas abolitionis, ſiue Indulgentiæ delictorum, vt vocant, ſchedulas expedire valent: quod iis præcipitur in l. x. Tit. iv. Libro ſecundo Compilationis. Dominos etiam Vaſallorum, ſeu Toparchas, quantumquumque in ſuis quique locis vices Regias miniſterio Iudicum arbitrio ſuo conſtitutorum exerceant, eadem hæc regula, quam commendamus, à facultate iſtâ remittendarum pœnarum arcet. Lucrantur hi quidem Regiis legibus mulctarum condemnationes *q*: & confiſcare ſibi poſſunt ex aliquâ XVIII. parte reorum bona *r*: merumque habent imperium in delictorum punitione, & in pœnarum commutatione. Attamen in reſeruatis Principi, nec vſquàm eis collatis, aut permiſſis, qui Principali conceſſione loca, ſeu caſtra obtinent, hoc ius indubiè reputatur pœnæ ſoluendæ. Nec tamen id iuribus iis contribuo, quæ præſcribi nequeunt, aut conceſſione, ſiue, quæ illius vim habet, vſurpatione, cuius principij memoria non extet, obtineri: vt noſtri animaduertunt *ſ*.

n *Lib. 2. de Pace c. 18. n. 17. & Pet. Belluga in ſpeculo Ru. 24. c. 2. n. 15.*

o *Quos aduocant Farin. 1. to. praxis pa. 1. q. 6. n. 10. Peregrinus de Priuilegiis Fiſci l. 5. t. 2. nu. 2. & ſequentibus laudatiq́; Gregorius, Gomezius, & Rebuſus: Rolandus à Vallo conſ. 4. vol. 3. n. 52. & ſeq. Belluga vbi proximè n. 17.*

p *Bobadilla l. 2. Pol. c. 16. n. 123. lit. A.*

q *Ex l. v. Tit. iv. lib. 1. Ordin. l. vlt. Tit. v. l. iv. Fori.*

r *Auendano cap. 7. de exeq. mandatis nu. 2. Bobadilla cum pluribus l. 2. c. 16. nu. 110.*

ſ *Auendano de exeq. mandatis ca. 7. nu. 13. Acebedo in l. 15. tit. 5. nu. 1. l. 2. Compilat. Bobadilla l. 2. Polit. cap. 16. n. 218. Rolandus à Valle l. 3. conſ. 4. nu. 52. & 53.*

# CAPVT TERTIVM.

## An Iudex aliquo caſu reſtituere poſſit ſine Principe.

*I. Pragmaticis ſic placet in cauſa noui criminis, vel vt exulem Iudex interroget.*

*II. Item ſi Reip. hoſtes tradiderit.*

*III. Necnon & cauſa paupertatis.*

*IV. Ad exemplum pecuniariæ damnationis.*

*V. Hæc, & mulcta quomodo à Iudice remittantur.*

*VI. L. IV. Tit. XX. Part. III. explicatur.*

*VII. Non tamen valet hoc exemplum ad exilij cauſam.*

*VIII. Bannum, quia mulctæ loco eſt, Iudex remittit.*

*XI. Commeatum vero ad tempus dare non poteſt ſine Principe.*

*X. Neque ob exulis aliquod erga Remp. meritum.*

*XI. Etiam ſi arbitrio ſuo non ex lege aliqua impoſuerit exilium.*

*XII. Confirmantur hæc legibus Romanis, & noſtris.*

I. ATtamen iam diu laborant Interpretes huic regulæ ſic à Iuris auctoribus commendatæ anxiè quæſitis exceptionibus parte aliqua derogare. Quidam enim *a*, quorum in primis eſt Bartolus, cuilibet Iudici permittit ab exilio ſuo exulem deducere, vt nempè de nouo illius crimine aduersùs præſentem reum cognoſcat. Quod aliqui *b* ſic interpretantur, vt liceat id Iudici in eum, quem ipſe, aut deceſſor eius damnauit; non quem ſuperior alius Oldraldus, aliique *c* in ea tantum cauſa hoc permittunt quæ defendi per Procuratorem nequit. Alij, quando exilium Iudex extra ordinem, non lex irrogat, poſſe putant reditum concedi ab eodem Iudice.

II. Bartolus etiam *d*, Ludouicus Romanus, aliique etiam illo caſu exiſtimant reſtitutionem indulgere poſſe Iudicem, ſi is qui in exilio eſt reipublicæ charitate ductus plures alios exules, aut transfugas in eam reduxerit, in manus ciuium conſignans, vt debito ſupplicio mactentur: quod factum laudat I. C. in l. Non omnes. in fine. D. De Re militari.

III. Ad vltimum cauſa paupertatis: ſi nempè in loco exilij damnatus alere ſe nequeat, exilium à ſe dictum reuocare exiſtimatur à compluribus *e* Iudex poſſe.

IV. Quorum ſententiam fulcit exemplum in eadem cauſa paupertatis non contemnendum: Iudex enim pecuniariam pœnam, ſi damnatus non fuerit ſoluendo, remittere poteſt; ſaltem Hiſpano Iure noſtro ex l. IV. Tit. XXII. Part. III. atque item Iudex ſecundum omne Ius mulctas remittit eis, qui nequeunt ſoluere l. VI. §. vlt. De officio Præſidis, l. vlt. § vltimo C. De modo mulctarum. Non ergò minùs poterit exilium exuli, qui extra patriam exhibere ſe non poteſt, condonare, ac vel poſt latam ſententiam remittere.

V. Certi Iuris eſt tam Romani, quàm noſtri, pœnam pecuniariam, quæ non lege, aut iure alio ſpeciale, delicto impoſita eſt (quà de Vlpianum oporteat accipias, nè aliis contrarius ſit, in l. I. §. vlt. De Quæſtionibus) ſed ex arbitrio

*a Bart. in l. Is qui reus 5. n. 12. De publicis iudiciis: Abbas in ca. ſi ſpecialis n. 16. de officio delegati. Noſtrates Auēdanius Auileſius, Azeuedus à Bobadilla adducti in loco ſtatim laudando. Farinac. in Praxi vol. 1. Tit. 3. De Carceribus q. 29. n. 61. Menochius 1. e Arbit. q. 62. n. 10.*

b *Apud Farinacium vbi proximè n. 88.*

c *Apud Farin. 1. to. p. 1. q. 29. n. 87.*

d *Bartolus in l. ambitioſa nu. 7. De dec. ab ord. faciendis Romanus ſingulari 543. alij apud Menochium de Arbit. q. 93. n. 8. & 9. Farin. 1. to. P. 1. q. 6. n. 14.*

e *Bart. in l. Illicitas §. vlt poſt principium De offic. Præſidis Abbas Panorm. in c. Niſi de offic. deleg. Angelus, Aretinus, Felinus, Guido Pape apud Tiraquel. de pœnis temper. cauſa 32. n. 5. & 16. Auiles cap. 1. Prætorum verbo* Derechamente *n. 7.*

arbitrio Iudicis venit; quæ quidem mulcta dicitur ab eodem Vlpiano in l. CXXXI. §. I. & l. CCXLIV. De verb. ſignificatione, remitti à Iudice, dummodo intercedat cauſa paupertatis, quandocumque poſſe. Hoc eſt quod dicitur mulctas remitti pauperibus in dicta l. VI. § vlt. De officio Præſidis, & l. vlt. inferiore C. De Modo mulctarum, atque item in l. II. D. Si quis in Ius vocatus non ierit: & pœnam ſolui, in dicta l. IV. Tit XXII. Part. III. Quam ſic VI.
interpretantur, non de pœna legis, & ordinariâ, ſed de arbitrariâ, atque extraordinem accipientes, Gregorius Scholiaſtes in primis, & præter eum alij nouiores *f*: Quamuis Ioannes Oroſcius *g* nullam inter vtriuſque generis pœnas, generalia verba legis ſequutus, diſtinctionem adhibere videatur. Quare minùs bene Gregorius Bartolum laudans æſtimauerit hanc legem noſtram Iuri communi derogaſſe: niſi & fateatur ſimul pœnæ etiam ordinariæ, & legalis arbitrium in eâ conceſſum Iudici præter communis Iuris regulam; quæ non niſi vt extra ordinem dictam pœnam arbitrio ſuo moderetur, atque etiam irrogatam paupertati condonet, ac remittat, indulſit. Huc vero referri debet Andreas Tiraquellus, qui de pœnis agens temperandis *h*, diſcrepantes Doctorum ſententias ita ſe conciliare ait, ſi pœnæ, quæ nondum impoſita eſt, ex causâ minuendæ poteſtatem, at verò mulctæ, etiam cum impoſita eſt, intercedente eadem cauſa, Iudicibus conſignet. Nam mulctæ nomen ita debemus, vt I. C. capit. de arbitraria ſententia, & extra ordinem nos etiam capere. At ſi alio ſenſu, iamque apud Pragmaticos, & in Foro magis vulgari mulctam dixerimus eam, quæ non in pœnam delicti ſententiâ diffinitiuâ, ſed in coërcitionem contumaciæ litigãtium per interloquutionem, ſiue interloquutoriam, vt appellant, ſententiam, dicta ſit; non tam difficile erit poſſe Iudicem interloquutionem ſuam mutare, & contumaci, aut parum morigero paupertatem excuſanti mulctatitiam pecuniam remittere: vt certè poteſt ex communi opinione *i*.

Sed quo velis modo accipias mulctæ nomen, ſiue pro contumaciæ qua- VII.
dam coërcitione, ſiue pro pœnâ extra ordinem dictâ; nolim tamen ad cauſam relegationis exemplum perduci. Nam etiam ſi relegatio ex arbitrio Iudicis, non ex præſcripto alicuius legis veniat, certè non pecuniaria pœna eſt; nec eiuſdem rationis, & naturæ cum pecuniariis: cùm vel pauperrimus in loco exilij operis ſuis locatis tueri ſe, atque alere poſſit: ſemelque dicta, exequutionique mandata relegationis ſententia non ideò minùs rectè, aut firmiter dicta ſit, & in exequutionem perducta, quòd exul paupertate laboret. Verùm pecuniariæ pœnæ is intellectus eſt, vt in eum cadens, qui ſoluendo non ſit, minùs rectè, ac fruſtrà videatur pronuntiata; atque in eum cadens, qui quidem ſoluendo, ſed inops, & tenuis eſt, iuxta damnati facultates ſit omnino temperanda. Quare cum non niſi pecuniariæ pœnæ remiſſionis arbitrium leges Iudicibus conceſſerint, piaculum eos facere oportet, ſi qui velint inconſulto Principe relegationes, à ſe, aut à deceſſoribus ſuis dictas, prætexentibus egeſtatem damnatis remittere, atque abrogare. At multo magis euacuatur ab exemplo argumentum; ſi mulcta ſit coërcitio contumacis, vereque interloquutio: hæc enim facillimo negotio reuocatur ab eodem Iudice. L. Quid iuſſit XIV. De Re Iudicata: quam de his interloquutoriis ſententiis explicant Iuris Interpretes *k*. Quare in eâ VIII.
ſententia ſum, vt credam, illos, qui poteſtatem reuocandi exules ex paupertatis hac, vel aliquâ aliâ causâ Iudicibus permittunt, cùm veteres, tum nouos auctores, de exilio illo maximè loqui, quod bannum appellauit Germania, & Italia; de cuius etymo ad calcem huius commentarij ſumus docendi. Quod quidem bannum magis fuit coërcitio contumaciæ *l*, quam delicti

certa,

*f Auiles in c. Pretoriũ l. Verbo Derechamente n. 6 Baeca de Inope debitore c. 18. n. 2. & 4.*

*g In l. I. n. 13. D. Si quis ius dicenti &c.*

*h Cauſa 32.*

*i Vide Marantam in ſpeculo Tit. Et demum fertur ſententia n. 32 Menchacã controuerſ. c. 24. n. 15. Clarum l. 5 ſent. § fin. q. 95. n. 8 plures apud Baecam de Inope debitore c. 18. n. 2. 3. 4.*

*k Poſt antiquos Zoſius in cõm. huius legis n. 13. Thuſcus lit. 5. conc. 113 n. 6. & concl. 115. n. 1.*

*l Banna ob contumaciam eſſe interloquutiones Baldus tenet in l. I. C. De Hæred. inſtit. Zoſius in d. l. Quod iuſſit nu. 14. Belluga in Speculo Rub. 24. c. 2. n. 15.*

certa, & deſtinata pœna: atque adeò interloquutio magis,quàm diffiniens ſententia. Namque ij, qui ad cauſam dicendam euocati nuſquàm apparerent, banniri, hoc eſt commercio patriæ, ciuium,atque legum,quarum poteſtati ſe ſubmittere nollent, interim prohiberi ſolebant; vt loco ſuo videbimus. Vnde ſiſtentibus ſe iudicio contumacibus rem ad cauſam ſimplicis redire citationis, expiatâ culpa non priùs comparendi *m*, certiſſima res eſt. Ideoque bannum hoc, & mulcta æquiparari vulgò *n* ſolent; vt quæ non ſententiæ diffinientis cauſam,ſed dę litigatoribus interloquentis, exempla duo inter ſe ſimilia ſint. Id ipſum de eo dices, quem Iudex de facto, vt loquuntur Iuriſconſultorum filij, ac ſine vlla cauſæ cognitione in exilium deſtinauit: cuius reſtitutionem eidem Iudici non denegamus *o*. Cæterum exilio propriè dicto, quod pœna delicti certa ſit, parum hæc conuenire quis non videt?

IX. Aliam cauſam reuocandi ſaltem ad tempus relegationem, hoc eſt exulem ad locum prohibitum euocandi, aſſignant cum aliis Bartolus, & Oldraldus: vt nempè de nouo crimine aduersùs præſentem reum cognoſcat Iudex; ſiue ipſum de aliqua re, quam ſcire intereſt, coràm interroget. A Prouincia enim ſeu loco alio eiectus, aliterúe damnatus, pro aliquo crimine adhuc poteſt de alio poſtulari. Quorum ſententiæ, cùm non reuocetur per eam permiſſionem exilium, ſed tantùm ad breue tempus interrumpatur publicæ causâ vtilitatis, confidenter magis plurimi *p* ex neotericis ſubſcripſere. Atqui propriè hoc factum, latineque ſi velis dicere, *commeatum*, aut ſi impropriè, atque barbarè, ſed tamen ſtylo noſtro forenſi *ſaluum conductum* dixeris relegato, ſiue exuli, aut, vti vocant, bannito dari. Sed ipſe eſt commeatus, in quo præſtando Marcianus I. C. (quem euitare Bartolus, cæterique quomodo poſſit, nondum video) Principis dumtaxat partes agnoſcit. *Nemo poteſt commeatum, remeatumúe exuli dare, niſi ſolus Princeps.* Dicta l. IV. De Pœnis. Quare cùm Iuris regula tot locis repetita ſit in contrarium; & qui derogatum ei volunt in hac causâ, non vllo alterius legis teſtimonio, aut congruâ aliquâ ratione vtantur; non eſt cur valdè nos turbet auctoritatis eorum præiudicium. Profectò enim nulla cauſa ſubeſt permittendi hanc licentiam Iudicibus: præſertim cum facilè adiri ſuper eâ re Princeps poſſit; cuius ſolius partes ſunt exules ad tempus, ſiue ſimpliciter reuocare. Ita nos obſeruamus: & auctor eſt *q* Bobadilla noſter Hiſpanæ Politices diſertus in primis explanator, ac diligens, ætate ſua in nonnullos Iudices, qui commeatum, aut remeatum exulibus, ſiue egeſtatis prætextu, ſiue teſtimonij, aut nouæ cauſæ dicendæ conceſſerant, animaduertiſſe Regium Senatum. In quo minùs legitimè olim verſatum oportet Auileſium noſtrum, qui huiuſmodi factum reuocandi exulem ſibi arrogat *r*. Necnon idipſum Iulius Clarus in more eſſe Ducatus Mediolanenſis adnotat *ſ*: Nec is tantum, ſed Boſſius, Menochius, & Decianus; quos Farinacius laudat in Praxis primo volumine *t*; confirmans ipſe ſimiliter obſeruari Romæ ex conſtitutionibus Clementis VII. Pij IV. atque Pij V. quamuis contrarium communi Doctorum ſententiæ dicat conſonum: &, vbi ſtatutum, ſeu lex non fuerit lata, Iudicibus hanc poteſtatem denegans, obſeruandum.

X. Neque ob comprehenſos, aut detectos transfugas, ſeu patriæ hoſtes, poteſtatem Iudici facimus detectorem, aut comprehenſorem exulem pœna ſua liberandi, & in locum prohibitum reducendi. Quod noſtrum Iudicium; præterquam quod ſuperioribus argumentis euincitur, confirmat in hodierno Gubernatore Romanæ vrbis arbitrium ferè liberum commutandarum pœnarum habente, nec tamen ſine Domino ſuo P. M. remiſſionis huius negotium expediente Farinacius etiam in Praxi *u*. Et profectò imbecillis

m *V. quos Tiraquellus laudat in Tractatu ceſſante cauſa &c. 1. p. ex n. 59.*

n *Gloſſ. in l. 1. §. Hoc reſcripto de ventre inſpiciẽdo & in l. 1. principio de Admin. tut.*

*Bartolus & alij apud Tiraq. de Pœnis temper. cauſa 32. n. 5. & 6*

o *Videndus Diaz in Praxi ca 134. n. 3. & ibi Salcedus.*

p *Quos laudat ſimul & antiquos Farin. 1. to. Tit. de Carceribus q. 29. nu. 90. & ſeqq. Menochius 2. De Arbit. caſu 337. n. 2. & 27. & l. 1. integra q. 81. & conſ. 244 n. 12, vol. 3.*

q *L. 2. Pol. c. 16. n. 122.*

r *In c. Prætorum 1. verbo* Derechamẽte *n. 7.*

ſ *L. 5. §. fin. q. 32. n. 14.*

t *Tit. De Carceribus q. 29. n. 84.*

u *To. 1. P. 1. q. 6. n. 14.*

cillis eſt aduerſariorum argumentatio ex dicta l. Non omnes v. in fine. De Re militari. Quæ quidem in id tantum debuit adduci, vt propter hominis in rempublicam merita indulgeri reo, aut diminui pœna criminis debeat: ad quod vtique in ſententiâ ferendâ Indici opus eſt attendere: non verò poſtquam ſententiam pronuntiauit, officioque ſuo functus eſt: quomodo rem explicant non vno loco Tiraquellus *x*, eoque illaudato, quamuis ad verbum tranſcripſerit, Petrus Placa *y*, quod Menochius *z* animaduertit; aliique.

XI. Neque item audiri debent qui in arbitrariâ exilij pœnâ, non in ordinariâ, & legali, hoc ius reuocationis abſque Principe admittunt. Arbitrium quippe Iudicis vſque ad ſententiæ dictionem, nec vltra extenditur.

XII. Cùm igitur præſcriptos legibus fines temerè, ac ſine vrgenti aliqua ratione haud nobis liceat euagari; auſcultemus potius quàm Interpretes, ipſos Iuris auctores: Marcianum, qui indefinitè dixit remeatum dare, aut commeatum exuli non alium quàm Imperatorem poſſe: necnon Celſum, cuius ex l. Quod iuſſit XIV. De re iudicata hæc regula eſt, ita communiter, vt diffinitiuæ, ac interloquutoriæ ſententiæ præſcribat fines, vti notauimus, explicata: *Quod iuſſit, vetuit nè Prætor contrario imperio tollere & repetere licet: de ſententiis contra.* Et Paulum, qui in l. Acta XLV. §.I. eodem tit. *de amplianda, vel minuenda pœna damnatorum* (inquit) *poſt ſententiam dictam ſine principali auctoritate nihil eſt ſtatuendum*: Cui conſonant Vlpianus in l.I. in fine. De Quæſtionibus; & Calliſtratus in l. Diui Fratres XXVII. in principio De Pœnis. Auſcultemus deinde Alphonſum Regem noſtrum in l. II. Tit. XXII. Part. III. vnde hæc deſumpſimus verba. *Maiormente aquelque dicen ſententia definitiua: porque tal Iuicio como eſte, pues que vna vez lo ouiero bien, o mal Iudgado, non lo prede toller, nin mudar aquel Iuez que lo Iudgò, ſi non fuere el Rey, o el Adelantado maior de ſu Corte*: & nouioris auctorem legis XV. Tit. V. libro ſecundo compilationis: cuius & verba adiungimus: *que los nueſtros Oidores no den, ni libren a perſona alguna cartas de eſpera de ſus deudas, ni alcen deſtierros; ſaluo ſi fuere por ſentencia dada con cognicion de cauſa y entre partes.* Quod vtique idem eſt ac dicere (nè ad hanc legem aliquis incautè offendat) Iuſtitiæ, quam vocant, reſtitutionem fieri ab iis poſſe; gratiæ non poſſe, qui ſemel officio ſuo functi ſunt. Hoc enim ex Iure noſtro contra commune inualuit, ex l. IV. Tit. XXX. Part. VI. Vt Iudex poſt damnationis latam in criminalibus ſententiam poſſit adhuc ex officio ſuo teſtes, aliaſque probationes pro reo damnato admittere, & ſi de innocentia illius conſtet, ſententiam à ſe dictam vel inconſulto Principe reuocare; vti iam docuimus.

x *Tract. de Pœnis temper. cauſa 49. & ad l. Si vnquam verbo. Donatione largitus n. 34.* C. De Reuocandis donat.

y *In epitome delictorum ca. 33. n. 2. & 3.*

z *Menochius l. I. De Arbitrariis q. 92 n. 9. Baeca de Inope debitore c. 18. n. 5.*

# CAPVT QVARTVM.

## De Indulgentia & Reſtitutione, ſiue Indulgentia generali, & ſpeciali.

*I. Commeatus quid in l.* IV. *De Pœnis.*
*II. Tertullianus explanatur.*
*III. Commeatum ſolus dat Princeps.*
*IV. Et transfert exules à loco in locum.*
*V. Remeatus quid in D. l.* IV.
*VI. Indulget Princeps exilium; vel tacitè.*
*VII. Vel palàm, indulgentia communi.*
*VIII. Hæc tantùm remittit pœnam.*
*IX. Non pecuniariam, ſed exilium.*
*X. Nouo quoque Principatu reuocabantur exules.*
*XI. Scholiaſtes Iuuenalis ſanatus.*
*XII. Indulgentiæ generalis formula.*
*XIII Ita reſtituti vnde alerentur.*
*XIV. Indulgentia ſpecialis.*
*XV. Per partes hæc impetrabatur.*
*XVI. Reſtitutio in integrum omnia continet.*
*XVII. De Indulgentia ante damnationem.*
*XVIII. De Indulgentia ſub conditione.*
*XIX. Quæ ſit iuſta cauſa reſtitutionis apud Marcianum in d. l.* IV.

SEd explicemus magis regulam à Marciano traditam, & reſtitutionis totam rem & naturam. *Nemo poteſt* (inquit I. C. in d. l. IV.) *commeatum, re-*
I. *meatumuè exuli dare, niſi Imperator ex aliquâ cauſâ. Commeatus* quid ſit opti-
a *Actu* I. *Sc.*2. mè explicatur his Donati verbis ad Hecyram Terentij *a*: *Commeare eſt abeſſe inde, vbi te eſſe oportet: commeatus eſt ex aliqua commoratione temporalis abſceſſus.* Scilicet excedendi à loco, ſiue accedendi ad locum facultas alicui conceſſa. Nota res in militari diſciplina: atque item in togatâ Magiſtratuum militia. Neque enim abſque commeatu miles à caſtri diſcedere, aut qui honorem aliquem gerebat, ab vrbe, ſiue Prouincia ſua poterat abeſſe. Vulgares ſunt de hoc iure, & notione vocabuli, priſcorum ſcriptorum loci, quos
II. alij obſeruant. Tertullianum, quia hi non laudant & ἐμφαλικῶς id ipſum, quod dicebamus, de Iure vnius Principis in commeatus conceſſione ſignificat, tui iuris, lector, faciam. Reprehendit eos acerrimè, qui diem Baptiſmatis, quo poſſent interim vacare, atque indulgere voluptatibus, differebant. Libro de Pœnitentia cap. VI. *Certi enim* (ait) *indubitatæ veniæ delictorum medium tempus interim furantur: & commeatum ſibi faciant delinquendi, quàm*
III. (hoc eſt, *magis quàm*) *eruditionem non delinquendi* Nec propriè minus pertinet ad exules commeatus nomen: vt ex Marciani hoc loco, & ex illo Sue-
b *In Claudio c.*17. tonij Tranquilli *b* oſtenditur. *Ad cuius ſpectaculum* (triumphi Britannici, quod Claudius dixit) *commeare in vrbem non ſolùm Præſidibus Prouinciarum; verùm*
IV. *etiam exulibus quibuſdam permiſſit.* Item à Prouinciâ in Prouinciam tranſduci damnatos ſine Principis permiſſu non licere, ſimillima ratione reſcripſerunt Diui Seuerus & Antoninus in l. XXXI. in principio De Pœnis. Græcus Interpres Baſilicôn in hac lege IV. non reditum tantùm, ſed etiam ὑπόθε-
V. σιν τȣ̃ ἐξελθεῖν *dilationem exeundi* negat ab alio, quàm à Principe concedi. Reditus,

ditus, ἐπάνοδος, ſcilicet hic eſt, quem Marcianus *Remeatum* vocat; non tem-
porarium, ſed perpetuum; quippè continet damnati reſtitutionem, ſiue ſen-
tentiæ, pœnæque abolitionem.

Indulget Princeps reditum vel expreſsè, vel tacitè. Et quidem hoc po- VI.
ſteriori modo; ſi ſciens, & gnarus damnationis ornet exulem eo munere,
aut Magiſtratu, cuius indignus eſt, qui exulat. Non autem ſi permiſerit
eum in loco interdicto commorari. Nam quamuis in contractibus *c* pro con-
ſenſu reputetur patientia, iure quidem, cum voluntas regula eorum, ac ve-
lut anima ſit, ipſique interpretationem ab æquitate accipiant: hoc in ſtri-
cto iure pœnarum, & iudiciorum non ſic facilè admittitur: & exceptiones
illius regulæ, quæ conſentire illum, qui permittit, credi affirmat, plures *d* e-
numerantur. Quare vulgò probatur hæc diſtinctio, quam ex Ruini quo-
dam conſilio *e*, & aliis huic conſentientibus commendat ſæpius in ſuis con-
ſiliis & aliàs Menochius *f*, atque item Stephanus Gratianus Diſceptatio-
num Forenſium capite CCCIX. nu. 31. Impuneque occidi eos poſſe, in quo-
rum caput data eſt cuique ciuium poteſtas, etiamſi in vrbe manſerint ita;
vt dicimus, à Rege, aut Magiſtratu permiſſi, docet Boſſius in Praxi *g*. Ne-
que eſt tamen contraria huic noſtræ opinio ſine antiquorum teſtimoniis; VII.
quos laudat in Reſponſ. quodam *h* Tiberius Decianus. VIII.

Alia eſt reſtitutio palàm conceſſa. Et hæc tam varia eſt, quàm varia ſunt,
& multa quæ damnatus amiſit, & poteſt recipere. Prima, & ſimpliciora-
lis ea habetur, quæ tantùm à pœna liberat l. III. D. De Sententiam paſſis
l. II. & IV. C. eodem tit. atque *indulgentia communis* dicitur in l. V. ſequenti,
ſiue *generalis*. Hæc neque famam, neque dignitatem reſtituit l. VII. C. eo ti-
tulo l. vltima C. De generali abolitione: quæ plenior extat in Codice Theo-
doſij tit. De Indulgentiis criminum. *Indulgentia* (inquiunt Impp. Valenti-
nianus, Valens, & Gratianus ad Senatum) *Patres conſcripti, quos liberat, notat*:
hoc eſt, notâ non liberat: *nec infamiam criminis tollit, ſed pœnæ gratiam facit.*
Attaliata in Synopſi Tit. LXXXIX. Regia Lex II. Tit. XXXII. De los Perdones.
Partita VII. l. I. Tit. XXV. lib. VIII. Compilationis, id confirmant *i*. Non item
poteſtatis ius quod pœna excuſſit, denuò reſumitur, videlicet patriæ, l. IX.
C. De Sent. paſſis: aut ſeruilis. Seruus, inquam, generali hac indulgentiâ
metallo ſolutus non redit ad priſtinum Dominum, ſed Fiſci remanet man-
cipium: l. VIII. C. eodem tit. Vtique deportati, cùm reſtituuntur, omnia il-
la iura, quæ ciuibus non ineſſe non poſſunt, velut cognationis, & ſucceſ-
ſionum recipiunt. Si reditus in patriam concederetur, non ideò pœna pe-
cuniaria, mulctaue remiſſa videbatur. Per partes enim hæc indulgentia re- IX.
cipitur, ac vires ſuas exſerit. Romano Iuri ſi adiunxerimus è mediâ Græ-
ciâ exemplum, aliqua maior lux affulgebit. Athenienſes motâ lite repetun-
darum Demoſtheni, quòd ab Harpalo corruptus pecunia fuiſſet, quam qui-
dem litem quinquaginta talentis æſtimarunt, eum in carceris cuſtodiam
coniecerunt: Ipſe tamen fugâ ſibi conſuluit. Poſt toleratum aliquo tempo-
re exilium, ſciuit ei reditum Athenienſis populus. *Quum verò* (ait Plutar-
chus in eius vita fideliter verſus) *mulctâ pecuniariâ* (quam ſcilicet abſenti ir-
rogauerant) *diſtrictus maneret, (neque enim gratis ius erat eam remittere) hoc
modo eluſerunt legem. Morem habebant vt Iouis ſeruatoris ſacrificio ei qui aram in-
ſtrueret, & adornaret, argentum penderent; hoc munus & illa præbenda Demoſthe-
ni locauerunt quinquaginta talentis, quanti lis fuerat æſtimata.* Hæc Plutarchus.
Si quando tamen ambigatur, indulgentia nè, an reſtitutio facta ſit, ex To-
loſanæ curiæ quodam Decreto pleniſſimè interpretari debere Principis
voluntatem, confirmat in Arreſtis Toloſanis capite XLI. Ioannes Corraſius.

Huiuſmodi generali indulgentiâ nouo quoque Principatu, maximè ſi X.

*c* L. 13. §. 1. De his qui not. infam. l. 6. §. 2. l. 18. l. 53. D. Mandati.
*d* V. Couarruuiam de teſtamentis in c. Ioannes n. 4.
*e* Conſ. 85. n. 9. l. 4.
*f* L. 1. De Arb. q. 90. n. 57. & de Præſumpt. l. 1. q. 23. n. 7. & conſilio 275. n. 50. vol. 3. & conſ. 715. n. 9. & ſeq. vol. 8. & conſ. 1101. n. 56. vol. 11.
*g* Tit. Banniti quid amittant n. 2.
*h* Reſponſo 23. n. 5. volumine Conſiliorum primo.
*i* Adiri poteſt Corraſius in Arreſtis Toloſanis C. 41.

excuſſiſſet à ſuis ceruicibus Romana gens improbum aliquem Dominum, quod populare, atque æquum fuit, exules reuocabantur. Iulius Cæſar ab Hiſpanienſi expeditione reuerſus cunctis exulibus, vno tantùm excepto Milone, reditum conceſſit: cuius rei auctor eſt ſecundo libro bellorum ciuilium Appianus. Similia facta Caij, Claudij, Caracalli, Suetonius, Dio, alij referunt: atque optimi cuiuſque Principis Petrus Faber ex antiquis

k Pagina 206. ſcriptoribus collegit, (nè hîc nos) ſecundo Semeſtrium, cap. XIII. *k* ſæpiuſculè adducto, laudatoque. Inter exules Caij Agrippina, & Iulia ſorores ipſius fuere, quas adulterij nomine, atque inſidiarum aduerſus ſe damna-

l Caij c. 24 uit, Suetonio teſte *l*: hoc eſt in inſulam deportauit: quod expreſſit, inſulæ

XI. tamen ſuppreſſo nomine Dio Caſſius lib. LIX. Id annotare volui, loco vt corruptiſſimo veteris, & docti Scholiaſtis Iuuenalis Satyrarum, ſiue potius, quidquid ſuppetias iuerit Petrus Pithæus, meræ ſcriptoris lanienæ, verâ lectione opitulari poſſem. Ad verſum illum Sat. II. *Qualis erat Tragico* &c. ita componenda eſt illius nota. *Claudium Cæſarem dicit* (nouiores omnes indicatum à Poëta cenſent Domitianum) *qui occiſſa Meſſalina vxore impudiciſſima Agrippinam filiam fratris Germanici matrem Neronis reuocatam ab exilio in matrimonium accepit*. Non aliter ſibi conſtat ille Grammaticus. Sed moderatiores quidem Principes huiuſmodi abſolutionibus admouere conſueuerunt Senatus auctoritatem. Claudius ipſe *neminem exulum niſi ex Senatus auctoritate reſtituit*. Et M. Antoninus eos, qui deportati fuerant, reuocari iuſſit, & quidem auctoritate Senatus; Tranquillo, & Iulio Capitolino auctoribus. Quo Vlpianus noſter oculos habens de reſtitutione à Senatu facta de poſtulando edictum ex parte interpretatur in l. I. §. X. D. eo tit. Huius indul-

XII. gentiæ formula eſt in l. X. C. Theodoſio de Indulgentiis criminum; aliaque

XIII. ſimilis apud Dionem lib. LXVII. Næ in egeſtate viuendum fuit ab exilio redeuntibus: quippe impetratâ abolitione, & veniâ tantùm, Fiſcus non dum bonis eorum ſibi quæſitis decedebat; ſi non propinquorum ope fouerentur; quandoque & Imperatorum: quod innuere videntur hæc Taciti verba ex primo Hiſtoriarum libro, *cum flebilis & egens nobilium turba quos ipſos, liberoſq; patriæ Galba reddiderat, nullâ Principis miſericordia iuuarentur*.

XIV. Quid ergo factum inſuper, nè pœna tantum indulgeretur, oportuit? & vt cætera redirent deperdita? *Speciali beneficio* fuit opus: quod etiam *indul-*

XV. *gentia ſpecialis* audit in l. II. C. De Sententiam paſſis. Nec iſtud plenam ſemper reſtitutionem continebat, ſed per partes, & imperfectam frequenter. Siue famam, & ſtatum integrum: & ita reſtitutus, non ante ad dignitatem & munus, quo abiens in exilium ceſſerat, reuertebatur, quàm ſi de nouo in eum locum per nouam electionem ſuſciperetur: Quod ex l. II. D. De Decurionibus legitimum eſſe comprobauit Senatus Neapolitanus vti ſcribit integra deciſſione XXXVII. Scipio Rouitus. Siue dignitatem tribuebat abſque bonis, vel iure patriæ poteſtatis: ſiue cum parte bonorum l. II. D. De Sent. paſſis l. III. l. VI. in Codice. Singula hæc enim impetrari ſolere ab iis, qui generali iam indulgentia fuiſſent reuerſi, ex l. IX. C. eodem tit. rectè deducit Thalelæus Scholiaſtes Græcus lib. LXVIII. Baſilicon Tit. LXVIII. Impetrata quippè reſtitutio ex aliqua parte ad reliquas non pertinebat. Limitata enim cauſa, vt aiunt noſtri *m*, limitatum parit effectum, axiomatè ex l. In agris. D. De acquir. rerum dominio, ad rem præſentem deſumpto. Nec bona, niſi ſpeciatim conceſſa ſint, venire, adnotat inter alios Boërius deciſione LXV. num. 5. Planè omnia hæc quæ ſigillatim aliàs concederentur,

m Felinus & alij apud Pereg. l. 5. t. 2. nu. 32. in opere de Iure Fiſci, Griuelli deciſſ. Dolana 7. nu. 10.

XVI. *reſtitutio in integrum*, ſiue *ſpecialis indulgentia* ſimul præſtitit: hoc eſt ciuitatem, dignitatem, ſubſtantiam: quæ tria coniunguntur in l. Vn. C. De Nili aggeribus non rumpendis: μετὰ τῆς ἀξίας τὴν οὐσίαν; *cum dignitate ſubſtantiam*:

vno

vno verbo; *omnia*. Antoninus Imp. Iuliano cuidam Liciniano, quem à deportatione reuocauerat, oblato deinde ſibi, *vt ſcias* (inquit) *quid ſit in integrum reſtituere honoribus, & ordini tuo, & omnibus cæteris te reſtituo*. l. I. C. De Sent. paſſis. Et Paulus, *ſi per omnia reſtituantur indulgentiâ principali*: IV. Sentent. Tit. VIII. Quod Vlpianus ita circumloquutus eſt: *ſi in integrum reſtitutus ſit, perinde ac ſi nec damnatus fuiſſet*; in l. III. §. II. De Muneribus & honoribus. Noſtrates ſuâ etiam formula indulgentiæ iſtius inſtruuntur in l. II. inferiore Tit. XXXII. Part. VII. illis verbis: *fueras ende ſi el Rey dixeſſe ſenaladamente, quando lo perdona, que le manda entregar todo lo ſuio, ô tornar en el primer eſtado, cà eſtonce lo cobrarà todo*. Pertinet quoque l. I. Tit. XXV. lib. VIII. Compilationis. Hoc totum recuperaſſe Cicero Tullius perhibetur apud Dionem Caſſium lib. XXXIX. ordinem ſuum, & locum, dignitatemque, ſubſtantiamque imò & τὸ ἔδαφος τῆς οἰκίας, *ſolum ſuæ domus*, quamquam id Clodius libertati dedicatum religioni obligauiſſet: Animaduertendum etiam hîc eſt in- XVII.
dulgentiam quibuſcumque verbis expreſſam, priuſquam Iudex ſententiam damnationis pronuntiaſſet, effectum ſpecialis, plenæque indulgentiæ ſortiri: quod vnica lex noſtra II. Tit. XXXII. Partita VII. diſertè admonet. Præ- XVIII.
tereà ſciendum, hanc indulgentiam ſub conditione poſſe concipi; vt nempè ſi damnatus tale quid fecerit, ad antiquam conditionem reuertatur. Qua in cauſa expectari prorſus debet Iudicis ſententia, quâ adimpleuiſſe eum declaret quod iniunctum ei fuerat: quamuis æquum hoc ſit, vt is capax videatur etiam ante hanc ſententiam, eorum omnium Iurium, quæ ad reſtitutum pertinent. Conſule, ſis, Gratianum capite XXXIX. Diſceptat. Forenſium in principio.

Quod ſanè Marcianus in fine huius l. IV. monuit de iuſta cauſa reſtitutio- XIX.
nis, eo id pertinet, vt Princeps, qui ciuiliter, iuſteque agit, non temerè, aut ſine conſilio, & ex libidine, quos pœnis debitis ſententia iuſta addixit, liberet, aut redire faciat. Nempè in dominatu Regio, hoc eſt ciuili, & moderato, quod facere æquum, aut iniquum eſt, hoc ipſum Princeps proprio verbo poſſe dicitur, aut non poſſe. Accurſio autem, Bartolo, & aliis viſum, non ſine cauſa fieri, quod voluntate, arbitrioque Principis fit. Hanc tamen huius legis gloſſam meritò reprehendit Petrus Rebuffus *n*, nequidem diſſimulans multos ſibi videri Principes occaſione illius æterno ſupplicio damnatos. Marcianus profectò, qui cauſam aliquam requirit, abſque cauſa factum non probat. Videſis commentarium Gregorij noſtri ad l. I. verbo *El Rey* Tit. XXXII. Partita VII. Sixtinumque in Tractatu de Regalibus lib. I. cap. V. num. 5. & 52.

n *Ad Conſtit. Fräciæ Tract. De Reſcriptis, art. 7.*

# CAPVT QVINTVM.

## Quæ Iura veniant in reſtitutionem.

*I. In integrum reſtituti ad veterem ſtatum reuocabantur.*
*II. Ad honores etiam, ſi hi non aliis eſſent collati.*
*III. Taxatur obſtinata quorundam Iuriſconſultorum ruſticitas.*
*IV. Regula de his quæ veniunt in reſtitutionem.*
*V. De teſtamento facto ante exiliū.*
*VI. De facto in exilio, & codicillis.*
*VII. Patria poteſtas redit reſtitutis parentibus Conſtantini lege.*
*VIII. Vltima de ſententiam paſſis explanatur*
*IX. Teſtamentum filij non de bonis, caſtrenſibus irritatur.*
*X. Filius reſtitutus indulgentiâ ſpeciali redit in patris poteſtatem.*
*XI. Generali reſtitutus non redit.*
*XII. De matrimonio.*
*XIII. De vſufructu.*

SEd quia non ſatis eſt ſumma rerum veſtigia collegiſſe, κεφαλαιωδῶςque a commemoraſſe quæ reſtituti reſumunt; ſigillatim, ſerioque de his iuribus diſpiciendum eſt. I. In integrum reſtituti ad ea omnia reuocabantur, quę in antiquo ſtatu, & ante damnationem habuerant; ſi non aliquid impediret, quo magis hoc fieret. Quid enim ſi amiſſa dignitas penes alium fuerit? Si bona non iam, aut quidem non omnia apud Fiſcum? ſi fructus bonorum conſumpti? ſi de parentis poteſtate diminutum fuerit, ſuæ iam poteſtatis facto filio? Singula ergo examinare opus eſt. In primis reſtitutum infamiâ eximi certius eſt quam vt indigeat cauſa teſtibus: habilemque ad honores capeſſendos agnouit eum Vlpianus in l. III. §. II. De Muner. & honor. Adeò vt mortuorum, ſiue interfectorum, quos reſtitui famæ placuiſſet, ſeruari, reſtituique memoria, hoc eſt illibata memoria & integra exiſtimatio, in defectum hominis diceretur. Capitolinus in Pertinace: *Reuocauit etiam eos, qui deportati fuerant crimine maieſtatis; eorum memoriâ reſtitutâ, qui occiſi fuerant.* II. Honores, & dignitates non aliter adipiſcebantur redeuntes, quā ſi tunc temporis vacarent. Reſtituuntur quidem ea, quorum non ſit alij quæſitum ius, & collata dignitas; quâ immeritum ſpoliari planè iniquum eſt. Valetque in reſtitutis, etiam, vt credo, regula Vlpiani in l. II. De Decurionibus, *expectare eos debere, donec locus vacet*: vbi & Bartolus notat. Si tamen is, qui reſtitueretur, per ſummam iniuriam pulſus fuiſſet, hunc vel in ſubrogati locum veniſſe nullus dubito. Nempè ſi controuerſia mota eſſet de ſummo Pontificatu eccleſiaſtico, ipſa profectò cauſa clamat, neque alium in locum illius, qui non ſolenniter ſupremæ huic dignitati renuntiauit, nec duos in vnum, atque indiuiſibile faſtigium aſſumi poſſe. In quo tamen antiqui Chriſtiani ſub Arriano Principe Conſtantio ſibi conniuendum eſſe arbitrati ſunt: vt ſcilicet Liberius Papa ex Berææ Thraciæ vrbis relegatione, quo pulſus ab Imperatore fuerat, reuerſus vnà cum Felice in Sedem Romanam, & locum illius ſubrogato, munus Apoſtolicum, ſacraque adminiſtraret. Rem narrant Sozomenus lib. IV. cap. XIV. Nicephorus Callixtus libro IX. cap. XXXVI. paulò tamen aliter Theodoritus lib. II. cap. XVII. Socrateſque lib. II. cap. XXIX.

a Capitulatim.

De bonis, & reliquis iuribus, quæ tanquàm in bonis ſunt, & cenſentur, nè fuſiſſimis interpretum commentariis moles adcreſcat noua; faciam quod III.
mei moris eſt & compendij gratia commendatius. Colligam vtique in Synopſim quàm explicatè, ac breuiter potis ero, quæ integris penè libris digeſta iura congeſtis inſuper (vti noſtra ætas fert) toto horreo demenſis Pragmaticorum teſtimoniis, non priùs inſtruunt, quàm laſſant ſuos lectores. Sed quia humanitatis ſtudium cane peius, & angue, auerſantur Catones noſtri, tetricos oportet eſſe eos, ingeniique rigidioris ac doctrinæ. Ita ſe gerunt nobiſcum inhumanè. Eſto (namque tacere id præ animi feruore non valeo) quòd barbara illa renaſcẽtis in Latio Iuris loquacitas deglutienda eſt: quæ quidem lotis auribus veteris eloquentiæ aceto ſermonem refert alicuius hoſpitis linguâ ſuâ horrendum ſtridentis: ſiue palatum ſapit; tanquàm ſi quis (ait ille *b*) μετ᾽ ἀνθοσμίαν οἶνον τῶν ἐξεστηκότων ἵνα πίνει *poſt vinum redolens vappam bibat*. Eſto, inquam, quòd calcandi ſunt tribuli veterum Interpretum. At nouiorum, qui nullam excuſationem ineptè loquendi afferre poſſunt, cur feramus? Sed ais: Copia rerum in votis, curæque nobis eſt; non eloquentiæ cultus: quod neceſſarium tuendo iuſto eſt, hoc proſequimur: alias artes Profeſſoribus ſuis relinquimus. Errás profectò; miſerumque hoc effugium prodit etiam te; in quo latere ſibi quando non videbuntur, qui prudentiores, & virilium ſtudiorum ſectatores audire amant? Quaſi quod illi vitio ſæculi ſunt, peccarunt in ſermone primores Interpretum, tibi iam ſit lex, & norma loquendi, qui meridie ipſo liberalium diſciplinarum ſponte cæcus es, & noctuinis oculis tenebrio. Sunt equidem quæ barbaricè, & in idiotiſmo rudis illius temporis proferre ſit neceſſe: neque enim bis moribus attemperes, niſi ridiculè, antiqua, & iam ſine re verba. Sed tamen quia non decet nunc prorſus Romanè loqui, neque Latinè vis? Nec pudet elegantiſſimam, & mundiſſimam ciuilis doctrinæ artem, cui tanquàm Reginæ, & mortalium res curanti, viceſque ſummi Principis apud nos gerenti obſequio debent præſentiſſimo reliquæ famulari, ſordido, & pannoſo habitu, ſcommatibuſque vel miſſelli cuiuſque Grammatici expoſitam habere, & circumferre? Nil minùs, (mi homo) quàm in hoc nata eſt; cuius olim ſectatores, & alumni ad prudentiam imperio dignam vix ſine perfectâ quadam dicendi arte peruenire ſe poſſe arbitrati ſunt. Porrò neque cùm tui ſimilium reprehendo colluuionem verborum teterrimam, peto à te vt à Iuris libris, vel digitum tranſuerſum (quod Plautus ait) aut vnguem latum excedas: quanquàm certus ſim de iſto aliàs, non magis à Iuriſprudentiæ, quàm ab Artium aliarum præcipuè Philoſophiæ ſtudio, rerumque omni tempore, omni loco geſtarum memoriâ ingenium inſtrui, mentemque, aut Iuri dicundo, aut, quod potioris operæ, & ordinis eſt, conſtituendo, tractandæque reipublicæ habilem reddi, atque opportunam. Sed hactenus ſaltem continere in officio, ac deprecari fructuoſiſſimas tuas vigilias velim, nè ſcilicet præpoſtero diſcendi conſilio turbidos ſæpè canales Interpretum, quàm limpidiſſimos veterum Iuris auctorum fontes haurire mauelis. Et quis tam agreſti aure, atque animo eſt, quem non magis delectent, imo & doceant, Vlpiani, aut Papiniani pauca verba, breuiorque aliqua nota, regulaúe, quàm totius forſan agminis Accurſianorum laborioſiſſimæ lucubrationes? Planè illorum eſt proprius, & dignior Iuris ſermo; cui quidem tanquàm ſuis natalibus omninò reſtituenda eſt ſequioris, atque infælicioris temporis Iuriſprudentia. Iam quibus vſibus deputas coaceruandarum ſingulo quoque verbo ſcriptorum curam? Vbi præſertim lex Romana, ſaltem municipalis apertè ſuper eâ re, quæ tractatur, cauet, ridiculus profectò tuus ille cumulus: quo non aliud vnquam peruinces, ac perſuadebis, quàm

b *Ariſtides ora. in Puteum Æſculapij.*

quàm homines illos ſcriptum ius legiſſe; teque Herculeâ quidem, ſed vanâ diligentiâ, quæ merito ſuo πολυάσχολος ματαιότης, *negotioſiſſima vanitas*, audire debet, tot libros, tot commentarios euoluiſſe: ac nequidem iſtud, ſi, vt ſoles, labore tranſcriptionis exantlato vis contentus eſſe. Puto, ſi huic ambitioni deinceps parcitur, atque ex ſcribendi cacoethe, quàm minimùm ſudabit in Iure Ars Typographica. Tuas deinde limitationes, ſublimitationes, ampliationes, ampliationumque ampliationes, & ſimilia vſque ad ἀναστροφὴν στομάχου *ſtomachi deſtructionem*, quæque ſua ſcriptorum cohorte roborata, diſpeream, niſi cribro iudicij admoto, in minimum fermè compendium farinæ decutias: & habeo, quacumque appetitus fuero tuis teſtium copiis, totidem, quæ ſub ſignis meis rem ſtrenuè gerant. Adeò lubricum eſt aliorum licet magnis nominibus fidere & acquieſcere. Nos vtique Iuris rationes perpendimus, Iudicioque ſiſtimus aliorum opiniones; nec Atticam in eis Artem, qua exiguâ ſumus experientiâ illius, dedignamur, dum numeros tu, & copias Xerxis nullo delectu ſecurus diſciplinæ moliris. Abſtineo iam verbis pluribus, ne videar ex hoſtico te configere, qui eiuſdem, ac tu, militiæ ſacramento diu obſtringor. Prudentiam ſanè multorum ex noſtris ſuſpicio, atque exoſculor: etenim non pauci ſunt, quos Muſæ amant: quo magis cæteri bonam mentem excolere deberent. Sed timidiores ſunt, quàm ad in ſeipſis debellanda hæc ineptiarum monſtra, exemplis ſeſe audeant tam fortibus accingere. Det ô aliquando, det ὁ πάντα φέρων χρόνος, *qui omnia fert tempus* ſæcula Muſarum fæliciora; quarum ex maxima noſtri parte iam diu profani c ſacris arcemur. Redeamus iam è diuerticulo iſto in viam.

*c De Abuſu hoc ſcientiæ Iuris elegantiſſime in Annot. ad Pandectas Budeus non vno loco: Alciatuſque 3. Diſpũction. n. 18. coqueruntur: & Caroli Girardi Caſtilionenſis Galli aureus extat* De Iuris voluminibus repurgandis *libellus.*

IV. Reſtitutio bonorum & iurium proximâ, quam ſtatim commendamus, regulâ accuratè comprehenſa diffinienda eſt, atque exponenda: Hac ſcilicet. Reſtitutus ad ea omnia redit, quæ olim ſua erant, ſiue res, ſiue iura, vt damnationis amiſſa: ſed non aliter quam ſi horum integra cauſa maneat, hoc eſt penes eos, qui damnato ſucceſſerunt, reperiantur. Inſuper ad antiquum ſtatum reuocantur quæ irrita facta ſunt, ſi reſtitui æquo iure poſſunt. Hactenùs Regula. Cuius equidem poſteriore parte nunc explanatâ, priorem aliam deinde comprobabimus per ſingula capita. Duplex cauſa eſt earum rerum, quæ damnatus amittit: quædam adeò euaneſcunt, vt nuſquàm ſint; quædam in tertium aliquem deuoluuntur: & hæc partim Fiſcus, partim hi, qui lege vocantur, accipiunt. Reſtituuntur vtique ad priſti-
V. num ſtatum, ea, quæ irritauerat pœnæ, & peregrinitatis calamitas. Nam ec-
VI. ce teſtamentum conualeſcit l. vi. §. pen. De Iniuſto rupto &c. In deportatione autem factum vt valeat, reſtitutione nunquam efficietur: hoc enim reſtitutio inſtaurat, quod ex perfecto, & ritè facto in irritum ceciderat: quamuis codicillos à deportato confectos, qui reſtitutus eadem voluntate deceſſerit, valere viſum ſit olim Vlpiano defendi poſſe l. 1. §. v. D. De legatis 3. de qua nos anteà in cap. xx. libri ſuperioris, quod ſatis fuit, intimauimus.

VII. Patria poteſtas iam ex Conſtantini Sanctione redit parentibus reſtitutis l. vlt. C. De Sent. paſſis. Et quidem indulgentiâ generali reuerſum parentem non recipere patriam poteſtatem anteà vidimus ex l. ix. C. eod. titulo: vt exinde argumentari quis non temerè poſſit, quoniam Diocletiani hæc eſt lex nona, videri contrario ſenſu ſubindicatum, priuſquàm Conſtantinus de hoc cogitaſſet, plenâ reſtitutione damnati parentis ius poteſtatis redire ſolitum. Nihilominùs tamen exiſtimo etiam pleniſſimâ, & perfectiſſimâ reſtitutione conceſsâ, generalibus tamen verbis formata, iure antiquo Principum ethnicorum minimè fuiſſe reſtitutum: ſed adiungi opus fuiſſe

quan-

quantumuis integræ reſtitutioni ſpecialem poteſtatis impetrationem, vt
reuerſi parentes hoc iure gauderent: quod equidem planè innuit Diocle-
tiani reſcriptum; & confirmat aliud Gordiani in l. vi. eodem tit. ſic prorsùs
intelligendum, vt indulgentiæ acceſſio non ſit patria poteſtas, niſi verbis ea
ſignatis reſtituatur. De ſummâ quidem rei controuerſum olim inter Cori-
pheos Iuris Artis ſanctionis Conſtantinianæ caput oſtendit. Sed placuit iux- VIII.
ta Papiniani ſententiam, vt in patris eſſet filius poteſtate iam ab eo tempo-
re, quo dignitas, & bona ei reſtituta ſunt; hoc eſt pleniſſima reſtitutio in-
dulta. Neque iniquum viſum fuit prolem reſtitui ab eâ libertate deiicere,
quam hæc non iudicio parentis, neque in obſequij præmium ſine quærela
præſtiti, ſed in conſequentiam damnationis, tanquam ſub conditione, ſiue
in tempus pœnæ parentis acceperat. Ideò ſuadet Imperator, *vt filij eman-
cipationem à Patribus officiis petant, vt libertatem non damnationis, ſed liberalita-
tis paternæ teſtem habeant.* Sed additum à Conſtantino, vt geſta interim per
filium, quæ quidem legitimæ conſilium ætatis aliàs firmauiſſet, etiam re-
deunte Patre, rata eſſent: non vtique teſtamentum; cuius quidem tempo- IX.
ra duo expectantur, formationis, & mortis: nec ſufficit formatum, ſcri-
ptumque à filio dum ſuæ poteſtatis, ſiue, vt ita dixerim, ſuus eſſet; ſi in pa-
triam poteſtatem reuerſus, hoc eſt filiusfam. conſtitutus, ad quem non per-
tinet teſtamenti ius condendi, moritur [d]. Hæc omnia breuiſſimè, & obſcu-
rè poſita in Conſtitutione Latina, Græco-Romani Iuris Compilatores Re-
gij dilucidâ paraphraſi explanatiora reddiderunt libro lx. Baſilicôn Tit.
lxviii. Attamen excipitur, ſi de bonis caſtrenſibus, hiſúe, quæ ſibi medio
illo tempore adueniſſent, teſtamentum fecerit: quod opportunè ad rem
Sfortia Oddus Peruſinus monet in Tract. de Reſtitutione, quæſtione xcv.
articulo iii. De quo iure agimus etiam ſeq. cap.

[d] *Fabrum vide in Papin. Tit. 11. Principio 3. illat. 8. Coſtam in §. & quid ſi tantum 2. p. n. 90.*

X.
Filius autem reſtitutus an reddatur paternæ poteſtati quærimus in vtro-
que indulgentiæ genere. Planè ſi ſpecialem dixeris filio conceſſam fuiſſe,
ea priſtini ſtatus, & omnium, quæ olim habuerat, redintegratio eſt, vti ad-
monuimus ex l. i. C. De Sent. paſſis, & noſtra l. ii. Tit. xxxii. Part. vii. Nec
obiiciet ille, ad ea ſe reſtitutum quæ ſibi commoda, non quæ incommoda
ſunt: hoc enim indulgentiæ nomini conuenire magis videri. Patriæ autem
poteſtatis ius ſibi denuo imponi, quod tam graue, apud veteres maximè,
fuit exiſtimatum, non pœnæ abolitionem, ſed commutationem inducere:
æquiuſque eſſe, & indulgentiæ ſignificationi conſentaneum magis in iura
ſe legitima filiorum, & quidquid commodi per exilium amiſiſſet, non ta-
men in antiquum ſubiectionis ſtatum reuerti. Hæc in ſpeciem veri, potiùs
quàm verè à filio reſtituto dicta ſunto. Nam reſtitutio quæuis non commo-
da tantùm continet, ſed & incommoda, verboque, priſtini ſtatus per omnia
eſt inſtauratio. Recipit ergo is, qui ab exilio reuertitur iura ſua, & actio-
nes: atque etiam obnoxius fit aliorum aduerſus ſe iuri, & actionibus: nè
melioris conditionis ſit is cui pœnâ dimittitur, quàm qui pœnam non me-
retur. Propterea ius patris redit in reſtitutum, vt quæque alia in eum iura:
ex l. vii. C. De Sent. paſſis, l. vlt. C. De generali abolitione. De generali re- XI.
ſtitutione vt contrarium credamus, facit quòd redintegratio patriæ pote-
ſtatis magnum affert, ei qui in familiam recipitur, compendium: quippe
in iura ſuitatis, ſucceſſionis, & quæque alia recipitur. Deſideranda ergò
eſt indulgentia in ſpecie huius cauſæ, vt in hoc commodum veniat filius,
qui reſtituitur. Nam generalis, ſicut honores, exiſtimationemque, ac bo-
nam famam non reſtituit l. vii. C. De Sent. paſſis l. vlt. C. De generali abo-
litione, ita nec iura deperdita. Tantum enim eſt pœnæ remiſſio: cætera,
quæ conſequuta ſunt pœnam, incommoda non remittuntur: ſi quidem

fama, quæ faciliùs reſtituenda fuit, minimè redit; vt Impp. aſſerunt in iiſdem legibus proximè laudatis. Et ea ipſa ratio infamiæ non remiſſæ magis vrget, ne in familiam innoxij, atque integræ exiſtimationis parentis filium adhuc infamem reſtitutio intrudat. In ſeruo quid hæc indulgentia generalis, ſeu pœnæ remiſſio nuda operetur, loci Iuriſconſultorum expreſſi docent. Qui à pœna metalli reuocatur, hoc eſt cui generalis indulgentia pœnæ tantum gratiam facit, in veteris Domini poteſtatem non redit, ſed in dominio Fiſci, cuius per pœnæ irrogationem factus eſt, manet l. VIII. §. XII. De Pœnis l. Generaliter XXIIII. §. V. De Fideicomm. libertatibus, l. VIII. C. De Sententiam paſſis. Verum reſtitutus in veterem ſtatum, perinde ac ſi nec damnatus fuiſſet, Domino reſtituitur: cuius rei exemplum

XII. inſigne eſt in l. I. in fine D. De Quæſtionibus.

Matrimonium antiquo illo, & Romano iure interruptum damnatione, conſenſus amborum reparabat. Vtriuſque enim voluntate opus eſt vt redintegretur, quod alterius voluntate, ſi cauſa ſubſit, diſſolui ſemper poteſt: l. VIII. l. XIIII. §. I. De Captiuis. Sed tamen reſtituto id ius conceditur, ne vxori ſit impunè ad matrimonium illius, nullâ congruâ interueniente causâ redire nolle: quod exemplo captiui tenendum videtur ex dicta l. VIII. Hoc tamen generali indulgentiâ redeuntibus, adhucque infamia notatis minùs conuenire aio; ſed ad eos tantùm, qui in integrum reſtituti eſſent, ſpectare. Chriſtianum ſanè matrimonium, quod ſemel conſtitit, cùm non vlla diſſoluatur pœnæ calamitate, neque reſtitutione vlla eget, vt conua-

XIII. leſcat.

Ex his etiam quæ extinguuntur, neque vſquam manent, vſusfructus eſt, quem damnatus amiſſit. Attamen hic non reſtituitur, aut inſtauratur, quoniam ſemel proprietati conſolidatus vſufructuarij damnatione, non æquo iure inuito Domino, qui modo legitimo rei ſuæ dominium plenum ſibi quæſiuerat, iterum ſepararetur. Dices, agnoſcere videri Pomponium amiſſi vſusfructus reſtitutionem in l. Si ager XXIII. D. Quibus modis vſusfructus amittatur. Sed reſpondeo, nondum factam in eo caſu conſolidationem quæ tantùm fieri dicitur, quoties vel vſufructuario res acquiritur, vel Dominus rei vſumfructum, quem alius habebat, recipit: ſed proprietatem non minus quam vſumfructum inundatione agri occupatam, & poſſeſſoribus abreptam; quod ipſe Pomponius fatetur. Ideò recedente aqua reuertitur vtraque ſeorſim pars ad antiquam cauſam: hoc eſt proprietas Domino, vſuſfructus vſufructuario quæritur.

CAPVT

# CAPVT SEXTVM.

## De Bonis, quæ reſtituuntur.

I. *Reſtituuntur olim ablata, non poſteà delata.*

II. *Aliter ac in captiuo.*

III. *Pœna pecuniaria nondum ſoluta non petitur: ſed expenſæ tantùm litis.*

IV. *Reſtituuntur quæ ſunt penes Fiſcum aut hæredes damnati.*

V. *Arcadij & Honorij lex de non alienandis intra biennium bonis damnatorum.*

VI. *Hæredes reſtituunt quæ poſſident veluti ſub conditione ſi exul non redeat.*

VII. *Filius ſiue ſuus manet, ſiue in poteſtatem redit, bona parentis ei reſtituit.*

VIII. *Non ea quæ medio tempore ſibi quæſiuit.*

IX. *Ea verò quæ alienata ſunt, in reſtitutionem non veniunt: ſcilicet*

X. *Summa quæ parti læſæ fuit adiudicata.*

XI. *Quæ verus Dominus interim vindicauit.*

XII. *Quæ alienauit Fiſcus ex quacumque cauſa.*

XIII. *Niſi ea ad Fiſcum redierint ex cauſa lucratiua.*

XIV. *Et ante reſtitutionis tempus.*

XV. *Pretium rei alienatæ quando Fiſcus reſtituat loco ipſius rei.*

XVI. *Alienata etiam reſtitui non ſemel iubentur cauſa publicæ vtilitatis.*

XVII. *In reſtitutionem Iuſtitiæ omnia veniunt quomodocumque alienata.*

PRior Regulæ pars ita habet. Reſtituitur rebus olim ſuis, quæ ſcilicet ablatæ ſunt à deportato per damnationis ſententiam. Iam hic apertiſſimè denego reſtitui debere illa, quæ nondum in bonis, aut in actione habuit cùm damnaretur; ſed tunc primùm ei deferrentur, adquirerenturque, ſi manſiſſet in ciuitate: quæ ſcilicet non Iuris ſui perſequutione (quod aliàs dicit Triphoninus *a*) ſed ſpe futuræ perceptionis cenſentur. Propter quiddam ſimile, *præpoſterum eſſe* (aiebat Paulus *b*) *ante nos locupletes dici, quàm adquiſierimus.* Adeò res huiuſmodi non videntur ad exulem pertinuiſſe, vt nec reſtituto debeant repræſentari. Puta, legatum ciui fuerat: legatarius ante mortem teſtatoris deportatus, & poſt mortem reſtitutus, quoniam tempore mortis, quo dies legati ceſſit, incapax repertus eſt, ſemel irritum factum fruſtrà petet. Reſtitutio non eſt earum rerum, quæ ablatæ non ſunt. Legatum, ſiue hæreditas (namque vtriuſque ſimilis eſt, quantum ad rem ſpectat, acquiſitio) cuius dies nondum ceſſit, nempè ante mortem teſtatoris, non debetur: nec res ipſa, nec ad eam actio acquiritur. Quare ſi non auferuntur, nec reſtituentur. Quæque medio illo tempore deportationis nata ſunt, aut formam receperunt, ſtatim euaneſcunt; quia homo non eſt, in cuius perſonam perficiantur: quæque autem non medio tempore initium habuerunt, & vltimam formam, ſed antè deportationem ſcripta, toto illo pœnæ ſpatio, quòd ſequutum eſt, nondum ceſſerunt, videlicet quia ſub I.

a *In l. 47. De Pactis.*

b *In l. 63. princ. D. Ad Leg. Falcid.*

ſub conditione, quæ interim pendet, ſunt relicta, die tandem poſt reſtitutionem cedente, recipiuntur. Hoc totum deducere promptum eſt ex Vlpiano in l. Intercedit l IX. De Condit. & Demonſtrationibus l. c IV. D. eo-
II. dem tit. l. liber homo l. IX. §. IV. De Hæred. inſtituendis. Diuerſum vtique accidebat in captiuo redeunte: cui quidem fictio illa poſtliminij medium illud captiuitatis, & incapacitatis in conditionem integri ſtatus reformabat. Ideò, quia ciuis ſemper fuiſſe fingeretur, etiam medio illo tempore delata quærebat. Deportatis ſemper obſtat, quod deportationem paſſi ſunt: captiuis adeò ſua captiuitas aboletur fictione illa iuris, vt nulla ſigna eiuſdem maneant. Igitur ad ea, quæ abſtulit damnationis ſententia, pertinet, ac refertur reſtitutio. omnia, quæ confiſcata ſunt, in hanc veniunt: l. I. C. De
III. Sent. paſſis. Pœnæ etiam pecuniariæ non ſolutæ haud vltra ab eo petuntur. Solent tamen Fiſcales Aduocati expenſas in lite factas petere: quarum remiſſio nunquam cenſetur facta, cùm præiudicium contineant tertij alicuius, quod quidem reſtitutio non inducit: cap. Quamuis de Reſcriptis, in ſexto. Quod notat in Forenſibus quæſtionibus *c* Theſaurus iunior.

IV. Sed adiunximus hoc ita eſſe; ſi integra horum bonorum cauſa manet: hoc eſt penes eos reperiuntur, qui damnato ſucceſſerunt. Si ea vel Fiſcus, vel priuatus ſucceſſor aliquis vocatus lege, etiam tum poſſideat; nulla mora eſt, quin reſtituantur: nè vſurpatoris, ſiue iniuſti poſſeſſoris meminerimus; de quo tamen Vlpianus circa hanc reſtitutionem tacere noluit in l. XL. §. I. D. Ex quibus cauſ. Maiores &c. Hìc ab vſurpatore ait ea repeti, quæ cùm non eſſent deportato adempta, vſurpata ſunt: ſimili modo quæ adempta ſunt, & publica facta, iniuſto poſſeſſori auferentur. De Fiſco expedita res. Fiſci enim Dominus, ac diſpenſator Princeps eſt, qui damnatos reuocat. Nil ergo impedimento erit bonorum reſtitutioni, quæ Fiſcus poſſidet. Igitur imperfecta fuit, nec in integrum reſtitutio illa Othonis Imperatoris, qui non ablata omnia, *ſed reliquias Neronianarum ſectionum nondum in Fiſcum conuerſas reuocatis ab exilio conceſſit.* Nec ideo minùs Cornelio Tacito *d* viſum fuit *iuſtiſſimum donum, & in ſpeciem magnificum*: etiamſi Neroniani exules, (hoc fermè eſt iniuſtè damnati) pleniore benignitate digni videbantur. Nimirum, quin indulgentia generali, ad vrbem ſcilicet, non ad bona reuerterentur, minimâ etiam parte horum ditari beneficum fuit, & in ſpeciem magnificum. De quibus iterum ſecundo libro Hiſtoriarum, quòd beneficium hoc feſtinatione exactionis eorum, qui Fiſci præerant rationibus, vſu apparuiſſet ſterile; *nec eo ſegnius* (inquit) *inuaſerant domos, hortos, opeſq; imperij: cùm flebilis, & egens nobilium turba quos ipſos, liberoſque patriæ Galba reddiderat* (audis nudæ, ac generalis indulgentiæ verba) *nullâ Principis miſericordiâ iuuarentur.* Solet Fiſcus ea indulgere bona, quæ nondum ſuis rationibus fuerint illata ſiue, vt vulgus appellat, incorporata. Talia ſunt quorum nondum capta eſt, à Fiſci Procuratore poſſeſsio, aut quibus nondum affixus titulus, aut inſignia Principis *e*. Porrò quia reſtitutis Fiſcus quidquid ablatum fue-
V. rat non ſemel reddebat, quos nempè in integrum Princeps reſtituiſſet. Arcadius, & Honorius benignè diſpoſuerunt, nè vllus bona deportati per biennium integrum poſtularet: vt ſi triſtiorem fortunam Principalis vellet lenire benignitas, proprias à manu Fiſci facultates reuerſi ab exilio reciperent. Sanctio eſt in l. XVII. C. Theodoſ. de Bonis proſcriptorum.

VI. Agnatos etiam qui ex legali ſucceſsione omnia bona, vel partem accepiſſent, ea refundere, ac denuò cedere his, qui reſtituerentur, non iniuriâ obtinuit. Hi quidem damnati ſubſtantiam lege ſucceſsionis acceptam interim retinent, quia peregrè eſt, nec ad res ciuitatis pertinet antiquus earum facultatum Dominus: & tandiu retinent, quamdiu vacat locus agnati exulis;

*c L. 2. q. 58. n. 2.*

*d L. I. Hiſt.*

*e Plures cũ Farinacio in Fragm. criminalibus I. p. lit. B. n. 116.*

lis; in quem locum, ne bona vacarent, deſtinatione legum recepti ſunt. Neque verò ipſi aliquod ius in bonis, quorum Dominus ad vrbem redit, prætendere poſſunt : cum non aliter his debeantur, nec poſsideri ab eis bona fide poſsint, quàm nuſquàm apparente Domino. Hoc an aliquo iuris loco expreſſum ſit, certum non habeo. Verùm ex quo iubetur filius ſui iuris factus, Conſtantini ſanctione, in reſtituti parentis ditionem cum omnibus bonis redire; validum argumentum pro damnato, qui reuertitur, aduerſus alios ſucceſſores natum; quatenùs ſcilicet filio magis debentur, quàm cæteris propinquis paterna bona, quæ tamen filius ſecum adducit in reſtituti poteſtatem, nullo iure prætento legitimæ adquiſitionis. Atqui credere par eſt (in quo tamen coniecturis tantùm agimus) adhuc non redeunte filio in poteſtatem reuerſi parentis, videlicet antè Conſtantini tempus, bona ſaltem ea, quæ ab ipſo per ſucceſſionem acceperat, reddidiſſe, atque in manum reſtituti conſignaſſe. Diuerſiſſima ſunt redire cum bonis in patriam poteſtatem ipſum filium; & bona reſtituere filium, qui ſuus maneat. Vt filius rediret in poteſtatem, ſpecialibus verbis reditus debuit impetrari : quoniam inciuile videbatur abſque hac expreſſione patrem familias factum alieno iuri obnoxium denuò fieri l. IX. C. De Sententiam paſſis. Poteſtatis impetrato iure filius in antiquum ſubiectionis ſtatum omni tempore recipiebatur. Eodem prorsùs modo, quia reſtitutio in integrum id maximè continet, vt bona reſtituantur ablata, conceſsâ reſtitutione, omnia bona, penes quemcumque poſſeſſorem ſint, qui ex lege ſucceſſionis venit, ſignatiſſimè comprehenduntur. Manet igitur tam antè, quàm poſt Conſtitutionem Conſtantini reſtitutionem hanc ſpecialiter factam, atque integrè, quidquid bonorum damnati ad filios, propinquoſúe à die prolatæ ſententiæ perueniſſet, ablata his conſignaſſe in manum reſtituti, atque infudiſſe. Quod ipſum ex Iure noſtro Semptempartito teneri debet : ſimiliterque hodierno legis Taurinæ; ſi quis nempè damnatus, teſtamento, vt permiſſum fuit, per eam legem, facto, & ſcriptis hæredibus, per indulgentiam Principis in integrum reſtitutus ſit. Teſtamentum non niſi morte naturali confirmatur : quod interim dum ciuiliter tantùm mortuus eſt teſtator, ſcripti hæredes poſsident, non quidem pleno iure, hoc eſt irreuocabili; ſed vi legalis figmenti vſque ad mortem naturalem, tanquàm ſub conditione detinent, *niſi exul à Principe reuocetur.* Filius ergò amiſſa omnia bona olim à parente, cum damnatus fuit, in eius poteſtatem, dominiumque, quod redintegratur, defert. Signatè dicimus amiſſa deferre; vt ea quidem bona, quæ medio illo tempore, cùm filius iure ſuo ageret, acquiſiuit, in patris dominium redire negemus. Idque verbis Conſtantini Cæſaris in dicta l. vlt. ſententiam hanc noſtram contribuentes, qui verè hanc indulgentiam, reſtitutionemque, quantumuis pleniſsimam, vno, (vt inquit) nomine *amiſſorum omnium recuperationis*, ſignificare ſe ait. Quare ergò vim, & ſenſum verborum torqueamus; aut amiſſorum appellatione, quæ nuſquàm habuit, intelligamus? Certè ſuffragatorem habemus huius rei Baldum in Authentica *Excipitur.* C. De Bonis quæ liberis &c. quem in hoc laudat Gregorius noſter ad l. II. ſcholio V. quæſtione I. Tit. XXXII. Part. VII. Retinebit ergo filius in poteſtatem recidens ea bona proprio iure, non ſubiecta patriæ poſtati; æquè ac filiusfamilias miles iure Domini in caſtrenſibus fungitur : valebitque teſtamentum eius de his factum, vti Sfortiæ Oddi ſententiam ſequuti adnotauimus ſuperiore capite. VII. VIII.

Ea autem bona quæ non ſunt apud Fiſcum, nec agnatis, aut propinquis delata, minimè veniunt in reſtitutionem. Primò non venit, quod ei qui vindicatur, aut cognatis eius adiudicatum damnationis ſententiâ atque ex- IX. X.

 ſolutum

ſolutum eſt: puta occiſi hæredibus ex homicidæ bonis. Iure quidem, cùm offenſa, & damnum illatum reſtitutione illius qui offendit, non tollatur, nec iuſtum ſit auferri ea, quæ in ſolatium infuderat læſis ſententia. Sic placet Marco Antonio Peregrino *f*, & Tiberiano Deciano *g*, qui quamplures pro ſe adducunt. Nec tamen deſtituitur pars altera quorundam Interpretum ſponſione, quos laudat, & ſequitur Sfortia Oddus *h*. Adeò nil eſt in iure certi, ſi auctoritate, non ratione ducimur. Sanè ſi non tanti ſunt ſuperiùs conſideratæ: argumentum ex Gordiani quodam reſcripto ineuitabile eſt: vbi pœnam edicto adiudicatam patrono, qui veniâ non impetrata vocatus in iudicium fuerat à liberto, remitti à ſe reſcripto iniquum exiſtimat Imperator l. II. C. De In ius vocando. Item illa bona quæ poſſidebat damnatus,

XI. ſed à vero Domino vindicata ſunt per tempus damnationis, non recuperat. Hoc ita ſi ius Domini certum ſit, nec in quæſtionem; quod Baldus adnotat

XII. in l. Si quos. C. De Captiuis. Deinde in reſtitutionem non veniunt, quæ Fiſcus alienauit: ſiue ex oneroſa cauſa, vt vocant, ſiue ex lucratiua in tertium aliquem ſint tranſlata. Ratio eſt, quia Princeps priuati iure vtitur ſaltem in contractibus: nec vllo tempore ab his recedit l. VII. l. III. C. De Reſcind. Vendit. l. V. & VI. C. De Fide & iure haſtæ Fiſcalis lib. X. Toto tit. in eodem libro. Ne Fiſcus rem, quam vendidit, euincat. Et omninò non permittit alienationes Fiſcales, quæ vel donationis, vel contractus cauſam continent, inquietari. l. II. l. vltima. C. De Quadriennij præſcriptione. Quidquid concedit inſuper, non eſt credendus iuri alterius derogare velle, aut damnum parere l. II. §. X. & XVI. D. Ne quid in loco publico &c. l. XLIII. in principio D. De Vulgari &c. Ideò hanc partem cum innumeris aliis tuentur, qui rem diligentiùs tractant, Peregrinus *i*, Decianus *k*, Oddus *l* iam laudati & Ioannes Marcus Aquilinus in Commentario l. Gallus §. & quid ſi tantum *m*. Quamuis contradictores ſint, qui in ſolidâ, & ampliſſimâ reſtitutione, quantumuis gratioſâ, venire omnia, quoquo titulo alienata, exiſtiment. In Gallia temperamentum hoc placuit, venire ſcilicet in reſtitutione gratiæ dumtaxat ea, quæ in tertium tranſlata ſunt titulo lucratiuo; in reſtitutionem autem iuſtitiæ, ea etiam quæ tit. oneroſo, vt ex Papponio *n* docet Petrus Franciſcus Tonduti quæſtione ciuili XLII. Sed ſine dubio eſt congruum magis, & conſentaneum rationi, ea tantùm venire in gratiæ reſtitutionem, quæ præſenti tempore ſunt apud Fiſcum: nec auellenda eſſe à nouo Domino, cui Fiſcus donauit. Quare enim hoc ius quæſitum quamuis gratioſum cedere debeat gratioſæ reſtitutioni? Videndus quoque ſuper hac re Theſaurus iunior lib. II. quæſtionum forenſium quæſtione LVIII. num. I. Huiuſque gratiæ reſtitutionis, deſignato à nobis, & æquiore modo eſt concepta forma in cap. I. Concilij Toletani XIII. vbi de reſtitutione ad famam, & bona eorum agitur, qui contra Vuambanem Regem cum Paulo coniurauerant.

XIII. Si tamen in Fiſcum redierint bona, & maneant eo tempore, quo indulgetur reſtitutio, nihil impediet alienata olim fuiſſe. Nam Princeps velle cenſetur ad ea omnia reuocatum reſtitui, quæ ſua fuiſſent; quæque abſque eo, quòd aliis noceatur, concedere poteſt. Vide ſis Emmanuelem Coſtam in commentario eiuſdem legis ſi Gallus §. & quid ſi tantum *o*. Quod tamen niſi hoc modo temperatum diſplicuit D. Franciſco Sarmiento doctrina, & dignitate viro ſpectatiſſimo, dum eundem §. memoratæ legis explicat in lib. V. Selectarum *p*. Vt non aliter veniant in reſtitutionem, quam ſi ex præcedenti cauſa res ad Fiſcum redierit: ſecus eſſe ſi Fiſcus à ſe alienata denuo ex nouâ cauſâ recipiat: nempè facultatibus eius, cui rem vendidit, aut donauit, in publicum poſteà redactis. Ego magis probo reſtitutum videri

quidquid.

*f* Lib. 5. De Iure Fiſci Tit. 1. n. 39 & 54.
*g* L. 3. Tra. crim. c. 35. n. 53.
*h* De Reſt. p. 1. q. 95. art. 11.
*i* L. 5. tit. 1 n. 34.
*k* Dicto c. 35. n. 56.
*l* q. 99. art. 6.
*m* Verſ. quid enim n. 96.
*n* L. 24. n. 17. Arreſto 13. circa finem.
*o* 1. p. n. 45.
*p* n. 64.

quidquid ex antiquis damnatis bonis Fiſcus quacumque ex causâ poſſidet
eo tempore quo reſtitutio conceditur: excepto tamen, ſi quid ex cauſa o-
neroſa de nouo habet: puta rem publicatam vendidit, donauitúe; poſteà
emit: non vtique hæc reſtituetur. Non quidem, ea ratione, quia ex aliâ
causâ iam poſſidet à priore illa confiſcationis diuerſa, quod Sarmientus cre-
didit: ſed quia Princeps ad ea cenſetur exulem reuocare, quæ integra ſunt
penes ſuum Fiſcum; hoc eſt, quæ reſtitui poſſunt, quin Fiſcus quidquam
extra ipſas res impendat: quod vtique fieret, ſi ea quæ prætio emit, reſtitue-
ret. Sed puto, ex vi reſtitutionis oblato prætio, quanti empta ſunt à Fiſco
res damnati, reſtitutus auferet à Fiſco.

Placuit tamen hæc non reſtitui, quæ Fiſco eſſe cœperunt, poſtquam ce- XIV.
lebrata eſt ſemel reſtitutio. Eas enim res comprehendit Principis indulgen-
tia quæ tempore illo penes Fiſcum ſuum eſſent. Quid ſi rem vendidit, ſuiſ- XV.
que rationibus prætium intulit Fiſcus? Anne pro reipſa prætium, quod rei
loco eſt *q*, præſtabit reſtituto? Æquum id exiſtimauit Bartolus in L. vlt. C.
De Sent. paſſis, probatque Peregrinus *r*. Vix tamen aliis placet, ſi expreſ-
ſum non ſit, alienata vt reſtituantur, vti obſeruat Menochius ex Decio,
Conſilio CIII. *ſ* Quod factum non ſemel vtilitatis publicæ cauſa, & quoniam XVI.
ita conceptæ ſunt fœderis, aut pacis tabulæ: quemadmodùm Spartani à
Phliaſiis olim extorſerunt reditum Phliuntis exulum eâ conditione, vt poſ-
ſeſſiones, quas quidem eorum eſſe palam conſtaret, eis reſtituerentur; ſo-
luto his pretio de publicâ pecuniâ, ad quos eæ perueniſſent ex venditione
publica: quod Xenophon lib. V. Hiſtoriarum Græcarum refert. Hæc et-
iam verba ſunt Latina è Græcis Pauſaniæ in Corinthiacis de Arato. *Domus,
& prædia, quæ diuendita fuerant, emptoribus prætio diſſoluto exulibus cum reddi-
diſſet, diſsidiorum, & controuerſiarum cauſas concordia ſuſtulit conſtituta.* Aliàs
obligare ſe Princeps poteſt tantum vt pendat annui reditus, quantum re-
ſtitutorum intereſſet res ſuas recipere: cuius moris exemplo Venetorum
reipublicæ Peregrinus meminit *t*. Vires, ac neceſsitatem publicæ vtilitatis
expendere & commendare noſtris Iuriſconſultis *u* frequens eſt, ac ſolem-
ne. Si extra hanc cauſam, quæ Reipublicæ commodo cenſeatur, alienata
reſtitui iuſſit Princeps; de his tantum explicari debere formam edicti arbi-
trantur quæ liberalitate Principis, non quæ ex contractu ad alios peruene-
runt; exceptis ſemper rebus eccleſiæ præſtitis, hi quos in ore habeo, De-
cianus, Oddus, Peregrinus *x*. Multum enim differt hæc reſtitutio, quæ in- XVII.
dulgetur à Principe, gratiæque appellatur, ab altera, vt vocant, iuſtitiæ:
quæ quidem poſterior, quomodocumque alienatæ ſint res, poſſeſſoribus
aufert, vt reſtituto conferat: quod aduerſus Lancilotum Galiaulam, qui ſo-
lus eſt pro inficiali parte, iam laudati Scriptores tuentur, Coſta *y* ſcilicet, Pe-
regrinus *z*, Decianus *aa*, Aquilinus *bb*, & plures laudati à Couarruuia lib. I.
Variarum cap. V. nu. 6.

q *L. 25. §. 17. De Hæredit. petit.*

r *Dicto Tit. 2, n. 27.*

ſ *n. 30.*

t *d. Tit. 2. n. 67.*

u *Vide Oddũ d. q. 99. art. 8. Ioãn. Steph. Durantiũ c. 28 Theſaurũ l. 2. qu. forenſium q. 58. n. 10.*

x *Decianus d. c. 35. nu. 62. Peregrinus d. Tit. 2. n. 75. Oddus q. 99. art. vlt.*

y *d. 2. p. n. 49.*

z *d. tit. 2. n. 45.*

aa *d. c. 35. n. 85.*

bb *d. §. & quid ſi tãtum n. 122.*

CAPVT

# CAPVT SEPTIMVM.

## De Fructibus bonorum.


I. *Reſtituuntur ea tantùm, quæ ſententia abſtulit: non fructus interim à Fiſco, ſiue ab aliis percepti.*

II. *Quomodo plenè ſit interpretanda Indulgentia Principis.*

III. *Gratiæ & Iuſtitiæ reſtitutionum ſenſus, & ſignificatio diuerſa.*

IV. *Exemplum in Marco Tullio de Iuſtitiæ reſtitutione.*

V. *Aliud in Edicto Conſtantini & Licinij pro Chriſtianis.*

VI. *Authentica idem eſt de Neſtorianis explicatur.*

VII. *Fructus veniunt eius temporis, quo nata eſt iam reſtitutionis cauſa.*

VIII. *Fructus omnes quandoque reſtituti.*


I. DE fructibus interim perceptis, ſiue à Fiſco, ſiue ab alio poſſeſſore, rerum reſtituendarum non conuenit inter neotericos Iuris auctores: nam duo ex his Iaſon *a.* & Nellus de Santo Geminiano, qui vltimus iura exulum, ſiue (vt ex ſæculi vſu ipſe vocat) bannitorum diligenter collegit, examinauitque in Tractatu ſuo de Bannitis *b:* Hi duo, inquam ad fructus extendunt reſtitutionem: quibus alij acceſſerunt ab Oddo Sfortia adducti eadem quæſtione XCIX. art. XIIII. Poſt omnes Antonius Corduba de Lara, ſaltem earum rerum quas reſtituit Fiſcus, à ſe detentas, in reſtitutionem venire fructus opinatur in Commentario L. Si quis à liberis *c.* D. De Liberis agnoſcendis. Sed tamen contraria ſententia ſummâ nititur æquitate, vulgoque magis probatur *d.* Reſtitutio ea ſolum reponit, quæ ſententia abſtulit: medium tempus pœnæ non iniuria perit exuli, & iuſtè punito; nec reuertitur, aut repræſentatur cum commodis ſuis, & perceptionibus redeunti. Non enim hic intellectus eſt indulgentiæ etiam ſpecialis, ſiue in integrum reſtitutionis gratioſæ; vt qui reſtituitur, nunquàm fuiſſe damnatus intelligatur: Sed hic potiùs, vt ab iuſtè irrogatâ pœnâ per indulgentiam Principis in poſterum liberetur. Nec ſine Iuris auctoritate rem tranſigunt, quibus ita placet. Adducunt enim pro ſe Iuſtinianum in Authentica. *Idem eſt, De Neſtorianis.* in Cod. Tit. De Hæreticis. Adducit inſuper Emmanuel Coſta nouum argumentum ex cap. Ad noſtram. De Rebus eccleſiæ alienandis vel non.

*a In cõm. §. & quid ſi tantũ n. 64* *b Prima ſ. 2. temporis n. 7.* *c §. Sed vtrum n. 13.* *d V. Oddũ d. art. 14. Sarmientũ vbi proximè nu. 65. Peregrinũ d. Tit. 2. n. 61. Laram. nu. 11. Couarr. 1. var. 3. n. 15. Gregorium in l. 2. gloſſa 5. Tit. 32. P. 7 qui cõmunem opinionem vocat, & ex veteribus Pragmaticis Baldo, Angelo, Alexandro, & Ioanne de Platea confirmat.*

II. Attamen Lara noſter in eo hæret: nec videt, quomodo pleniſſimè interpretemur Principis indulgentiam, (vti debere fieri Iauolenus monet in l. III. De Conſtit. Principum) niſi fructus perceptos Fiſcus reſtituat. Rectè quidem Iauolenus; quod & inculcat libro de Reſurrectione Carnis Tertullianus his, *cum ſæcularium Principum plena ſemper indulgentia vindicetur.* Hoc tamen intelligendum eſt non vltra fines vniuſcuiuſque rei naturæ. Differunt quidem vtraque reſtitutio gratiæ, & iuſtitiæ præſertim in eo; quòd altera, ſcilicet gratiæ, eatenùs valet, vt publicata reddantur; de tempore intermedio non cauet: nec præiudicium aliquod priori ſententiæ facit; ſed pœnam indulget, quæ ad illud tempus iuſtiſſimè reum affecerat; reum ſcilicet ſaltem contumaciæ *e.* Hæc ergo eſt pleniſſima interpretatio huiuſmo-

*e L. 2. C. De Requir. reis.*

di

di beneficij principalis, vt tantundem reuerſus accipiat, quantum abſtulerat damnationis ſententia. Fructus planè à vero Domino, (quod Fiſcus eſt) percepti non fuerunt tempore ſententiæ in bonis publicatis. Quâ ipsâ ratione inualuit, nè poſſeſſor rei alienatæ in creditorum fraudem, perceptos à ſe medio tempore fructus reſtituat; ſed eos tantùm, qui tempore alienationis, terræ, hoc eſt tradito fundo, hærebant: quia hi nempè in bonis fraudatoris fuerunt; illi minimè: vti ait Venuleius in l. vlt. §. IV. D. Quæ in fraudem creditorum &c. Quod quidem in bonæ fidei poſſeſſore, qui ipſe non admiſſit fraudem, contingit. Nec vltra valet præcepta apud Iuris auctores in fraudationis hac cauſa fructuum reſtitutio in l. x. §. xx. D. eodem titulo l. xi. D. Si quid in fraudem patroni &c. & aliis pluribus. Niſi adſcribamus huic reſtitutioni propriam alterius naturam quæ iuſtitiæ eſt. Huius nempè hic III.
eſt intellectus vt perinde ſint omnia, atque ſi nihil alienatum eſſet; ſed is ſemper habuiſſet, qui reuertitur l. xxxviii. § iv. De Vſuris l. lxxv. De verb. ſignificatione: & vt omnis cauſa reddatur, quam habiturus eſſet, ſi nihil ei ablatum fuiſſet l. xxxv. & omnis vtilitas l. lxxxi. D. eodem Tit. verbo; ita abolet quod factum eſt, vt reſtitutum fingat retro Dominum: quæ ſimilis poſtliminium captiui fictio comitatur. Idque iure, nè qui propter calamitatem captiuitatis, ſiue abſentiam, ætatiſue imbecillem conditionem, aut ſimiles his cauſas, rerum ſuarum iacturam fecerat, auxilio iuris, eoque pleniſſimo, ad recuperandam omnem cauſam, & vtilitatem deſtitueretur. Simillima eſt, atque eadem fictione Iuris adiuuanda reuocatio, quæ ab exilio fit, ſiue aliâ pœnâ per iniuriam irrogata. Hæc enim non gratioſa eſt, ſed iuſtiſſima, debitaque veteris ante ſententiam ſtatus inſtauratio: diſtatque ab alterâ, quæ indulgenter conceditur, hoc totum, quod inter ſe differunt neceſſitas, & beneficium. In quam omnia bona reſtituti, etiam alienata à Fiſco ex titulo oneroſo venire tenent Doctores *f*. Apponam exemplum pro IV.
modo obſeruando, ad extenſionem cùm deuenimus Principalium beneficiorum, in Ciceronis reditu poſt damnationem Clodiæ legis. Plebs nimirùm ſciuit, vt etiam reſtitutæ domus, & villæ, quas diruerat, Clodius, ex publico inſtaurarentur: cuiuſce rei auctores ſunt Plutarchus in vita Ciceronis, & Appianus bellorum ciuilium libro ſecundo. Æquum hoc; quia per inuidiam, & iniquiſſimè fuerat eiectus; cuius nempè exilium conſulatu ipſo honeſtius appellare non dubitauit Marcus Seneca in Suaſoria quadam *g*. Quòd ſi propter aliquod crimen, iuſteque damnatus fuiſſet, eiuſque dirutæ domus, & villæ; putaſnè in beneficium reſtitutionis pleniſſimè accipiendam id venturum quoque, vt Fiſci impendio quidquid diſiectum eſſet, inſtauraretur?

Exemplum aliud huiuſmodi reſtitutionis, quam iuſtitiæ vocamus, præ- V.
bet Edictum Cæſarum Conſtantini & Licinij pro Chriſtianis; quod adducit Euſebius lib. ix. Hiſt. Eccleſ. cap. v. Nec turbet, quòd Licinius parum æquo in Chriſtianos animo, his conſuluiſſe vix credatur. Nam hoc in gratiam Conſtantini factum, licet ab ethnico Imperatore, ipſa rei inconcuſſa fides tam idonei auctoris teſtimonio innixa extra dubitationis aleam ponit. Conſtantinus apud Romam deuicerat nuper Maxentium; ſummaque omnium ordinum gratiâ ipſum orbis, & Imperij caput, & maximam eius portionem tenebat: eiuſque ſororem Conſtantiam nouo ſibi coniugio Licinius Mediolani, qua vrbe creditur datum Edictum, copulauerat. Verba reſcripti apud Euſebium, quæ ad nos pertinent, Latina ex Græcis, ea ſunt de locis Chriſtianorum. *Si qui vel à Quæſtore noſtro, vel ab alio quopiam, ea emiſſe videantur, Chriſtianis abſque argento, abſque vlla repetitione prætij, quod in illis emendis collocauerint ſine omni morâ, & dubitatione reſtituant. Et ſi qui ipſa loca*

*f Cumanus, Coſta, & Alciatus in l. Galleſ. & quid ſi tamen ex. dued. q. 99. n. 116. Peregrinus de Iure Fiſci Tit. 2. n. 44.*

*g Suaſoria d. alias 8.*

*pro munere fuerint adepti, vt ipſis Chriſtianis quàm celerrimè reddant : & ſi qui ea aut coëmerint, aut dono acceperint, aliquid à noſtra bonitate poſtulent. Præfatumq̨, qui regioni in qua habitant, præeſt, adeant : quo ipſorum etiam à noſtra munificentiâ prouiſio, & cura ſuſcipiatur.* Hæc Euſebius ex ipſo Edicto, quod Cæſar Baronius affert tomo tertio Annalium anno CCCXIII. ſectione V. Quod ipſum anno proximè inſequenti Maximinus per Orientem Auguſtus ſuo quoque edicto cauit apud eundem Euſebium lib. IX. cap. VIII. à Baronio etiam adductum anno CCCXIV. ſectione V.

Planè hac potiſſimum ſic explicatâ ratione moueor, non vllo Iuris loco, vt ſequar hanc partem; Laræque noſtro, & aliis non aſſentiar; ſiquidem hic rectè cenſet pertinere ad Iuſtitiæ cauſam, non tamen ſine admixtione gratiæ, Iuſtiniani eam conſtitutionem, quæ vulgò creditur beneficæ tantùm

VI. reſtitutionis exemplum. Planè admixtum quid beneficij, ac neceſſitatis, ſiue gratiæ, & Iuſtitiæ continet hæc Authentica. *Idem eſt de Neſtorianis*, quæ tranſcripta eſt in l. VII. Tit. VII. Part. VI. Cauſa ipſa iuſtiſſima eſt; vt qui ad fidem conuerterentur Catholicam & Orthodoxam, non vltrà viuerent paternis facultatibus ſpoliati. Sed quia indigni videbantur pleniore reſtitutione illius temporis nomine, quo deuiarunt à recta eccleſiæ fide; placuit hæreditarias præſtari res, quin fructus ipſarum præſtarentur. De altero tibicine huius partis videndi ſunt ipſe auctor Coſta, Sarmientuſque locis ad-

VII. ductis, ac Didacus Couarruuias lib. I. variar. cap. III. Regulâ rem determinabo, quam excogitauit prudenter Sarmientus; fructus venire eius temporis, quo nata erat iam reſtitutionis cauſa. Ideò in læſorum reſtitutione, quia iam à tempore læſionis cauſa illa ſuberat, fructus reſtitui debent: in reſtitutione hæreticorum, qui ſuis erroribus renuntiant; item damnatorum, qui ex indulgentia reuocantur, quoniam cauſa reſtitutionis hodie naſcitur, fructus iure non veniunt. Porro adnotatum apud noſtros [h] reperio fructus earum rerum, quæ à tyranno acceptæ ſunt, quia mala fides præſumitur, in reſtitutionem venire.

Hæc diſputamus quoties de fructibus nil ſignificatum eſt in reſtitutione:

VIII. ſunt attamen exempla fructuum reuerſis reſtitutorum. Suetonius de Caio Cæſare [i]. *Si quibus regna reſtituit, adiecit & fructum omnem vectigaliorum, & redditüum medij temporis, vt Antiocho Comageno LLS. Millies confiſcato.* Fortè Antiochus ex his erat, quos nominatis in genere Galliarum, & Hiſpaniarum, Syriæ, & Græciæ Principibus, ob leue genus calumniarum confiſcaſſe apud eundem ſcriptorem [k] Tiberius dicitur. Et conſcius iniurioſæ iſtorum ſpoliationis Caius fortaſſe, medij temporis compendia, & fructus in reſtitutionem venire voluit. Aliis hoc ipſum ſedit, ambitionis cauſa, in reſtitutione iudicium. Præſtat exemplum rei Polibius in his excerptis, quæ ad vitia, & virtutes expectantia Conſtantinus Imperator Porphyrogenneta præcipua habuit, vt in collectionem ſuam Henrici Valeſij beneficio iam publicam coniiceret. *Perſeus* nempè *Rex Macedoniæ renouatâ cum Romanis amicitiâ, cùm & Græcos omnes demereri clementiæ famâ vellet, exules in Macædoniam euocauit; edictis palàm propoſitis, quibus non modo impunitatem, ſed etiam bonorum omnium reſtitutionem cum fructibus ab eo tempore, ex quo quiſque exularet, poſtliminio redeuntibus concedebat.* Hæc Polibius.

h *V. Boſſiũ in Praxi. Tit. De Princip. n. 42. & 48.*

i *In eius vita c. 16.*

k *In Tiberio c. 49.*

CAPVT

# CAPVT OCTAVVM.

## De Iuribus quæ olim competebant vel ſperabantur.

I. *In ſpecie reſtituti recuperant Iura libertorum.*

II. *Item reſumunt iura agnationis, Suitatis, & ſimilia.*

III. *Et annui legati capiendi.*

IV. *Sed non illa, quæ negligentiâ ſuâ in exilio amiſſerunt.*

V. *Actiones eis reſtituuntur. Si bona reſtituuntur: atque illæ quidem non vtiles, ſed directæ.*

VI. *Poteſt tamen adhuc bona reſtituta creditoribus cedere.*

VII. *Quæ Fiſcus nõdum intulit ſuis rationibus bona, ad Fiſcum pertineant, an ad reſtitutum.*

VIII. *Quæſita in exilio retinet etiam generaliter reſtitutus.*

IX. *Partem publicatæ ſubſtantiæ nondum in Fiſcum coactam, cum reuertitur, non retinet.*

DE bonis hactenus. Iura nunc perſequamur interim aliis delata, ſeu pro- I.
ximiore ſpe deuorata. Ius patronatus in libertos redit. Docent Hermo-
genianus & Vlpianus in l. XXI. in principio D. De Iure Patronatus, l. III. §. VII.
De bonis libertorum l. I. De Sententiam paſſis. l. X. §. VI. De In ius vocando.
Aliter atque generali indulgentiâ reuerſis quibus vt obnoxij denuò fierent
antiqui liberti, beneficio altero Principis fuit opus. Ea Taciti mens libro
ſecundo Hiſtoriarum. *Gratum primoribus ciuitatis etiam plebs approbauit, quòd
reuerſis ab exilio iure libertorum* Vitellius *conceſſiſſet.* Videtur tamen quibuſ-
dam Interpretum nuda etiam indulgentia libertos reſtituere; hoc ſenſu ac-
cipientibus Hermogeniani, & Vlpiani regulam. Quod non credimus. At
operarum emolumenta, quæ fructus Iuris patronatus ſunt, ab eo percepta,
qui in deportati locum ſucceſſerat, non reſtituuntur. Iura alia agnationis, II.
cognationis, & ſuitatis, & quæque ciuis habere poteſt, exul non poteſt;
competere incipiunt ſtatim atque in ciuitatem reuocatur damnatus l. I. §. IV.
D. Ad S. C. Sillanianum. In Iure ſuitatis Accurſium, qui ex l. I. in fine D.
De bonorum poſſeſſione contra tabulas rei auctor eſt, cæteri ſequuntur eo
nouiores. Deturbat filius reſtitutus in ciuitatem, & in poteſtatem parentis,
nepotem, qui locum eius ſubintrauerat *a*: ceditque nepos iure ſibi in tem-
pus, & quaſi ſub conditione, ſi pater eius non reſtitueretur, quæſito. Non III.
minùs reſtituitur in ciuitatem quomodocúmque reuocatis ius capiendi le- *a Coſta & Sarmiẽtus in §. & quid ſi tãtum: Retes l. I. De Interdictis c. 6*
gati annui, quod relictum eis dum in ciuitate eſſent, exilio ſuſpenſum man-
ſit, veluti conditionale: iuxta regulam legis. Intercedit l. IX. De Condit. &
demonſtrationibus. Legatum in ſingulos annos ex Sabini ſententia non v-
num, ſed plura legata ſunt; primi anni purum, ſequentium conditionale:
ineſt namque ea conditio, *ſi viuat:* l. IV. De Annuis legatis l. X. Quando dies
legatorum cedat l. I. §. XVI. Ad legem Falcidiam: & per ſingula legata ius
capiendi inſpicitur: l. XI. De Annuis legatis. Incipiet ergò recipere annua
ea poſt reditum: proximi nempè, qui ſequitur, anni legatum; non illius,
quo rediit: nam cum dies huius initio anni ceſſerit; l. XII. in principio D.
Quando dies legatorum cedat; poſt diem legati cedentem, quamuis eodem
anno redeunti non adquiritur, ſed manet hæredis: l. V. in fin. D. eodem ti-
tulo: At ea non reſtituuntur de quibus cauere ſibi potuit in exilio. Puta non IV.

 debet

debet ei prorogari reſtitutionis ex cauſa ætatis tempus ſi minor fuit , quia abfuit : cùm potuerit per Procuratorem agere : quod ex Papiniano Vlpianus docet in l.xx. D. De Minoribus.

V. Lites quæ cœptæ ſunt, & propter pœnam interruptæ, tam ab eo motæ, quàm ab eo exceptæ, qui ab exilio reuertitur , non aliter inſtaurantur, redintegrãturque, quàm receptis bonis: l.xi. C. De Sententiam Paſſis l.v. eodem titulo : de quo Faber agit in Iuriſprudentia Tit.xi. Principio iii. Illatione vii. Actiones enim omnis generis reſtituuntur cum reſtitutione bonorum : ſiue obligationes; quod idem eſt : Pauluſque hoc poſteriore verbo vtitur in tradendâ regulâ, cum ait, *Princeps bona concedendo videtur etiam obligationes concedere* l.xxi. D. De Verborum ſignificatione : quam Albericus Gentilis multis modis explicat in commentario ad hunc titulum. Et iuxta prædictum ſenſum verba Sceuolæ accipienda ſunt in l. xxx. De obligationibus, & actionibus. Aliàs in cauſa bonorum publicatorum remanent: dicta l. v. C. De Sent. paſſis. Agit ergò, & conuenitur antiquis actionibus l.iv. eodem titulo : directis nempè, quas habuit ante damnationem, & ſuſcepit; etenim hæ redintegrantur; non vtiles naſcuntur : qui ſenſus eſt Papiniani in l.iii. eodem ipſo titulo in Digeſtis. Tu, lector, vti poteris Antonij Fabri opera de hac re diligentiore *b*. Nos tantùm perfunctoriè per iura hæc reſtitutorum, quia vel hactenùs oportebat ſcire te , qui Exulem noſtrum interrogas , & per ſumma tractationis capita ſtylum ferimus , contenti, quod hic deeſt, alio te remittere. De reſtitutione quidem actionum, & quatenùs priores conſumptæ inſtaurentur, aliqua nos ſuperiore capite vigeſimo quinto libri ſecundi, cùm de fideiuſſoribus deportati quæſtio eſſet, non hîc retractanda ſcripſimus : quæ ſuppleri poſſunt ex aliis aliorum *c* obſeruationibus.

b *Dicto Principio 3. Illat. 4.*

c *Fabri d. principio 3. Illat. 5. Cuiacij 9. l. q. Papin. in leg. ſi debitori 47. De Fideiuſſ. Peregrini l. 5. De Iure Fiſci c. 1. nu. 55. Maceratenſis l. 2. Reſolutionũ c. 42. n. 23.*

VI. Planè is, cui bona reſtituta ſunt, non eo ſe liberat actionibus, exoneratúe, quòd ea nolit attingere, aut oblata recipere. Verum recepta cedere creditoribus poteſt, vtique beneficio nulli, nuſquamque denegato, ceſſionis bonorum. Nec aliam ſententiam Vlpiani, niſi temerè, eliciunt nonnulli ex l.ii. D. De Sententiam paſſis. Inuident ſcilicet magnâ iniuriâ ei, qui reſtituitur, hoc beneficium alioqui commune, & paratum omnibus, Ludouicus Romanus ſingulari ccxii. aureum & ſingulare in hoc exiſtimans Vlpiani teſtimonium; aliique Romanum ſequuti, Iaſon *d* atque Sozinus. Sed refelluntur hi generali regulâ legis vltimæ C. De Sent. paſſis : recuperationem omnium amiſſorum eſſe nempè reſtitutionem : atque ipsâ æquitate, quæ non permittit recèns ornato ſuæ ſubſtantiæ ac priſtini ſtatus poſſeſſione flebile iſtud, ac miſerabile ceſſionis bonorum auxilium denegari; quo quiuis vtitur iam à Iulia lege : & ipſe vti poterat ante damnationem : de quo Titulus inſcriptus eſt in Codice, *Qui bonis cedere poſſint*. Hoc, exceptis nuper memoratis, nulli non placet ex recentioribus *e*.

d *In §. vltimo nu. 22. Inſtit. de Action.*

e *Coſta d. 2. p. n. 42. Aquilino in §. & quid ſi tantum verſic. quid enim n. 90. Oddo pa. 2. q. 97. art. 4 Sarmiento n. 72.*

VII. Reſtant quærenda duo, mantiſſæ loco, regulæ ſuperioris, de his, quæ Fiſcus nondum intulit ſuis rationibus; ad ipſum Fiſcum nè , an ad reſtitutum pertineant. Et quidem in eo, qui ad bona omnia reuocatur , in aperto res eſt : ſi quidem vel à Fiſco poſſeſſa ei reſtituuntur , quæ ipſe damnatus etiamnum retinet , potiori ratione non auferri. At illius, qui pœnâ tantum liberatur, nec ad bona redit, nomine, non inutiliter quæremus hæc duo. Alterum eſt, ea, quæ in exilio deportatus quæſiuit permiſſo ſibi iure,
VIII. quæ tamen, ſi in damnatione mortuus eſſet, Fiſco erat infuſurus, ſi generali indulgentiâ, hoc eſt abſque bonis, redeat in ciuitatem, an Fiſco inferat, an apud ſe retineat. Et quidem in metalli damnato noluit hoc ambigi Gordianus Imperator; *ſi quid rerum is habuit ad ius Fiſci potiùs, quàm ad ipſius dominium*

*nium pertinere, reſcribens* in lege IV. C. De bonis proſcriptorum. Sed argumentum non valet à ſeruo pœnæ ad liberum hominem, qui ſibi proprio iure acquirit. Seruus pœnæ adquirit Fiſco, cuius & ipſe eſt: deportatus autem ſibi ipſi. Nec Fiſcus eas res, cum ille moritur, tanquam ſibi dudum quæſitas, in rationes ſuas cogit: ſed tanquàm deportati res, cuius ea eſt legibus conditio, nè alium, quàm Fiſcum, poſſit moriens in deportatione hæredem habere. Quare exiſtimo Iuri hoc eſſe conforme, ne quid ex bonis nondum publicatis de nouo auferatur ei, qui per indulgentiam reuertitur; quantumuis bona ei non reſtituantur. Aliud enim eſt; quòd Fiſcus ablata, & publicata non concedit: aliud, & ſanè diuerſiſſimum, quòd illa non aufert, quæ à deportato ſperabat, ſi non ei pœnam indulſiſſet. Vnde fit, hoc amplius eſſe in beneficio indulgentię generalis, præter pœnæ abolitionem, nempè vt retineatur id totum, quod auferendum erat, ſi pœna non remitteretur. Alterum eſt quod quærimus: ſi pœna remittatur, antequam omnia IX.
bona damnati Fiſcus vindicauerit, adhuc nè illa pars nondum coacta, in Fiſcum ſit cogenda. In quo remiſſam videri hanc partem ex indulgentia ipsâ Sarmiētus *f* arbitratur; exemplum quoddam pro ſe aduocans ex l. VIII. §. V. De Peculio legato: vbi ſeruo remiſſa videtur in legato libertatis cum peculio pars nondum ſoluta prætij, quod pro capite ſuo pepigerat. Sed contrarium prorsùs verò mihi magis videtur ſimile; cùm remiſſio pœnæ, publicationis factæ non ſit remiſſio: nil enim de bonis, quæ à tempore ſententiæ ad Fiſcum pertinent, remiſſum ideò videri debet, quia pœna indulgetur. Quare ſpeciali reſtitutione opus eſt huius partis, quæ nondum collecta eſt in Fiſcum, vt eam reuerſus ſibi retineat. Neque vrget ſerui exemplum cui ſanè voluntas teſtatoris adeò fauet, vt nihilominus voluiſſe credatur, quam reſiduum prætij ab eo exigi; ſi quidem non libertatem tantùm, (quæ quidem aliàs, fateor, debita videri poterat, ac per legatum pacto ſtari & fides liberari) ſed peculium etiam remittit. Qui autem ſeruo ſuo legat peculium, multò magis gratuitam libertatem legaſſe credendus eſt. Et fauore libertatis, aliàs multa excuſantur extra regulas Iuris: quò ſanè, ſi voluntas teſtatoris, non tam perſpicua eſſet, nondum recurreremus. Hucuſque ſunt eorum ferè omnia iura, qui quomodocumque in ciuitatem reſtituuntur.

*f In §. & quid ſi tantum n. 73.*

# CAPVT NONVM.

## De Nomine Banni hodierno, & Bannitorum differentiis & Iuribus.

I. *Banni nomen hodie pro exilio.*
II. *Quod à tempore Gothorum vſurpatur.*
III. *Variæ ſententiæ de huius etymo.*
IV. *Huius vocis ſignificatio princeps.*
V. *Aliæ ſignificationes ſequiores.*
VI. *Bannum pro mulcta, ſeu Heribannum.*
VII. *Bannum, βάνδον, militare ſignum.*
VIII. *Bannum tandem de exilio dictum.*
IX. *Eius mentio in Authenticis Codici Iuſtinianæo inſertis, & in Feudorum libris.*
X. *Et in Iure Canonico.*
XI. *Bannomanna Inſula apud Plinium.*
XII. *Forbannitus, Foreſtatus, Diffidatus, Deſafiado Hiſpanis.*
XIII *De Imperiali banno.*
XIV. *Hiſpania Imperio Germanico nullo Iure obnoxia: fortaſſe & Gallia.*
XV. *Bannum relegationi an deportationi antiquæ ſimile ſit.*
XVI. *De bannitis qui hoſtium loco iubentur.*
XVII. *Occidinè abſque piaculo hi valeant: & an extra territorium eius, qui damnauit.*
XVIII. *De bannitis ob contumaciam non comparendi in Iudicio; & de ſtylo circa hos Neapoli, & aliis locis, & in Hiſpania.*
XIX. *Qui impunè offendi poſſunt miſeriores ſunt deportatis.*
XX. *Qui non impunè, relegatis ſunt ſimiles.*
XXI. *Qui publicatis bonis perpetuum exilium pati debent deportatis ſimiles ſunt.*
XXII. *Nec tamen vetus, & noua pœna omninò aſſimilantur.*
XXIII. *Quid amittant pulſi, ſeu banniti ab Hiſpania, item à Summo Pontifice, & à Romanorum Imperatore.*

AT quonam exire volumus vlteriorem tractationem, ſi exilio remiſſo
iam in ciuitate damnatus, & integro ſtatu eſt: niſi remeare iubeamus
miſerum in nonam pœnam? Videlicet nè mihi dicam impingant hodierni
Iuris Magiſtri, ſi iura exulum colligenti nuſquàm ferè Bannitus nomine-
I. tur, qui loquentis ore nec tantillum debuit excidere: vtpote in cuius ap-
pellationem tota interdictorum, deportatorum, relegatorum vicinia com-
migrauerit. Sed quia eiuſdem in pluribus pœnæ aliud nomen eſt *Bannitio*;
quod ſequioris Latinitatis Interpretes antiquis exilij appellationibus vica-
rium verbum repererunt, quidquid obſeruatum eſt in ſuperioribus de ve-
teri exilio, huc maximâ ex parte referri debet. Supereſt tamen, quoniam
aliqua differunt, vt nouam pœnam cum Romanâ conferentes, hodiernam
II. bannitorum conditionem antè diſceſſum oſtendamus. Planè Banni appel-

latio

latio ab illuuie illa eſt Septemtrionali, quæ quidem adeò infecit, ſiue confecit potius Romanam linguam, hodie rediuiuam. Prætereo enim noſtri Saliceti ſomnia, cui tamen adhibere fidem non dubitauit Caſſaneus *a*, qui Græcam originem ſubodorantur, græcè infantes ipſi: Baldique *b*, bannitionem ita reſoluentis vt *itio* ſit, ſiue *eiectio à bono* publico. Neque item Alciatum probo, qui ab antiqua Græcorum abannatione, quomodo vertunt ἀπηναυλισμον Euſtathij, & Heſychij, deducere tentat *c*. Alij nos ad Germaniam relegant. Nempè à Baan, quod *viam publicam* ſignificat, dictum putant *bannitum*, quòd huic extra fines eiecto viæ publicæ interdicantur: ſiue à Bann, quod eſt *Iudicium*, Andrea Gaillio teſte lib. II. De Pace publica cap. I. Rectè circa hoc exiſtimare videntur mihi, Bannum, (quæ vox Latino-barbara eſt) generali quadam appellatione accipientes pro Edicto, ſiue nunciatione iure publico in vulgus propoſita; *bannireq́;* pro *edicere*: namque ita ſignificare in pluribus locis medij temporis auctorum conſtat. Verba ſunt in Synodo Confluentina, quæ tibi pro multo teſtimoniis: *Ab hoc die, & deinceps de Dei banno, & noſtro bannimus*: *& nemo hæc amplius præſumat.* Vnde matrimonium præcedentes iuxta morem Eccleſiæ denuntiationes Galli appellare banna olim ſoliti: vt ex cap. Cum in tua. Qui matrimonium accuſare poſſint; & alio capite cum intra. de ſponſalibus, quorum hoc Bellouacenſi in Gallia Epiſcopo fuit reſcriptum, Ioannes Stephanus Durantius admonuit in ſuis Iuris Quæſtionibus *d*. Vnde etiam *banniti ieiunij* appellatio in Salegunſtadienſi concilio, ſiue Moguntino, ſub Bonifacio Papa VIII. cap. XV. quaſi ſolenniter indicti in eo tractu, nimirùm interdictis octo cibis; quod ibidem innuitur fortaſsè & *Manniendi* verbum ex eodem fonte ſit, quod actori tribuitur, qui priuato iure reum vocat in iudicium: quamuis aliter Ioannes Gerardus Voſſius exiſtimet *e*, multa alia cumulans ex legibus & ſcriptoribus barbari illius æui: quod & facit Fridericus Lindenbrogius in Gloſſario rerum antiquarum. Deinde tractum eſt nomen hoc ad particularia, & coniuncta. Particularia, vt de vocatione, ſiue delectu ad militiam acciperetur Lex Francica lib. IV. capite LXXI. *Quicumque liber homo in hoſtem bannitus fuerit*, &c. Et aliud caput Ripuariæ legis obſcurum. *Si quis legibus in vtilitatem Regis, ſiue in hoſte, ſeu in reliquam vtilitatem bannitus fuerit, minimè adimpleuerit* &c. Ad coniuncta, ſiue conſequentia; vt pro mulctâ eſſet, quæ denuntiationi, ſeu edicto non obtēperantibus irrogabatur. *Bannum ſoluere* in capitulis eſt Caroli Magni: Abbaſque Vrſpergenſis *bannum id eſt pœnam pecuniariam* interpretatur. In Longobardorum legibus, quando aliud expreſſum non eſt, ſolidorum ſexaginta, ſeu totidem ictuum pœnam ſignificat, vti Petrus Pithæus docet libro II. lectionum ſubceſſiuarum cap. XII. *Heribannum* eſt mulcta non parentium militiæ. Dictum deinde *Bannum*, ſeu Βανδον, militare ſignum, ſeu vexillum, ſub quo milites colligebantur, & colligabantur: quo verbo vtuntur è Græcis Suidas, Theophylactus, Simocatta, & magni Etymologici auctor, Radeuicus, & Paulus Diaconus ex Latinis, aliiq́ue, quos laudant Ioannes Meurſius in Gloſſario Græco barbaro *f*, & Ioannes Gerardus Voſſius in laudato opere de vitiis Latini ſermonis *g*. Pandulphum ego adiicio: qui de Gelaſij Papæ II. rebus ſcripſit adductum à Baronio ad annum MCXVIII. *Per ſacram viam gradiens Lateranum aſcendit, bannis, & inſignibus aliis eum præcedentibus* &c. *Bannoſorum* Procopius eum qui ſignifer eſt Romanis, appellat. Diuerſa quidem, ſed pulchra, & lectu digna de ſignis militaribus, & faſciis in Hyeroglyphicum nexus, & vnionis ſub eodem ſacramento vſurpatis, in Gigantomachiâ ſuâ ſcribit Ioannes Goropius Becanus. Denique eò ventum eſt, vt, quoniam exules denuntiationibus publicè factis: ſiue edictis, de loco exire, ad locumúe non accedere

Margin: III. — a *Ad conſuetud. Burgūdiæ.* — b *In l. 1. De hered. inſt. n. 4.* — IV. — c *L. 2. Parergon c. 2 quē lauda. Menochius de Arbitrariis l. 2. caſu 530. n. 27.* — d *qu. 17.* — e *De vitiis Latini ſermonis l. 2. c. 4.* — V. — VI. — VII. — f *In* Βανδον. — g *dicto c. 4.* — VIII.

dere iubebantur, aut imperio eius, qui ius diceret, non parentes eodem modo proſcribebantur; *Banniti* non minùs tales homines, *Bannumq.* ipſum exilio addicens edictum, aut ſententia vocaretur. Nos eadem etymologia pro edicto dicimus *Bando*, pro exule *Bandido*, quaſi *bando eiectum*.

IX. Huius tamen verbi nulla in corpore Iuris antiqui, & Romani mentio. In Codicem tamen, quem vocant, immiſſa ſunt fragmenta ex quadam Conſtitutione Imperatoris Friderici, & antiquis Iuſtiniani aſſuta; quæ integra iterum excuſſa eſt poſt Iuſtiniani eiuſdem, aliorumque, veteres ſanctiones ad calcem ipſius Codicis. Nempè tribus locis fragmenta, quæ diximus, leguntur: in Authentica (vt vocant) *Item nulla*, & Authent. *Item quæcumque* C. De Epiſcopis & Clericis. & Authent. *Gazaros* Codice de Hæreticis. In

X. libris Feudorum frequentiùs *Bannum* occurrit: & in Iure Canonico, in cap. cum in tua. De ſponſalibus; capite cum in tua. Qui matrim. accuſare poſſunt; quæ Innocentij III. reſcripta ſunt: capite Fælicis v. De Pœnis in ſexto; quod Bonifacium VIII. habet auctorem: capite ſtatuimus LVI. XVI. qu.

XI. I. fræquentiſſimè in Hiſtoriis barbari illius æui. Et notâ quidem dignum iudico id, quod Ioannes Goropius iam laudatus in Gothodanicis ſcribit, In plaga Septemtrionali eſſe quandam Inſulam *Bannomannam* vocatam, cuius meminit Græcus Timæus, quæ ſuccinum fert: idque olim colligi ab exulibus eò detruſis ad opus faciendum forſitan moris fuiſſe; cum nomen ipſum Inſulæ *Domus exulum* Germanica lingua ſonet. Timæum Plinius laudat lib.

XII. IV. cap. XIII. Ex banno nata eiuſdem pœnæ appellatio alia, *Forbannum* ſcilicet, & *Forbannitus*, quam in Longobardicis, & aliis legibus paſſim offendês. Dicuntur & *Foreſtati*, & *Diffidati* frequenter: quo poſteriore verbo vtuntur Hiſpana Iura. *Damoſle por deſafiado de nos, & de todos los de nueſtro Señorio.*

Diuertimus, quod ſatis viſum eſt, nè originem neſcires, in nomine ipſo banni. Iam examinemus qualis pœna iſta ſit, & quatenùs differat, aut conformetur exilio veteri, & Romano. De Banni auctore, qui nempè iure ſuo irrogare bannum poſſit, regula eſt; omnibus, qui merum habent ipſi imperium, ſiue aliorum exercent, ineſſe banni poteſtatem. Bannum tamen Im-

XIII. perij Germanici, vt vocant, quod aduerſus pacis publicæ violatores pronuntiari ſolet, (nempè ab anno MCCCCLXXXVI. quo primum legimus vſurpatum) ſolus Cæſar, vel eo abſente Romanorum Rex, & Camera Imperialis irrogare, aut indicere poſſunt: de quo latiſſimè tractauit Andreas Gailius Agrippinas poſteriore integro libro de Pace publica: Scomborнerus etiam libro IV. Politicorum cap. VIII. Hoc bannum etiamſi generale, ac veluti Romanæ proſcriptionis exemplum, Imperij limitibus tamen finitur; &

XIV. circumſcribitur. Neque enim ad Prouincias Imperatori non ſubiectas, aut nullo Feudi titulo, & iure obnoxias huiuſmodi prohibitio extenditur: Vti eſt Hiſpania noſtra *h*, quæ nullo iure ſubiectionis Imperium ſuſpicit: &, ſi placet, Gallia, multis id atteſtantibus *i*. Vir tamen doctiſſimus, Hiſpanorumque Iurium, ac dignitatis hoc tempore propugnator acerrimus Ioannes Iacobus Chifletius in vindiciis ſuis Hiſpanicis id validè refutat, Gallis factum concedens, ſpecimenque ſupremi, ac independentis Dominij à Franciſco I. vſurpatum, Ius autem legitimum denegans poſt ſummum virum Andream Alciatum & alios huius notæ ſcriptores *k*.

XV. Subeſt illicò exagitata illa in re hac à multis quæſtio: Vtri ex duobus ſpeciebus, ſeu differentiis exilij veteris, bannum magis ſimile ſit, deportationi, an relegationi. Huic non aliter commodius fiet in præſentiarum ſatis,

h *Valdes de dignitate Regum Hiſpaniæ c.18. Hermoſilla in Addit. ad gloſſ.2. n.40. Prologi Part.5. Diaz in Praxi Canonica c.13 nu.6. Couarruuias in Reg. Peccatum §.9. n.8.*

i *Apud eundem Valdeſium eodem c.18. Gregorius l.6 De Republica c.13.n.22. Choppinus de Domanio Franciæ l.2. Tit.I.nu.13. alij apud Borrelum ſtatim adducendum.* k *Guido Pape Hieron. Cagnolus Mandoſius quos laudat Borrelus in addit. ad Bellugam in Spec. Principum Rub.I.c.3.lit.A.*

ſatis, quàm propoſitis in medium priùs, atque explanatis banni ſpeciebus,
quæ hodie in vſu ſunt. Pelluntur alij propter delictum capitale; alij pro-
pter non capitale: quibuſdam bona adimuntur, quibuſdam non: denique
alij declarantur, habenturque hoſtium loco; alij non impunè læduntur.
Et vt ab his incipiamus, qui hoſtium numero haberi iubentur; occidi à quo- XVI.
uis poſſunt: & quidem ſtatutis quorundam regnorum, & in his Hiſpaniæ
*l*, nec minus ciuitatum, præcipuè Italiæ, propter publicam vtilitatem id
introductum eſt; non tantùm impunitate, ſed præmio etiam indicto ei, qui
hominem occiderit. Quod licere per Chriſtianam legem, ſi cauſa proſcri- XVII.
bendi iuſta ſit, cùm Theologi, tum Iuriſconſulti affirmant *m*. Et exemplum
eſt in Conſtitutione Maioriani allatâ ſuprà in cap. XXXIII. libri ſuperioris:
& ad excommunicatos quodammodo extendere videtur hanc pœnam Vr-
banus Pontifex in quadam epiſtola ad Godoſledum Lucanum Epiſcopum
quæ extat in cap. Excommunicatorum XLVI. XXIII. quæſt. v. Hoc modo
Diagoræ Philoſophi exulis interfectorem argenteo ſe talento donaturos
Athenienſes olim propoſuiſſe teſtatur Athenæus lib. III. Diphnoſoph. cap.
XXIII & Oreſtem occiſi Agamemnonis filium quæri iuſſit Ægiſthus par-
ricida, indicto ſimiliter pretio ei, qui profugum interficeret: cuius rei au-
ctor eſt Euripides in Electra, verſu XXXIII. Cuiuſmodi quoque fuit Roma-
na Syllæ, ac Triumuirorum proſcriptio. Nec ſine peccato tamen perpe-
trari hanc occiſionem exiſtimant, qui rem ſeriò expendunt *n*, niſi ductus
publicæ vindictæ zelo fuerit homicida. Adduntaliqui bannitum ſe non poſ-
ſe ab aggreſſore defendere, quia miniſter eſt publicæ vindictæ: hoc, vice
regulæ, vtentes axiomate, *non eſſe permiſſam defendendi ſe facultatem, vbi of-
fendendi eſt data libertas*. Sic communiter Doctores Iuris in l. I. C. Quando
liceat vnicuique ſine Iudice &c. & Bartolus in l. vt vim *o*. D. De Iuſtitia &
iure, agnoſcente id Oroſcio noſtro in commentario eiuſdem tituli *p*. Sed
an extra territorium eius qui damnauit, occidere hoſtem publicum liceat,
ſi rogemus Iuriſconſultos, quidam ex eis affirmant: Paulus autem Laiman
Theologus Societatis Ieſu doctiſſimus negat *q*, qui conſuli poteſt: adeo-
que ſuper re tota huiuſmodi exilij, ſeu proſcriptionis quamplures ex recen-
tioribus ſcriptores *r*. Sed non tantùm publicos hoſtes ſic noſtrum ius pro-
ſcripſit, ſed & priuatos: Nam homicidam, qui capi nequiret, hoſtem ſibi
deſignatum vindex ſanguinis, ſeu pars læſa interficiebat impunè: Audiit-
que libera hæc in corpus nocentis à Iudice permiſſa ei facultas, *darſele al que-
relloſo por enemigo*: vt videre eſt in l. XLVII. Styli. Quod ipſum eſt homicidij
pœnæ obnoxium non eſſe eum, *que matare a ſu enemigo declarado*. in l. I. Tit.
XVII. libro IV. Fori Caſtellani, quæ eſt l. IV. Tit XIII. libro VIII. Ordinamen-
ti. Sed in Galliæ regno, vt apud Caſſeneum *ſ* lego, nuſquam banniti ex ali-
quo ſtatuto offendi poſſunt, ſi demas tamen certas cauſas Iure ipſo exce-
ptas, veluti, Maieſtatis &c.

XVIII. Eſt & alia bannitorum differentia multum obſeruanda, quæ ex
Iudicij ſolennibus dimanat. Namque alia cauſa eſt illorum, qui propter cri-
men directè banniuntur, vt ſic cum noſtris loquamur; & illorum, qui pro-
pter contumaciam non comparendi in iudicio. Et præter morem in Salicâ
lege ſcriptum eſt, quod in Tit. LIX. De deſpectionibus hodie legitur. Ecce
in regno Neapolitano (cuius moris, quia veluti patria huiuſmodi exiliorum
eſt Italia, mentio hîc præcipua fit) duo menſes conceduntur reis ad com-
parendum; intra quos nec offendi poſſunt: deinde intra quatuor alios ſi
acceſſerint ad recipiendum iudicium, admittuntur: & adhuc impunè his

*l* L. 3 Tit. 27. Part. 7.

*m* Iaſonem & Alexãdrum conciliat in hoc Alciatus in l. 123. n. 18. De verb. oblig vidẽdi Couarruuias 2. l. var. c. 20. n. 10. verſ. Tertio. Maceratenſis l. 30. Reſol. c. 15. nu. 1. Antonius Gomezius ad l. 76. Tauri n. 15. Petrus Belluga in ſpeculo Rub. 27. n. 10.

*n* Ant. Gomezius ad d. l. 76. nu. 15. v. Couarruuiã de Matrim. p. 2. c. 7. §. 7 n. 27. Placa de delictis c. 36. n. 13. Menochiũ de arbitrariis l. 1. q. 90. Laimã de Iuſtitia & Iure l. 3. Tractatu 3. p. 3. c. 2. n. 2.

*o* Columna 2.

*p* in l. 9. n. 73. & in l. 3. nu. 13.

*q* l. 3. de Iuſtitia Tr. 3. Part. 3. c. 2. n. 2.

*r* P. Placa de delictis c. 36. Boſſius in Praxi Tit. Bãniti quid amittant Gratianus diſcept. tomo 4. c. 638. ex n. 4. Borellus de Magiſtratibus l. 3. c. 6. Cauallus Reſol. Cent. 3. caſu 274. Marius Ant. Maceratenſis l. 2. Reſol. c. 32. Menochius de Arbit. l. 1. quæſt. 90. Farinacius in praxi 3. p. q. 103. Thuſcus lit. B. Concl. 14. Marius Giurba conſilio 3.

*ſ* Ad Conſtit. Franciæ Rubrica 2. §. 1. ibi qui confiſque le corps. n. 10.

non læditur ſe non defendentibus. Antiquo Iure regni deſignabatur annus,
intra quod purgare contumaciam reus vocatus poſſet: quod ex Romano
eſt in l. II. §. III. D. De Requir. reis. Authentica Si ſemel Codice Quomodo
& quando Iudex &c. Nouis tamen Pragmaticis euocatum eſt hoc anni ſpa-
tium ad quatuor menſes, vt Maſtrillus docet in Commentario ad Indulgen-
*t c.14. n.1.* tiam generalem *t*: de quo & videndus Mathæus Afflictis in eo, quem ſcri-
*u l.2. Rubrica 4. n. 16.* pſit ſuper Regni Conſtitutiones *u*. Elapſum hoc ſpatium quatuor menſium
ſententia ſuſcipit foriudicationis, ſeu Forbannitionis, vt vocant; ſiue ſecun-
dum bannum: quo modo bannitus tunc primùm talis dicitur ex ſententia
definitiuâ. Foriudicationem interpretantur, vt ſit aditus ad iudicium pro-
hibitio: quod fortè eſt in Salicâ lege; *Tum Rex ad quem mannitus eſt, extra
ſermonem ponet*: cum & olim Prætor ei, qui decreto non obtemperaret, iu-
riſdictionem, ſiue audientiam denegare diceretur; l. XXVI. §. VI. D. Ex qui-
bus cauſis maiores. Et foriudicari quis non poteſt niſi pro crimine, cui le-
gibus deſignata eſt mortis, aut deportationis pœna: teſte eodem Afflictis
*x Rub.3. n. 48.* *x*. Et quidem non aliter quàm legitimis probationibus intercedentibus, &
iudicio, veluti cum præſenti, celebrato: nam in criminalibus Iure commu-
*y V. Minſingerium decade 2. Reſponſ. 20* ni contumax pro confeſſo non habetur *y*. Romano quidem Iure non licuit
aduerſus contumaces, qui abeſſent, vltra relegationis pœnam dicere l. V.
in principio de Pœnis. l. I. De Requir. & abſentibus damnandis. Hodie iam
antiquatum hoc, & habentur iudicia contra abſentes vſque ad irrogationem
maiorum, & vltimi ſupplicij: legitimis tamen actibus interpoſitis, accuſa-
toreque certiſſimis probationibus, ac exquiſitis argumentis partes ſuas ex-
hibente: quod de Gallia ſuâ refert inter alios Ioannes Stephanus Duran-
tius quæſtione Iuris XXVII. De Germania Minſingerus Decade ſecunda, re-
*z in l.5. n. 3. De Pœnis.* ſponſo XX. In Italia contumax, teſte Bartolo *z*, habetur pro confeſſo. Hiſpa-
nis noſtris ſcripta eſt l. III. Tit. X. lib. IV. Compilationis, quæ modum proce-
dendi aduerſus abſentes reos præfinit: quam Alphonſus Azeuedus curio-
sè explanat; & circa hoc ipſum ſcripta eſt item l. III. Tit. X. libro IV. Ordi-
namenti: de qua videndus Petrus Nonius Auendano. Reſponſo XV. Idem
apud Luſitanos ſancitum extat lib. V. ordin. Tit. CXXVI.

XIX. Recenſitis bannitorum differentiis, prudentiſſimus quiſque noſtrorum
*aa V. Iul. Clarum l.5 Sent. §. fin. q.71. n.11.* Iuris interpretum *aa* ita cenſet, non vlli ex ſpeciebus veteris exilij noſtrum
bannum per omnia ſuæ conditionis capita poſſe tuto aſſimilari. Sunt tam
hodie etiam gentes, quæ exilium Inſulæ imponunt: ad quem morem non
*bb Docent Capicius deciſſ. 118. Fanchis deciſſ. 116. in fine.* pertinet hæc obſeruatio: Neapolitani ſcilicet, copia vtentes Inſularum,
quas habent *bb*. De his ſaltem, qui impunè offendi poſſunt, dubium non eſt,
quin miſerioris conditionis ſint, quàm veteres deportati, imo & quàm ſer-
ui pœnæ, & aqua, igneque interdicti. Si quidem hos maximè poſteriore
loco nominatos, tantùm non iuuare, aut excipere victu, tectoque præce-
ptum, nulli tamen occidere licuit: ad quod præmio etiam oblato, inuitan-
tur, qui hodiernum bannitum huiuſce conditionis perſequuntur. Nec pie-
tas vxoris, filiorumúe ſemper excuſationem meretur. Teſtes mihi ſunt, &
*cc l.1. Cõſtit. Neapol. Rub.8. n.3.* auctores Afflictis *cc*, & Aquilinus *dd*: quorum poſterior hoſtibus tantùm, &
transfugis comparari debere ait hoc banno impetitos; quod ex Bartolo *ee* de-
XX. ſumpſit. Qui tamen impunè non offenduntur, relegatis tantum compara-
*dd in §. Et quid ſi tantum n. 72.* ri; nec iura vlla publica, ſiue priuata deperdere affirmat Peregrinus *ff*. At-
que adeò non ſolui patriam poteſtatem bannitorum, debereque filium in-
*ee In qu. Lucanæ ciuitatis n.18* ſtitui à parente, & ſuccedere in eius bonis, ſi hæreditas deferatur non ex
*ff L.3. De Iure Fiſci Tit.7. n.5.* forma ſtatuti, ſed ciuili Iure; docet Stephanus Gratianus Diſceptat. Tomo
3. cap. CCCCLXII. De quo & agit Paulus Pariſius in conſilio quodam *gg*. Rur-
ſus

*gg Lib.4. Conſ.157. num.20.*

ſus contumaces, ſiue banniti propter contumaciam eius conditionis inte-
rim ſunt, vt annotentur eorum bona ex more antiquo, & quaſi pendeat
cauſa, & ſtatus *hh*. Eorum vero, qui habito iudicio, & ſententia deffinitiuâ XXI.
pronuntiatâ propter crimen commiſſum banno damnantur, ſi Fiſcus bona
auferat, deportatis compares voluit noſtra lex IIII. Tit.XXVIII. Partitæ IV. *Si
ſon echados para ſiempre, è les toman loque ân, ſon contados entre los deportados: è
ſi ſon echados à tiempo, è non para ſiempre, è non les toman loque han, ſon contados
entre los relegados.* Quæ regula, & lux noſtratibus eſt obſcuræ quæſtioni ſol-
uendæ: nè ſollicitemur, & iactemur amplius æſtu Doctorum tam variè ſu-
per hac re exiſtimantium. Haud igitur noſtra intereſt, delictum ſit capitale
an minùs; hæ Iudicis partes ſunt, vt pro non capitali publicationem bono-
rum non inferat. Si intulit, deportationis conditionem intulit: nam & ma-
gna pars antiquæ illius pœnæ fuit bonis damnatum ſpoliari, vt iam vidimus.

XXII. Nec tamen ideò cenſendum eſt, quia ſimpliciter noua, & anti-
qua pœna comparantur, alteram alteri ad amuſſim æqualem eſſe: nam mu-
tatis adeò moribus, quî fieri poteſt, vt antiquæ, & antiquatæ deportatio-
nis hodiernum bannum exactiſſimum præſeferat exemplum? Quod benè
conſiderat per ſingulas exilij, & ſimilium pœnarum differentias Pragmati-
corum Princeps Bartolus in quæſt. illa, quam omnes in re laudant, incipit-
que, *Lucanæ ciuitatis ſtatuto* &c. quæ inde omnia iterum propoſuit in breui,
ac ſingulari *Tractatu Bannitorum*.

XXIII. Amittunt ergò pulſi ab Hiſpaniâ quidquid Iure Regni, ſiue
communi (quatenùs & Romanum penes nos aliqualem vim, & auctorita-
tem ſortitur) intra Hiſpaniam habebant; nec ad leges pertinent noſtras: quæ
Iuris communis Romanorum ſunt, quocumque vagantur loco, vbi Ius iſtud
obſeruatur, puta in his rebus quæ extra Hiſpaniam ſunt, & haberi ac poſ-
ſideri poſſunt, non amittunt. Similiter de Italis docent, à quibus latiſſimè
quæſtio hæc examinatur; Iura vrbis ſuæ ſpecialia, ſcilicet interdictæ vrbis
bannitum amittere; non autem communia, & ciuilia: ſi non ſtatutum pri-
uet eum ab omni actu legitimo. Sed aiunt: Solus Pontifex Summus, & Ger-
manorum Imperator, qui faſtigium Romani Iuris obtinent, & Imperator,
qui faſtigium Romani Iuris obtinent, & Imperij, horumque delegati in v-
niuerſum Dominium, omnibus his, qui Iuris communis ſunt, bannitos ſuos
priuant, ac ſpoliant. Planè in eo potior eſt aliis Rebus Imperator, quòd cæ-
teri Reges non tam iura exulibus ſuis auferre videntur communia, & Ro-
mana; quam per interdictionem impedire, ne legibus Romani Iuris, qua-
rum adhuc compotes ſunt, ad ea quæ in prohibitis Prouinciis alioqui eis de-
ferrentur, venire poſſint. Imperator autem Iure ſuæ poteſtatis, quæ ſuc-
cedanea eſt extincti Romanorum Imperij, ſubditos quidem ſuos ita ſpoliat
legum Romanarum Iuribus, vt nuſquàm ex his admitti debeant: ſed ad-
mittuntur quidem ex ſtatutis, & ſpecialibus legibus, imo & Romanis, ſi fa-
ctæ ſunt gentis illius propriæ, vnde exul eſt. Summus vero Pontifex adeò
tenet eccleſiaſtici Iuris faſtigium, & poteſtatem, vt niſi ab eo ad omnes il-
los dimanet, qui hyerarchiam eccleſiæ conſtituunt. Quare dubium non
eſt, quin excommunicatis, quod bannum eſt ſpirituale, ſiue, vt Tertullia-
nus vocat *ii*, *perpetui diſſidij relegatio*, iura omnia eccleſiæ interdicantur: in-
ſuper & ciuilia, ſi hæc nominatim prohibentur: hactenùs enim poteſt ſu-
premus Dei Vicarius in Chriſtiano orbe, ſi ſic ſpiritualibus, quæ potiora
ſunt, conſulitur. At quos temporali, & ciuili pœnâ banni Pontifex à terri-
torio Romanæ vrbis, & Prouinciis ſuis propellit, his non iura ciuilia aufe-
runtur; ſed effectus horum, vt in reliquis præter Imperium regnis. De his
conſuli poſſunt Petrus Caballus, Proſper Farinacius, Andreas Gaillius, &

hh *V Tiraquellum in Tract. Ceſſante cauſâ &c. 1. p. ex n. 59. cum limitat. 12 ad Regulam in generalem n. 12. Acebedum in l. 3: Tit. 10. l. 4: Compilationis. Boſſium in Praxi Tit. de Inquiſit: n. 54. & ſequentibus. Et quod nõ habeantur hæc banna pro ſententiis, ſed prò interloquutoriis quibuſdã prouiſionibus ait Baldus in l. 5. C. De hæred. inſt. quem laudat Bellùga in ſpeculo Rubrica 14. c. 1. n. 15.*

ii *L. De Præſc. adu. hæret.*

 alij

alij magno numero, quos hi compendio noſtro, non vt exſcriberemus, collegerunt. In antiquioribus laude digna eſt opera Nelli à Sancto Geminiano priùs laudati; qui inter Doctorum varios Tractatus legitur edito benè prolixo de Bannitis libro. Nos hic ſtylum ponimus, abſoluto iam, quod ornandum ſumpſimus, argumento: vtinam Muſis fauentibus: ſiue, nè quid minùs Chriſtianum homo Chriſti fide imbutus, eique conſtantiſſimè addictus apprecer, Deo optimo maximo fauente, per quem ſapimus; & ſi quid recti dictum eſt, ingenium, & litteras non fruſtrà colimus. Tu, lector, his quomodocumque probatis, Euripidis illud benignus à me expecta.

Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι
*Curæ ſecundæ ſapientiores.*

## FINIS.

# INDEX
# RERVM NOTABILIORVM
## QVÆ IN HOC TRACTATV
# DE EXILIO
## EXVLVMQVE CONDITIONE,
# ET IVRIBVS
## CONTINENTVR.

### A

*Aronis excommunicatio. lib.1.c.7.n.11.*

*Accurſius reprehenditur. lib.1.cap.6.num.2.*

Ἀκέφαλος, ſine capite, *dictus is, qui ignominia notaretur. lib.2.c.30.n.3.*

*Actiones, condictiones Iuris gentium. lib.2.cap.16. nu.13. Quibus peregrini vterentur. nu.14. 15.16. Vtiles dictæ. n.12.*

*Actuaria, & Oneraria naues. lib.2.c.7. n.16.*

*Adamus exul inter homines primus. lib. 1.c.4.n.4.*

*Aduerbia* Nihil, Parum, Satis, *cum nominibus ſubſtantiuis quomodo componi ſoleant. lib.2.c.9.n.10.*

*Adulteræ mulieres à propinquis coërcebantur ante Iuliã legem. l.1.c.11.n.2.*

*Adulterij pœna relegatio nè, an alia ex L. Iulia? lib.2.c 30.n.9,10.*

*Adulterium committitur in deportati ſiue exulis vxore. lib.2.c.8.n.22.*

*Agrippinus Paconius de exilio ſcriptor. lib.1.c.1.n.9.*

*Alimenta filiis Iure naturali debentur. lib.2.c.19.n.8. & c 20.n.40.*

Ἀλλακτα *ſeu* μαγκλαβια *flagelli nomen. lib.1.c.15.n.11.*

*Alpheni I. C. vera lectio in l. 3. De Interdictis. lib 2. c.16. n.1.*

*Alcibiadis dictum. lib.1. c.5. n.11.*

*Ammianus Marcellinus laudatur. & quidam ex eo locus explicatur. lib. 1. c.10.n.7.*

*Amphictyones, Amphictyonum conſilium in Græcia. lib.1.capit.11. num.9. Eius Inuentor. num.10.& 11. etymologia nominis. num.11. Quibuſnam è populis coactum. nu.13. De quibus cognoſcerent. n.14. Quo loco habebatur Senatus. n. 15.*

*Amphictyones Pythiorum ludis præerant. lib.1.c.11.n.16.*

*Amphictyonum ſacra. lib.1. c.11.n.17.*

*Andreas Alciatus verſibus Homeri ſuppleuit legem* XVI.§.8. *De Pœnis. lib.1. c.6.n.2.*

*Angelorum à cælo exilium. lib.1. cap.4. nu.8.*

Ἀναμρέω *quid ſignificet. lib.1. c.1.n.7.*

*Anima humana cæli exul antiquis credita. lib 1 c.4.n.5.*

*Anima humana à Deo peregrinatur, dum in corpore manet. lib.1.c.4.n.6.*

*Animæ exilium à corpore. lib.1.c.4.n.7.*

*Annotare, & Annotatio quid apud Iuriſconſultos. lib.2.c.27.n.16.*

*Per Anticipationem multa in Iure dicuntur: talia quæ non adhuc ſunt, aut quæ iam talia non ſunt. l.2. c.18.n.14.*

*Anachroniſmus, ſiue Prolepſis figura; quando Hiſtorici verbis ſui temporis antiquas*

*antiquas res ſignificant. lib.* 1. *cap.*7. *num.*13.

*Antiocheni concilij caput quodam Toletano etiam tribuitur. lib.* 2. *capit.*32. *num.*16,

*Antoninus Diana laudatur, & ex parte reprehenditur.lib.*2.*c.*34.*n.*33.*& c.* 35.*n.*6.

*Antonini plures Imperatores. lib.* 1.*c.*13. *num.* 17. *Quiſnam ex his auctor l.*1. *C. De his qui in exilium lib.* x. *lib.*2.*c.* 14.*n.*7.

*Antonini reſcriptum ex Baſilicis tranſlatum ad Pandectas & Titulum de Interdictis expenditur. lib.*2. *c.*19.*nu.* 10. *& ſequentibus Cuiuſnam ſit Antonini? n.*16.

*Antonij Fabri ſententia de matrimonio deportatorum improbatur. lib.*2.*ca.*8. *num.*6. *Item eiuſdem. lib.* 2. *cap.* 18. *num.*8. *Item correctio quædam.c.*22. *num.*6.

*Antonius Mornacius taxatur. lib.* 2. *c.* 14.*n.*11.

*Antonius Pichardus improbatur.lib.*2. *cap.*17.*num.*7. *&* 10. *& cap.*19.*numer.*9.

Ἀπενιαυτισμός *vnius anni exilium. lib.*1. *c.*6.*n.*5.

Ἀποικισμός *à domo eiectio. lib.* 2.*cap.*1. *num.*4.

Ἀπόλιδες, *ſine vrbe, deportati. lib.*2. *c.*5. *num.* 10. Ἀπόλιδες *de ſeruis vilioribus dictum fuiſſe placuit quibuſdam ibidem.*

Ἀπολῖται Ἀπόπτολιδες. *ibidem.*

Ἀπόταφος *qui non fuerat ſepultus in patria. lib.*1.*c.*15.*n.*3.

*Aqua & Ignis Interdictio vnde orta. lib.*1. *cap.*7. *num.*8. *& ſeqq. eius forma. num.*9. *Quo tempore primùm vſurpata. num.*12. *Prima eius in vrbe exempla. nu.* 15. *Aqua, Ignis, Tectum prohibebantur. n.*10.

*Aqua & Ignis ad vitam omnino neceſſaria. l.*1.*c.*7.*n.*10.

*Aqua & Igne interdicti quonam tempore ciuitatem amitterent. lib.* 1. *cap.*8. *num.*1. *In fœderatis, aut ſocijs vrbibus recipiebantur. lib.*1.*c.*7. *nu.*16.*& li.*2.*c.*5.*n.*7.

*Argumenta à contrario ſenſu in Iure non multum vrgent. li.*2.*cap.*17. *num.*12. *& c.*19.*n.*9.

*Argumentorum à maiori ratione Vis. li.* 2.*c.*19 *n.*18.*& c.*26.*nu.*14.

*Arbitratus, Arbitrium an Iuris ciuilis factum ſignificet. li* 2.*c.* 10.*n.*10.

*Arius Pinelus taxatur. lib.* 2.*capit.*9.*numer.*12.

*Arrianus Epicteti enarrator explicatur. li.*2.*c.*6.*n.*3.

*Athenienſium exules noui criminis rei accedebant ad littus Atticæ, atque è naui cauſam dicebant. lib.*3. *capit.* 2. *num,*14.

*Athenienſium Oſtraciſmus. Vide Oſtraciſmus.*

*Auctor l. In orbe Romano D. De ſtatu hominum quis? l.*1.*c.*13. *n.*17.

*Auctores Iuris ſolent, duobus propoſitis vni tantùm reſpondere. lib.*2. *cap.*3. *num.*10.

*Auguſti Edictum circa Interdictos aqua & igne. lib.*2.*c.*5.*n.*4.

*Auguſtæ, ſeu Reginæ relicta, mortuâ eâ, in irritum cadunt. lib.*2. *capit.*2. *numer.*13.

*Auguſti edictum de comerciis deportatorum. li.*2.*c.*7.*n.*15.

*Athanaſius Oteiza & Olano Primarius Pinciæ Anteceſſor Iuris laudatur. lib.* 2.*cap.*17.*num.*1. *& cap.*19.*nu.*1. *Improbantur eius quædam ſententiæ. ca.* 17.*num.*1 *&* 6. *& quædam explicationes. c.*19.*n* 2.

*Aulæ Regiæ ingreſſus prohibitus. lib.*1. *c.* 11.*nu.*7.

B.

B*Annum quid? lib.*3. *cap.*9. *Bannum, Bannitio barbarum verbum n.*1. *Eius origo. nu.* 3. *Bannum, edictum: bannire, edicere. nu.*4.

*Bannitum ieiunium quid? n.*4.

*Bannum pro euocatione ad militiam. n.*5. *pro mulctâ. n.*6.

*Bannum ſeu* Βανδον *pro militari ſigno. num.*7.

*Bannoforus, Vexillifer. lib.*3.*c.*9 *n.*7.

*Banni non vlla in corpore Iuris antiqui Romanorum mentio. lib.*3.*cap.*9.*num.* 9. *Eſt tamen in Conſtitutionibus Friderici*

*derici Imp. & in libris Feudorum. Ibidem. & in Iure Canonico. n.* 10.

*Bannum Pontificium & Imperiale quænam Iura auferat? lib.* 3. *c.* 9. *n.* 23.

*Banniti relegatis an deportatis ſimiles ſint. lib.* 3. *capit.* 9. *numer.* 15. 19. 20. 21. 22.

*Banniti alij in contumaciam, alij diffinitiuâ ſententiâ. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 18. *Stylus in his Neapolitani regni, & aliorum. n.* 18.

*Banniti qui hoſtium numero haberi iubentur, impunè occidi poſſunt. cap.* 9. *num.* 16. *Quod per Chriſtianam legem non improbatur. num.* 17. *Huius pœna exempla. nu.* 17. *An ſic bannitus ſe defendere poſſit. ibidem.*

*Bannum Imperiale quid? c.* 9. *nu.* 13.

*Bannomanna Inſula apud Plinium. li.* 3. *c.* 9. *n.* 11.

*Baptiſtæ Pij error de Oſtraciſmo. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 11.

*Baptiſtæ Platinæ error notatur. lib.* 1. *ca.* 14. *nu.* 8.

*Bartolus de Bannitis Tractatum ſcripſit. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 12.

*Baſilicôn libri verbis Iuris vtuntur propria, & antiqua ſignificatione. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 6.

*Baſilicôn Interpres Carolus Annibal Fabrotus, & Regius Pariſienſis Typographus laudantur. lib.* 2. *cap.* 1. *numer.* 7.

*Baſſilicæ Græcorum interpretationi multum eſt tribuendum. lib.* 1. *capit.* 3. *num.* 7.

*Bellum inferens, aut pacem iniens abſque iuſſu publico hoſtibus dedebatur. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 3.

βȣκολήσεις: Bubulcus eris: Bouem ſernabis: *Prouerbium Græcum quare dictum? lib.* 2. *c.* 4. *n.* 7.

*Bonorum publicatio quando primùm Romæ vſurpata? lib.* 2. *c.* 15. *n.* 3.

*Bonorum publicatio nullius olim legis pœnæ fuit. n.* 5.

*Bonorum partem publicare conſueuit Iulius Cæſar. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 7.

*Bonorum publicatio duplex in deportatatis; altera fiebat viuis, altera morientibus. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 7.

*Bonorum publicationem damnati genus quandoque temperabat apud Romanos. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 1. *item mariti, aut prolis fauor. nu.* 3. *aut numerus liberorum. nu.* 4.

*Bonorum publicationem etiam legalem moderatus eſt Iuſtinianus, prolique damnatorum fauit. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 19. 20.

*Bona ablata deportatis ab Auguſto. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 9.

*Bona publicata conferebantur in ærarium. lib.* 2. *cap.* 15. *nu.* 12. *vel publicum vel proprium Principis. ibidem.*

*Bonorum publicationis Ius obſcurum fuit apud Hebræos. ibid. n.* 13.

*Bona quæ non à patre, ſed ab origine, aut familia deportatus habet, ad filios tranſeunt. li.* 2. *c.* 16. *n.* 2. *Vt Maioratus in Hiſpania. n.* 3.

*Britanniæ exilium. li.* 1. *c.* 16. *n.* 8.

## C.

*Cainus primus Diaboli diſcipulus. li.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. *In exilium à Deo eiectus. ibid.*

*Caius Mancinus dedi Numantinis iuſſus. li.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. *Eum reuerſum non permiſſit intrare Senatum Rutilius Trib. pleb. ibid. Geſti ab eo in vrbe honores. n.* 19.

*Camilli damnatio. li.* 1. *c.* 5. *n.* 9.

*Cancellariarum Iudices an poſſint à toto regno pellere? li.* 1. *c.* 13 *n.* 5.

*Capitalis, ſeu capitis pœna quæ? li.* 1. *ca.* 3. *num.* 4. *& li.* 2. *cap.* 30. *num.* 1. *Omnis cauſa exiſtimationis capitalis quodammodo dicitur. ibid. num.* 2. 3. 8. *Quando ſumatur pro deportatione aut pro morte naturali. n.* 5.

*Capitalis pœna diſtinguitur à corporali. li.* 2. *c.* 3. *n.* 1.

*Capite minui, ſeu minui,* μεταϐάλλω. *li.* 2. *c.* 5 *n.* 9.

*Capere, & Capere cum effectu quid ſit. li.* 2. *c.* 17. *n.* 6. *& ſeqq.*

*Capti, & dediti eiuſdem rei duo nomina. li.* 1. *c.* 8. *n.* 17.

*Carcer luela ſceleris. li.* 1. *c.* 15. *n.* 7.

*In Carcere compleri poteſt exilij tempus; & quibus ita contigerit non vltra mittendi ſunt in exilium. lib.* 1.

cap.15. num.7. & 8.
Carceris Refugæ. Vide Refuga.
Carceris refuga in templum confugiens liber ſit à pœna corporali: data tamen hactenus ſolemni cautione reducendus eſt in carcerem. lib.1.capit.35. num.29.
Carcer Clericorum qualis eſſe debeat.lib. 2.c.32.n.7.
Caſſij Longini exilium. lib.1. ca.16.nu.3. Eius ætas. ibid.
Catenis an grauarentur, qui in exilium mittebantur. lib 1.c.15.n.7.
Caudinæ pacis ſponſores Samnitibus dediti. lib 1.c.8.n. 4.
Κεραμική μάστιξ. Teſtaceum flagellum Prou.lib.2.c.4.n.5.
Cherſon vrbs Ponti maritima vbi exulauit Clemens I. Papa. lib. 1. cap.14. num.8.
Chriſtiani exules eleëmoſynis olim ſuſtentabantur. lib.2. c.24.n.11.
Ciceronis exilium ex L. Clodia. lib.1. c.9.n.2.
Cimonis Athenienſis exilium: ac de eius cauſis. lib 2.c.4.n.9.
Ciuis duarum ciuitatum nemo eſſe olim poterat. lib 1.c.8.n.13.
Cliſthenes Athenienſis Oſtraciſmi inuentor. lib 2.c.4.n 10.
Clodius, ſiue Claudius Corſis deditus. lib.1. cap. 8. num. 7. & ab iis non receptus; in custodia Romæ fuit necatus. ibidem.
Clericos à Ditione imperij ſui exire iubere ſolent Principes. lib.2. capit.32. num.20.
Codex Theodoſianus vtiliſſimus eſt ad explicandum Iuſtinianæum. lib. 2. cap.26.num.16.
Comes Curritanæ, & Celſinæ Inſularum. lib.2.c.29 n.3.
Commeatus quid ſit, ſeu ſaluus conductus. lib.3.cap.3.num.9.& cap.4.n.1. Commeatum, aut remeatum exuli dare ſolus Princeps poteſt. lib.3.cap.4. num.1. Commeatus proprium verbum in exulibus. num.3. Commeatum delinquendi ſibi facere apud Tertullianum. num.2. Commeare quid. nu.1. & 2.
Conditio illa, ſi ſine liberis decedat an deficiat manentibus filiis naturalibus. lib.2.c.10. n.7.
Conditio, ſi exul redierit, non impoſſibilis, & improbata lib.3. c.2.n.8.
Concilia Hiſpaniæ quaſi comitia erant totius regni Gothorum. lib. 2. capit.32. num 18.
Conſules qui fuiſſent Romæ, minores alios Magiſtratus gerere poſteà non ſunt deſignati. lib.1.c.8.n.19.
Conſules non habuerunt Ius relegandi. lib.1.c.12.n.7.
Contractiones ſcripturæ frequenter ſunt in Pandectis Florentinis.lib.1.cap.12. num.4
Contumaciæ crimen purgat reus ſe exhibens. lib.3.c.3.n.8.
Cum Contumacibus quomodo habeantur iudicia. lib.3.c.9 n.18.
Cornelia lex ea quæ Syllæ acta confirmauit. lib.2.c.21 n.3.
Correctorio ſtylo in Iure vti an liceat. l.1. c.10.n 3.
Contubernium quid in ſeruis. lib.2 ca.8. num.12,
Creditores publicatorum Fiſcum conueniunt. lib.2. c.25. nu.12. Ex parte, ſi publicati fuerint ex parte. n.13.
Creditores de lucro agentes an Fiſco cedant? lib.2.c.25.n.14.15.
Curator de tutore dicitur. lib.2. capit.3. num.8.
Curia cuiuſque Principis communis eſt patria illius ſubditorum. lib.1.cap.13. num.19. Non cancellaria Regiæ. nu. 20. Curia ibi eſt, vbi Rex eſt. num. 20. In curia non poteſt manere, qui alicunde eiectus fuit. ibid. Curiæ exilium quinque in circuitum leucis apud nos determinatur. n.21.
Cuſtodia militaris reorum. lib.1.cap.13. num.7.

D.

DAcia duplex. lib.1.c.13.n.25.
Damnati ad mortem in Hiſpania ius habent teſtamenti. lib.2.ca.23.nu.12. Teſtamenta eorum ante damnationem facta non irritantur. num.14. Diſtribuere quo modo libet bona poſſunt. ibid.
Damnatorum inteſtatorum ſucceſſiones ex

*ex legibus deferuntur. ibid.*

*Damnatis non fuit permiſſum inter Romanos ius teſtandi, ex quo Iuſtinianus pœnæ ſeruitutem in cap.* VIII. *Nouellæ* XX. *abrogauit. lib. 2. c. 23. n* 15.

*Damnatis quatenus liceat ſe pœnæ ſubtrahere. lib. 2. c. 33. n* 4.

*Decurionum damnatorum bona ex Conſtantini ſanctione non publicabantur. lib 2. c. 22 n. 10. & c. 23. n.* 8.

*Dediti hoſtibus. V. Hoſtibus dediti.*

*Dedititij an teſtari olim potuerint? lib. 2. c. 6. n. 11.*

*Delicti locus prohibitus ſemper videtur in quocumque exilio. lib. 1. cap. 13 numer. 11.*

*Deportatio ſemper fuit perpetua. lib. 2. c. 1. n. 5.*

*Deportatio ſemper fuit in Inſulam. lib. 2. c. 1. n. 3.*

*Deportationis in inſulam multa mentio. num. 3.*

*Deportatio pro relegatione ſumpta. lib. 2. c. 1. n. 10.*

*Deportationis Origo. l. 2. c. 5. n. 2. & ſeqq.*

*Deportationis, nomen quando introductum? lib. 2. c. 5. n. 5.*

*Deportatio, & interdictio Imperiali æuo eadem pœna. nu. 6.*

*Deportatio caput de ciuitate adimit. n. 9.*

*Deportationis & mortis comparatio id operatur, vt donationes mortis cauſa factæ inter coniuges, deportatione confirmentur. lib. 2. c. 9. n. 8.*

*Deportatio libertatem non adimit. lib. 2. cap 12. argumenta in contrarium. num. 2. Franciſci Hotomani ſententia. num 3. diſtinctio inter naturalem & ciuilem libertatem. num. 5. ſoluuntur argumenta ſuperiora. nu. 7. & inde Partitæ lex de hac re. nu. 12.*

*Deportatio ſemper bona adimit: relegatio non ſemper. lib. 2. cap. 15. nu. 1. & tamen non ſemel expreſſum in deportatione de publicatione bonorum n. 2.*

*Deportatio eſt pœna capitalis, & Corporalis: relegatio non item. lib. 2. cap. 30. nu. 1. & inde. Deportatio eſt minima capitalium. n. 4.*

*Deportationis mentio in legibus Canonicis. lib. 2. c. 32. n. 8.*

*Deportationis exilium, & deportari in exilium diuerſa ſunt. nu. 19.*

*Deportatio ſine inſulæ mentione. lib. 2. c. 33. n. 26.*

*Deportandi Ius non omnibus datum. lib. 2. c. 26. n. 7. vt Præſidibus. nu. 8.*

*Deportationis Ius cur Princeps ſibi reſeruauerit, aut non niſi Præfectis Præt. conceſſerit? lib. 2. c. 29. nu. 1. Improbantur rationes Accurſij. n. 2. & Bartoli, aliorumque. ibid. commendantur aliæ Ant. Fabri. nu. 4. & 5. Fulgoſij & Lyklamæ alia producitur; nec probatur. n. 6. & Alciati alia. n. 7. Tandem noſtra prefertur. n. 8.*

*Deportati mortuorum loco ſunt. lib. 2. cap. 6. num. 1. ἀπόλιδες dicti. lib. 2. c. 5. nu. 10.*

*Deportati Iura omnia amittebant, non res facti. lib. 2. cap. 6. num 6. commercio legum carebant. ibid. ad legitimam ſucceſſionem non admittebantur. c. 7. nu. 1. ſed faciebant locum ab inteſtato venientibus. n. 5. Delatæ, cum deportabantur, ſucceſſionis ius, ad Fiſcum pertinebat. ibid.*

*Deportatus accuſare non poteſt. nu. 10.*

*Deportatus non agit ciuili actione. lib. 2. c. 7. n. 10.*

*Deportatus non facit teſtamentum V. Teſtamentum.*

*Deportatus, cui bona relicta, aut eorum pars, eo ipſo videtur non prohibitus teſtamenti condendi facultate. lib. 2. c. 6. n. 14. 16. 18. & lib. 2 ca. 7. nu. 3.*

*Deportatis ſub Tiberio interdictum eſt teſtamentum facere. lib. 2. c. 6. nu. 18. & c. 15. n. 11.*

*Deportatus non capiebat ex teſtamento ciuis Romani. lib. 2. c. 6. n. 19. niſi alimenta. n. 20. & c. 7. n. 12. & ex teſtamento militis. c. 6. n. 20. aut Clerici. ib.*

*Deportatus non poterat eſſe tutor. V. Tutor.*

*Deportati matrimonium ſoluebatur. peribat Ius poteſtatis. V. in Matrimonium: Poteſtatis Ius &c.*

*Deportatus capax Iurium naturæ, ſeu gentium. lib. 2. cap. 7. num 12. contractuum omnium. num. 13. exceptis his quæ propriè Iuris ciuilis ſunt. 14. quorum tamen naturalis obligatio non aliena eſt à deportato. ibid.*

*Deportatorum commerciis modum Auguſtus impoſuit. lib.2.c.7.n.15.*

Δεπορτατων ρελεγατων *Græci nouiores dicunt ex latinis. lib.2.c.1.n.5.*

*Deportatus qui donauit mortis cauſa, poteſt in exilio mutare voluntatem. lib. 2.c.10.n.2.*

*Deportatus quænam dicatur retinere, eo quod ciuilia non ſint. n.4.*

*Deportatus eligere poteſt. lib.2.cap.11. in ipſo exilij tempore & loco. nu.2. huius ratio. n.5.& 6.*

*Deportatum pro mortuo haberi aut non haberi deducitur ex coniectura voluntatis eius, qui quidquam ei fieri iuſſit in teſtamento. lib.2.c.10.n.5.*

*Deportatus cui bona aut pars eorum relicta, poterat moriens de his diſponere. lib.3.c.17.nu.1. & inde ſed non de his quæ viatici nomine. n 4.*

*Deportatus bona in exilio quæſita interim retinet. lib.2.c.16.n.7.& inde & c.18.n.1.2.*

*Deportatus bona in exilio quæſita quomodo alienare poſſit. c.18.n.2.3. manumittere aut donare non poteſt. nu 4.*

*Deportatus capit à milite, lib.2. cap.19. num.1.*

*Deportatio capax eſt fideicommiſſorum. c.19.n.3. & inde etiam in teſtamento relictorum. nu.9. & ab hærede poteſt petere. c.20.n.3. capere poteſt, non relinquere fideicommiſſum. n. 8.*

*Deportatis adſignabantur aſperiores inſulæ. lib.2.c.26.n.1.2.*

*Deportati ſub cuſtodia exportabantur. num.6.*

*Deportati ſeruus an fideicommiſſum capere poſſit. lib.2.cap.18.nu.11. & inde Bartoli & aliorum in hac re ſententia. nu 12. 13. Franciſci Lonani, & Reteſij. 14. Doneli. 15. Petri Fabri duæ. 14. & 16. Ant. Pichardi. n.16. Antonini Fabri. nu. 17. Petri Gilquenij. n.19. aliæ. c.19.nu.1.& 2. noſtra tandem. c.19.nu.3 & inde.*

*Deportatorum liberis ſeu damnatorum relictæ bonorum portiones. lib.2.capit. 22.num.7. Quibuſnam liberis? ibidem. hæc portio dimidia erat bonorum num.8.*

*Deportatorum bona omnia aliquando pertinebant ad propinquos vſque ad tertium, gradum. cap.22. nu 11. quod ſtatim abrogatum. nu.12. alia ſanctio liberis omnia bona parentum damnatorum conſeruans, excepta Maieſtatis cauſa. num.13. deinde inſtauratum quod dimidia filiis ſeruaretur. nu.14. Iuſtinianus tandem omnia bona conceſſit deſcendentibus, & aſcendentibus vſque ad tertium gradum. cap.23. numer.1. & inde non vero ex latere venientibus. num.5.6.7 Quæ extra tertium gradum fauorabiliter progreſſæ fuerant, conſtitutiones non limitauit. nu 8.*

*Deportatorum bona ne quis per biennium poſtularet olim conſtitutum. lib.3.c.5. num.5.*

*Deportatæ matris bona omnia publicabantur. lib.2.c.22.n.9.*

*Deus Patria communis omnium hominum à Paulino dictus. lib.1.c.4.n.6.*

*Deorum iuramentum Styx. lib.2. cap 2. num.6.*

*Diis iratis frui, apud Iuuenalem. lib. 2. c.24.n.14.*

*Deſtierro in Hiſpania adſimilatur pecuniariæ pœnæ, & corporali opponitur. lib.2.c.31.n.6.*

*Dionis Pruſſenſis oratio de exilio. lib. 1. c.1.n.9.*

*Dionis Caſſij oratio quædam Philiſci nomine ad Ciceronem exulem laudatur. lib.1.c.1.n.11.*

*Dionis Caſſij locus de origine deportationis. lib.2.c.5.n.4. eius diligentia commendatur. c.26.n.17.*

*Diodori Siculi praua lectio oſtenditur. li. 2.c.4.n.5.*

*Dionyſij Halicarnaſſenſis anachroniſmus notatur. lib.1.c.7.n.12.& 13.*

*Diœceſis Græcum nomen, Prouincia eſt latinis. lib.2.c.27.n.6.*

Διοίκησις, *Diœceſis, territorium cuiuſque Rectoris eſt. nu.6.& 8. diœceſis eccleſiaſtica. nu.8.*

*Dies aſſignabatur exeundi exulibus. lib, 2.cap.33. nu.9. Hunc diem prorogare ſolus Princeps poteſt. lib.3. capit.4. num.5.*

*Diuortij an eſſet olim iuſta cauſa deportatio. lib.2.c.8.n.21.*

*Doctori de more ſui loci referenti fides habetur. lib. 2. c. 35. n. 2.*

*Domini vaſallorum reſtituere non poſſunt exules. lib. 3. ca 2. nu. 18. mulctas percipiunt, & Fiſcum habent, & publicatione bonorum ex parte vtuntur. ibid. Præſcribere tamen poſſunt Ius exules reſtituendi. ibid.*

*Domus exilium. lib. 1. c. 14 n. 13.*

*Domum ſeu tranſitum iuxta domum alicuius ſolet Iudex interdicere. lib. 1 ca. 11. n. 6.*

*Domicilium & origo alicuius in quo differant. lib. 1. c. 13 n. 9.*

*Domicilium duobus locis conſtitui poteſt. ibid.*

*Domicilium relegati in loco vbi moratur, item aliud in vrbe. lib. 2. ca. 13. nu. 3.*

*Donatio inter coniuges cauſa mortis an valeat ſequuta deportatione eius, qui donauit. lib. 2. c. 9. n. 2. 7.*

*Donatio coniugi facta in cauſam deportationis, ſeu diuortij iuſta eſt. capit. 9. num. 3. & 4. Quando huiuſmodi donatio confirmetur. nu. 5. 6. Fiſcus eam capit, & retinet, dum vir in exilio manet. nu. 11.*

*Dos reſtituitur vxori deportati. lib. 2. ca. 16. n. 5. & c. 8. n. 17. Deportatæ vxoris dotem vir retinet. c. 8. n. 18.*

E.

*ECcleſiæ immunitas an faueat exilij refugis. V. Exul confugiens in eccleſiam in E.*

*Eccleſiæ immunitas fauet his omnibus qui prohibiti hoc fauore non ſunt expreſſe lib. 2. c 34. n 7.*

*Eccleſiæ Immunitas Iuris eſt eccleſiaſtici. lib. 2. c. 34. n. 8. à quo tempore infidelibus denegata? n. 21.*

*Eccleſiæ Immunitas ad eos non pertinet qui contractus à ſe factos eludere volunt. lib. 2. c. 35. n. 7. nec debitoribus qui ex ſtatuto, vel ex pacto, ſeruire tenentur creditoribus. nu. 8.*

*Eccleſiæ immunitas iniuriam non debet irrogare. lib. 2. c. 35. n. 17. eius aliqua capita in deſuetudinem abierunt. n. 18 Clementis* VIII. *Papæ de Immunitate hac ſententia. n. 19.*

*In eccleſia non fiunt iudicia profana: olim hoc licebat, ſi iudicia non eſſent ſanguinis. lib. 2. c. 34. n. 14.*

*Eccleſia an ſit in territorio Principis, an extra? capit. 34. num. 33. Intra eccleſiam detrahit arma reis Iudex ſæcularis. ibid.*

*Eccleſia non præſtat iniuriarum cauſas. lib. 2. c. 35. n. 17.*

*Eccleſiaſtici Iudices reos in eccleſiam receptos aliò ſolent tranſmittere. cap 34. num. 24.*

*Eccleſiaſtica pœna eſt exilium. lib. 2. c. 32. num. 3.*

*Eccleſia quibus pœnis vtatur? Fuſtigatione, carcere, triremibus. publicatione. lib. 2. c. 32. n. 5. Non in Gallia. nu. 6.*

*Eccleſia irrogat pœnam relegationis, non deportationis. ibid. n 7.*

*Eccleſia an ſit per ſe incapax gladij materialis? lib. 2. c. 32 n. 8.*

*Eduardi Angliæ Regis lex de in exilium mittendis eccleſiæ ſupplicibus. lib. 2. c. 34. n. 17.*

*Electio an ſit Iuris, an facti? lib. 2. ca 10. n. 9. & ſeqq. electio in teſtamento relicta an conditionis, an diſpoſitionis vim habeat? n. 13.*

*Electio relicta cui liberorum fideicommiſſum reſtitui velit, conditionem continet. lib 2. capit. 11. num. 7. 8. quæ tempore mortis eius cui relicta eſt, extitit. num. 8. Sed tamen eligere poteſt quandocumque velit. nu. 9 & mutare electionem. nu. 16. quæ quidem mortis tempore plenam accipit firmitatem. nu 13. 14 15. Electus, ſi moriatur, nihil iuris relinquit filiis ſuis. n. 18. Viriles fiunt, ſi non eligat. n. 19.*

*Electio in mortis tempus commiſſa fauorem non tantum electoris, ſed & eorum, quos inter electio fieri debet, continet. lib. 2. c. 11. nu. 20. Similes huius aliæ cauſæ recenſentur. nu. 22. & 23.*

*Electio facta ante deportationem non eâ infirmatur: nec eo minus mutare factum poteſt deportatus. c. 11. n. 24.*

*Ἔνδειξις quid? lib. 2. c. 33. n. 21.*

*Ἐπιόδον exilium Græci vocant. lib. 3. c. 2. nu. 1.*

*Epiſcopus nequit relegare aliquem ſubditum niſi à ſua diœceſi. lib. 2. c. 32. n. 9.*

*à regno non potuit. num.*14 *intercedit pro reis. c.*35.*n.*22.

Etiam *aduerbium ſuperflue poni ſolet in oratione. lib.*2.*c.*22.*n* 6.

Etiamſi *coniungens particula, non diſiungens. lib.*2.*c.*22.*n.*6.

Εὔδουλοι *ſiue* Εὔνοικοι *Domini, hoc eſt, in ſeruos benigni. lib.*1. *c.*3.*n.*3.

Ἐκφυλλοφόρησις *per folia eiectio. lib.* 2. *c.*4.*n.*14.

Ἐπιβατίδες, Ἐπιβάδες *ſeu* Ἐπιβατηγοὶ, *nauium genus apud Vlpianum. lib.* 2. *c.*7.*n.*16.

Εὕρεμα βίου καὶ χρόνου, *Repertum temporis, & vſus vocatum à Dione Chryſoſtomo Ius Gentium. lib.* 2. *capit.*7. *num.*12.

*Eutropij eunuchi rogatu iniqua lex de tollendis aſylis ab Arcadio Imp. lata. lib.*2.*cap.*34.*num.* 13.19. *De eius reatu, & exilio, & morte. nu.*19. *Eutropius an ab eccleſia extractus? nu.*21.

Excedere *verbum abſolutè, ſignificat exilij fines tranſgredi. lib.*2.*capit.*33. *num.* 6.

*Excommunicatio aſſimilatur aquæ & igni interdictioni. lib.*1.*c.*7.*num.*11.

*Excommunicationis eccleſiaſticæ inter Hebræos vmbra. lib.*1.*c.*7.*n.*11.

*Excommunicatio & ſuſpenſio ad tempus tollitur eo abſoluto. lib.*3. *capit.*1. *numer.*2.

*Exeundi dies aſſignabatur exulibus. V. Dies.*

*Exilium an exſilium ſcribendum ſit. li.* 1. *c.*2.*n.*1.

*Exſilium ex ſolo dictum. lib.* 1. *capit.*2. *n.* 1.2.

*Exſilium, an exſulium rectius? lib.* 1. *c.*2.*n.*1.

*Exſoles olim dicebantur. nu.*2.

*De Exilio ſcriptores. lib.*1.*c.*1.*n.*1.

*Exilium ignominioſa res. lib.*1. *c.*2. *n.*9. *exilium eſt commutatio loci cum ignominia. nu.*7.

*Exilium ſine damnatione. lib.*1. *capit.*2. *num.*12.

*Exilium non propria eſt ſeruorum pœna. lib.*1.*cap.*3.*num.*1. *Exilium ſeruorum admittunt Cuiacius & Briſonius. numer.*6.

*Exilium pœna omnium antiquiſſima. lib.*1.*cap.*4. *num.*1.

*Exilium dicimus, & nos exules in quotidianis ad Deip. Virginem precibus. lib.*1.*c.*4.*n.*6.

*Exilij mala & diſpendia, lib.* 1. *capit.*4. *num.*11.

*Exilium pœna omnium criminum in quadam gente ad Caucaſum. nu.*12.

*Exilium in vſu fuit omnium gentium. num.*13.

*Exilium integri populi aut gentis. lib.* 1. *c.*4.*n.*14.

*Exilium olim apud Romanos non ſupplicium ſed perfugium ſupplicij. lib.* 1. *cap.*5.*num.*4.

*Exilium voluntarium. lib.*1.*c.*5.*n.*4.

*Exilium plebs irrogabat calculis. nu.*5.

*Exilij irrogandi formula Romana. numer.*7.

*Exilium voluntarium non euitabat pecuniariam condemnationem. nu* 8.9.

*Exilium voluntarium Athenis. nu.*11.

*Exilium permiſſum reis in legibus Porcia & Sempronia.c.*7.*n.*4.

*Exilium tutum quid? lib.*1.*c.*9. *nu.*10.

*Exilium tot millium paſſuum ab vrbe. lib.*1.*c.*11.*n.*2.

*Exilium liberum. nu.*4.

*Exilium, nè Romam, neúe vrbem aliam accederet. n.*5.

*Exilium à toto regno vel ditione ſolus Princeps imponit, aut qui vice illius in toto regno fungitur. lib.*1.*c.*12.*n.*7. *& cap.*13 *n.*25.

*Exilium in vrbe. lib.* 1.*capit.*14.*num.*1. *& in vico vrbis. numer.* 12. *exempla exilij in vrbe. num.*1.*&* 3. *etiam cum vinculis. nu.*4.

*Exilium ſeu incluſio in loco, quem cuſtodiri, aut inhabitari, publicè intereſt. lib* 1.*c* 14.*n.*6.

*Exilium in Prouincia, nè damnatus inde excedat. n.*7.

*Exilium in certo loco, aut regione. nu.* 8. *in deſolatis locis. ibid. & infeſtis peſte aut hoſtibus nu.* 9 *aut à patria remotiſſimis. ibid. Quis poßit tale irrogare exilium? n.*10.

*Exilium in patria. lib.*1. *cap.*14.*num.*11. *quodnam huius pœnæ exemplum primum? ibid.*

*Exilium Romæ. lib.*1.*c.*14.*n.*12

*Exilium*

*Exilium domus. lib.*1. c 14. *n.*13.

*Exilium in Gypſum & in Oaſim. nu* 15.

*Exilij tempus compleri poteſt in carcere. aut ex parte exigi, ſi per damnatum non ſtetit, quominus in exilium iret. lib.*1.*c.*15.*n.*7.

*Exilium magis propriè dictum de deportatione. lib.*2. *c.*1.*n.*8.

*Exilium deportationis : exilio deportare. ibid. Exilio deportari. ibid.*

*Exilium ſæpè de relegatione dictum. lib.* 2.*c.*1.*n.*9.

*Ad modum Exilij ferre ſententiam quid ſit apud Paulum? lib.*2.*c.* 1.*n.*9.

*Exilium temporale. V. Temporale exilium in T.*

*Exilium abſolutè de perpetuo intelligitur. lib.*2.*c.*2.*nu.*8.

*Exilium æternum. lib.*2. *c.*2.*n.*16.

*Exilium atrociſſima poſt mortem pœna. lib.*2.*c.*6.*n.*5. *imo quodam modo ſeuerius ipſa morte. ibid.*

*Exilium qui patiebatur olim causâ religionis, Chriſtianorum eleëmoſynis alebatur. lib.*2.*c.*24.*n.*11.

*Exilij mentio in Iure Canonico. lib.*2.*ca.* 32.*nu.*4.

*Exilium finitimum quid? ibid.*

*Exilium de quauis abſentia dicitur. lib.* 1.*cap.*2.*num.*12. *& lib.*2. *cap.*32. *numer.*11.

*Exilij refugæ per gradus coërcebantur. lib.*2 *cap.*33. *num.*2. *non antiquæ pœnæ ſed ſeueriori mancipabantur. ibid. Excipiebantur ab omni indulgentia, quæ daretur, exulibus. num.*3. *Qui non paret relegationis in tempus ſententiæ, relegatur in perpetuum. nu.*13. *In Hiſpania non ſtatim irrogatur perpetua pœna, ſed duplicatur tempus exilij. num.*15. *niſi repetierit exul contumaciam exeundi. nu.*16. *&* 23.

*Exilij refuga poteſt in carcere detineri, ut in eâ tempus pœnæ compleat. lib.* 2. *cap.*33. *num* 17. *Qui liberum exilium fregit, in Inſulam relegatur : qui relegationem inſulæ, deportatur. nu.* 19. *Qui deportationem, occiditur. nu.*20. *Quandoque hi gradus inſuper habebantur, & mors irrogabatur cuicumque exulis contumaciæ. num.* 22. *Sed apud nos gradus ſeruantur ſupradicti. ibidem.*

*Exilium dictum ab Imperatore Romanorum, & ſupremo Dei Vicario quænam iura auferat. lib.*3.*c.*9.*num.*23.

*In Exilio veterum nobilium Hiſpanorum quos appellabant* Ricos hombres *quot dies aſſignari mos fuerit eis ad exeundum? lib.*2.*c.*33.*n.*11.

*Exilium quod nos vocamus.* voluntario y preciſſo. *lib.*2.*c.*33.*n* 18.

*Exilium ita irrogari ſolet, ut impunè poſſit exul interfici. lib.*3.*cap.*9.*num.* 16.*&* 17. *Non tamen in eccleſia, quin ſacrilegij reus ſit. lib.*2 *cap.*34. *num.* 2.3.4. *Nec à filio pater, aut à patre filius ſic proſcriptus occidi poteſt. ibid. num* 3. *Nec mulier prægnans, aut qui iam in carcere deprehenſus manet. ibidem.*

*Exilium homicidæ aut rei alterius ferè non eſt pœna, ſed remedium & cautio, reo ipſi, parti læſæ, ac reipublicæ vtilis. lib.*2.*c.*35.*n* 14.*&* 28.

*Exilij expleto tempore ſtatim poteſt exul reuerti. lib.*3. *cap.*1. *num.*1.2. *Licet aliter voluerit Plato. num.* 1. *Similiter is, qui relegatus fuit à Iudice pro tempore ſui Magiſtratus. nu.*3.

*Exiliorum duorum tempora an ſimul currere poſſint. lib.*3.*c.*1.*n* 4.

*Exilium perpetuum abrogabatur per reſtitutionem V. Reſtitutio.*

*Exilium quandoque irrogabatur ſecluſâ ſpe reditus. lib.*3. *c.*2.*n.*5. *exilium irreuocabile. lib.*3. *c.*2.*n.*6.

*Exilium mutari ſolebat in Clementiorem exulandi formam. lib.* 3. *capit.*2. *num.*7.

*Exilium multum diſtat à pœna pecuniaria. c.*3.*n* 7.

*Exilium, cauſa exilij apud Feſtum. lib.*3. *c.*2.*n.*14.

Ἐξίλλειν, *Græcum verbum, vnde fortaſſe* exilium. *lib.* 1.*c.*2.*n* 4.

Ἐξορισμὸς, Ἐξορία. *Græcis eſt exilium. lib.*1.*c.*2.*n.*3. *& lib.*2.*c.*1.*n.*4.

Ἐξούλης δίκη. *Vnde vi interdictum. lib.* 1.*c.*2.*n.*5.

*Extorres vnde dicti. lib.* 1.*c.*2.*n.*2.

*Exul nomen eſt calamitatis non turpitudinis. lib.*1.*c* 2.*n.*10.11.

*Exulum conſolatoriæ epiſtolæ. lib.* 1. *capit.*1.

pit. 1. numer. 11.
Exul vt recipiatur in aliis locis naturæ, & gentium lex eſt. lib. 1. capit. 7. numer. 16.
Exulibus portio relicta viatici nomine. lib. 2. cap. 24. nu. 1. & inde. Siue conniuentia quadam ſiue ſententiæ forma. num. 3.
Exulem in eum locum mittere qui locus ſuæ Iuriſdictionis non eſt, quomodo Iudex poterit? lib. 1. c. 14. nu. 10.
Exul vinculis alligari ſolitus. lib. 1. c. 15. nu. 9. & verberari & aliis pœnis corporalibus ſubiici. num. 9. & 10. cædi, & radi. nu. 10.
Exulum Inſula : τῶν φυγάδων νῆσος, in Ægypto. lib. 1. c. 16. n 9.
Exulibus velut in agmen inſulæ alicuius tractus permiſſæ. lib. 1. capit. 16. numer. 10.
Exules lautè viuere ſolebant in exilio. lib. 2. cap 24. nu. 6. quidam autem miſerrimè. num. 8. propinquorum ope ſubleuati nu. 9.
Exul ſatiſdare ſolet alicubi de ſecuritate accuſatoris priuſquam dimittatur. lib. 2. c. 33. n. 10.
Exul retineri debet antequam dimittatur in ſuum exilium petente creditore, cui rationes debet reddere. lib. 2. c. 33. num. 12.
Exul ab aliquo regno abſtinere debet ab eâ portione, quæ in Ius illius regni poſteà fuit contributa. n. 31.
Exul, qui in exilio ſuo crimen committit, punitur. lib. 2. c. 33. n 29.
Exul in eccleſiam confugiens an immunitate illius gaudeat? lib. 2. cap. 34. & cap. 35. Probabile magis eſt non gaudere. cap. 34. num. 5. Quibuſdam tamen videtur aliter, & allegant Pontificia decreta num. 6. & conſtitutionem Gregorij XIV. nu. 7. Priuilegium Immunitatis eccleſiarum eo tantum reſpicit, vt à mortis & ſanguinis pœnis reos tantùm liberet. num. 9. Auctores huius ſententiæ. num 10. Teſtimonia ſynodorum & legum pro hac parte. num. 11. 12. 13. Torturam in his pœnis includimus. num 15. ſupplex eccleſiæ poteſt educi in exilij pœnam. nu. 17. exempla huius moris. ibidem. & num. 18. 19 23. Iuſiurandum interponi ſolitum in extrahendis ab eccleſia reis non vltra quàm de impunitate vitæ, ac membrorum concipiebatur. nu. 19. & 20. De officio S. Ioannis Chryſoſtomi pro Eutropio Eunucho. numer. 20. Clementis. VIII. De non admittendis in templum exulibus ſententia n. 24. Sed in exilium ſuum remittendis: quod exemplis monſtratur. nu. 25. imò & ſeueriore aliquâ pœna mulctandis. num. 27. Auctores huius partis præter ſuprà laudatos. num. 28. Rationes aliquæ huius ſententiæ examinantur, & improbantur. n. 29. & inde.
Exul in eccleſiam confugiens an vt damnatus non defendatur, aut vt damnandus defendatur ab eccleſia. lib. 2. c. 3[illegible] n. 29.
Exul ad eccleſiam confugiens, an in eccleſiâ ipſa delictum committere videatur. lib. 2. c. 34. num. 31. An ſpe immunitatis videatur exilio abiiſſe. nu. 32. Argumentis contrariæ ſententiæ ſatisfit. lib. 2. cap. 3[illegible]. Eccleſiæ aſylum damnandis, non damnatis videtur prodeſſe cap. 35. nu 2. Confirmatur hæc ex ſententia Clementis VII. ibid. Aſylo eccleſiæ, ſi demas mortis, & mutilationis pœnas iuri aliorum non derogant. nu 3. Oſius in Sardicenſi Synodo non loquutus fuit de immunitate eccleſiarum, ſed de interpoſitione Epiſcoporum pro reis. nu 21. 22. De ſententia Bullæ Gregorij XIV. nu. 23. Non impediſſe eam, quò minùs eccleſiæ ſupplicibus irrogari poſſit exilium. numer. 24.
Nec item quò minùs exilij refugæ ab eccleſiâ in exilium reuocentur. nu. 25.
An generalis ſit hæc Bulla? n. 26.
Item de alia Vrbanæ VIII nu. 27.
Exules an omnes hoſtes Reipublicæ? lib. 2. c. 34. n 30.
Exul aut ordine motus cum reſtituitur non ſtatim poteſt recipere nouos honores. lib. 3. cap 1. num 5. & 6. Differentia inter exulem ſeu relegatum, & ordine motum. n. 7.
Exul ex cauſa famoſa etiamſi reſtituatur, infamis manet. lib. 3. cap 1. nu. 10. quare niſi reſtituatur ei fama, nequit

ad honores admitti num.9 & 10. Diuerſum in eo, qui munere interdictus fuit ad tempus. nu. 11. & 12. leges de his interdictis latæ ad exules non pertinent. num.13. Differentiæ ratio inter vtroſque nu. 14. hodiernus mos de hac re. nu.15.

Exules quidam noluerunt reuerti ab exilio. lib.3.c.2.n.9.

Exulare pro exilio damnare.l.1.c.14.n.7.

Exulare etiam dicuntur bruta animalia apud latinos. lib.1 c.2. n.12.

Exules patriæ nomine non amplius appellati. lib.2.c.5.n.11.

Exules perpetui quarumcumque Græciæ ciuitatum, Athenis recipiebantur in ciues ex lege Solonis. lib.2.c.5. nu.12.

Exules recipiebantur in ciues eius loci in quo domicilium fixiſſent. lib.2. cap.5. num.13.

Exules Romani non vtebantur amplius Romanis legibus. ibid. nec togæ vſu gaudebant. n.14.

Exules pro mortuis. lib.2.c.6.n.1.

Exul alicuius regni, aut ciuitatis an ſecundum commune ius, & non ſecundum leges illius loci vnde exulat, teſtamentum faciet de rebus ſibi in eo loco relictis. lib.2 c.6.nu.16.

Exul quatenus videatur interdictus communibus, & municipalibus legibus. lib.2.c.7.n.11.

Exules plerumque hoſtiles animos in patriam gerebant. lib.2.c.8.n.4.

Exulum vxores retinebant in vrbe ſua Athenienſes & Lacedæmones. lib.2. c.8.n.2.4.5.

Exulis vxor ſeparari à viro nequit Chriſtiana lege. lib.2 c.8.n.5. niſi remigio erat deſtinatus, ob publicam honeſtatem.nu.5.

Exules V. Deportati, Relegati.

Ἐξοστρακισμὸς propter ὄστρακον ſeu teſtulam. lib.2.c.24.n.4.5.

Ἐφόδιον Viaticum.lib. 2.c.4. nu.4.

F.

Fabius Ambuſtus legatum violauit Gallorum. lib.1.c.8.n.5.

Q. Fabius deditus Apolloniatibus ob legatum eorum pulſatum.lib.1.c.8.n.9.

Facti quæſtio eſt in poteſtate Iudicis, non Iuris auctoritas. lib.2.c.14.n.4.

Famulus ægrotus ſalaria percipit. lib. 1. c.15.n.8.

Fideicommiſſa præſtandi neceſſitas: & quod non ideò conditionem mutauerint, vt Iuris gentium eſſe deſierint. lib.2.cap.19.num.4. & 8. & cap. 20. num.6.

Fideicommiſſorum præſtandorum neceſſitas ſemper excluſit eos qui legibus erant incapaces. lib 2. cap.19. num.5. pertinuitque ad peregrinos naturâ, non legibus, & in odium incapaces, num.6.

Fideicommiſſa etiam extra codicillos relinqui poſſunt. lib.2. cap.20. num.12. Relictorum extra aut in teſtamento, aut in codicillis differentia. nu.13.

Fideicommiſſum reſtituit Fiſcus deportati nomine, & quartam retinet. lib.2. c.25.n.12.

Fideiuſſores damnatorum. lib.2. cap.25. n.16. & inde.

Fideiuſſor an accipiatur pro obligatione quam olim contraxit deportatus. numer.17.

Fideiuſſores in corporalem pœnam non accipiuntur. lib.2.c.31.n.10.

Filij familias relegabantur à parentibus in agrum. lib.1.c.3.n 10.

Filius alere debet parentem damnatum. lib.2.c.24.n.2.

Fiſcus ſoluit debita publicatorum. lib. 2. c.25. ipſo iure onera ſubit cum bonis. ibid.nu.2. alendi filios, dotandi filias &c. num.3. vxoribus dotem ſoluendi V. vxores.

Filij damnati reſtitutio inſtaurat patri antiquam in eum poteſtatem. lib. 3. cap.5.num.10. Non generalis, ſed ſpecialis, & in integrum ibidem & num. 11. Quod à Conſtantino inductum: nec ideo minus reſtituebat olim parenti bona ad ſe delata quamuis maneret ipſe ſuæ poteſtatis nu. 7. Quæſita à ſe interim non reſtituit. nu.8.

Flau.dexter ſuppoſititius auctor. lib.1. c. 14.nu..2.

Forum ex delicto reus ſortitur. lib. 1. c.13. num.2.

Forum collimitium ſeu Ἀγορὰ quid apud

apud Demoſthenem. lib.1. cap.11. numer.8.

Forbannum, Forbannitus quis? lib.3.ca. 9.nu.12.

Franciſcus Philelphus ſcripſit Florentinas de exilio commentationes. lib. 1. c.1.n.10.

Franciſci Broei Iudicium de origine pœnæ, & nominis deportationis. lib. 2. c.5.n.5.

D. Franciſcus Ramos del Mançano Senator Regius laudatur. lib.1.c.13.n.18. Referuntur ex eo quædam explicationes. lib.2.c.19.n.14.

D. Franciſcus de Amaia I. C. Hiſpanus laudatur. lib.2.c.8.n.19. reprehenditur. c.9.n.9.

Fortunius Garſias laudatur. lib.2.cap.10. num.9.

D. Franciſcus Sarmiento Giennenſis Epiſcopus laudatur. lib.2. capit.11.numer.2.

Franciſcus Hotomanus reprehenditur. lib.2.c.12.n.3.4. & c.13.n.10. laudatur. nu.8.

Fructus bonorum an recipiat reſtitutus. lib. 3. cap. 7. Non recipere firmatur aduerſus quoſdam. num. 1. Fructus tantum eius temporis recipit, quo nata iam erat indulgentiæ cauſa, ſiue reſtitutionis. num 7. Generaliter tamen reſtituebantur fructus aliquando. nu.8.

Fuga pro exilio: lata fuga lib.1. c.10.nu. 5.6. Fugere, fugare. n.6.

Furfidius quidam auctor Syllæ fuit tabulæ proſcriptionis. lib.1. c.9.n 8.

G

Gallia an obnoxia ſit Romano Imperio. lib.3.c.9.n.14.

Gentium Iura manent inter ciuiles leges, niſi aliquâ ex his tollantur. lib.2.c.8. num 14.

Γῆν πρὸ γῆς terram pro terra. Prouerbium de exulibus Græcum. lib.1. ca.2. num.8.

Gloſſæ Cyrilli taxantur. lib.2. cap. 1. numer.4.

Gradus pœnarum refugis exilij deſtinatarum. lib.2.c.33. n.5.& ſeqq.

Grammaticæ regulæ ſolent ſperni à Iuris auctoribus. lib. 2.c 3.n.10.

Gyarus & Seriphus veluti ſolennes exiliorum inſulæ. lib.1. c.16.n.6.

Gypſus Inſula Ægypti locus exilio reorum deputatus. lib. 1.c.14.nu.15. & 17.

H

Hadriani Turnebi ſententia de origine deportationis. lib.2.cap.5.numer. 3.

Hadriani Imp. reſcriptum in l.IV. §. Diuus. Ad L. Cornelium de Sicariis, integrum producitur ex collatione legum Romanarum & Moſaicarum. lib.1. ca. 13.n 22.

Hadriani reſcripto in l. VII De bonis damnatorum lux inie&ta. lib. 2. cap. 22. nu.5.6.

Hebræorum lex de Homicidis. lib.1.c.6. n.10 & 11.

Heribannum quid? lib.3 c.9 n.6.

Hermodorus Epheſius exul auctor fuit Romanis petendarum è Græcia legum. lib.2.c.4.n.12.

Harmenopuli iudicium de commixtione filiorum cum matribus. refellitur. lib. 2.c 8 n.10.

Hiſpania nullo iure obnoxia eſt Imperio Germaniæ. lib.3.c.9. n 14.

Homo inexterminabilis quo ſenſu 2. Sapientiæ dictus. lib. 1.c.4.n.4

Homines dum viuunt, peregrini ſunt à Deo. lib.1.c.4.n.6.

Homicidium inconſultum apud Græcos annali exilio expiabatur. lib. 1.cap.6. num.2.4.

Homicidium inuoluntarium quare punitum. lib. 1.c.6.n.6.

Homicidium eiuſmodi immune tandem factum ab omni pœna. lib.1. capit.6. num.9.

Homicidij inuoluntarij expiatio ſolennis in Græcia. lib.1 c.6.n 3.

Homicidij huius pœna canonica. nu.7. & Romana. n.8.

Homicidæ inuoluntarij iudicabantur Athenis in Palladio. lib 1.c.6.n.3.

Homicidas inuoluntarios terreri ab interfectorum animis perſuaſum Græcis. lib.1.c.6.n.6.

Homicidæ

*Homicidæ apud Athenienſes quibus locis prohiberetur? lib.1.c.11.nu.8.*

*Hoſtibus dedi iuſſus, quo tempore ciuitatem amitteret? lib.1.cap.8.num.1. & ſeqq. Ciceronis de hac re ſententia num.12. Is qui non reciperetur ab hoſtibus, ciuis manebat apud Græcos. numer.15. Bruti & Scæuolæ in hac cauſa iudicium. nu. 17. Hoſtibus deditus receptus an poſtliminium haberet. nu.15. 16. 17. deditus non receptus an ciuis manſerit. nu.18.*

I.

*IAcobo Sirmondus laudatur. lib.1.c.14. num.8.*

*Ieiunium publicum indictum aliquando ad alendos exules communi ſumptu. lib.2.c.24.n.12.*

Ἱερομνήμονες Ἱερογραμματεῖς *ſcribæ ſacrorum. lib.1.c.11.nu.17.*

*Ignominiâ liberat durior ſententia. lib.2. c.2.n.6.*

*Imperatores Romani in reſcriptis ſuis receſſerunt ab antiqua verborum Iuris proprietate. lib.1.c.3.n.11.*

*Imperatoribus Romanis quinam eſſet mos inſcribendi & ſubſcribendi edicta quando duo ſimul in Oriente & in Occidente imperabant. lib.2. c.33.n.24.*

*Imperatoribus Romanorum Germanis an datum ius confirmandi Pontificum electiones. lib.2.c.32.n.8. & 15.*

*Immunitas V. Eccleſia.*

*Inſulæ vinculum quid, & quale? lib.1. capit.15. numer.1. grauiſſima omnium exiliorum pœna. ibidem. Nec cadauera demortuorum exulum inde extrahebantur inconſulto Principe numer.2.*

*Inſulæ deportatio vel hodie in vſu eſt Neapoli lib.3.c.9.n.19.*

*Inſulæ vnius aliquando plures erant exules. lib.1.c.15.n.5.*

*Inſulæ vinculum non ſemel ſub cuſtodia militum. lib.1.c.15.n.6.*

*In Inſulam mitti quaſi ſcopulo fuit defigi. lib.1.c.15.n.4.*

Inſula *dicta de Inſulæ exilio apud Senecam. lib.1.c.15.n.12.*

*Inſulæ exiliis celebriores. c.16.*

*Inſulæ vinculi diuiſio in relegationem & deportationem. lib.2. capit. 1. numer.1.*

*Inſulas omnes immediato Principum imperio ſubeſſe Accurſius malè credidit. l.2.c.29.n.2.*

*Inſularum Præſidatus, ſeu Prouincia quanam? nu.3.*

Inane Iudicium *dicitur Iuuenale exilium non ademptis bonis. lib.2.ca.24. num.14.*

*Inſcriptio Tituli De Interdictis Relegatis & deportatis explanatur. lib.2. ca.5. num.8.*

*Infamia an temporaria eſſe poſſit. lib. 2. c.14.n.5.*

*Infamis eſt quicumque damnatur ob cauſam famoſam lib.2. cap.14. numer.2. & 3.*

*Infamiam damnationis euitandi duo modi. lib.2.c.14.n.9. & inde.*

*Interdicti Romana ditione ſe in Maſſiliam recipere ſolebant. lib. 2. capit.5. num.7.*

*D. Ioannes Suarez de Mendoza Hiſpalenſis rerum Indicarum Prætorij Senator laudatur. lib.1.cap.3.num.10. & c.6.n.9.*

*D. Ioannes Solorzanus Regius Senator laudatur. lib.1.c.6.num.7. eius obitus. lib.2 c.30.n.5.*

*Ioannes Marcus Aquilinus I. C. Calaber reprehenditur. lib.2.c.11.nu.5.*

*Ioannis Gryphiandri & Ioannis Corraſij ſententia de Iure deportandi Præfecti vrbi improbatur. lib.2. capit. 28. num.11.*

*Ioannes Morinus laudatur. lib.2.cap.32. num.6.*

*Ioannes Iacobus Chifletius laudatur. lib. 3.c.9.n.14.*

*Ioſephus de Retes Salmantinus Iuris ciuilis Anteceſſor laudatur. lib.1. cap. 8.num.20. & in præfatione ad lectorem. Quædam eius placita minus probantur. lib.1.c.15.n.2. & 3. lib.2.c.16. num.21.*

*Italica an Italia dicta vrbs Bæticæ. lib.1. c.13.n.22.*

*Iudex qui Regis vicariam poteſtatem in toto regno gerit, poteſt à toto regno expellere: alius non. lib.1.c.13.nu.25.*

*Iudex efficere non poteſt vt famoſi criminis damnatum non ſequatur infamia. lib.2.c.14.n.4.*

*Iudex quando videatur exacerbare ſententiam. ibid. nu.11.*

*Iudex nullo caſu reuocare poteſt ſententiam, quæ tranſiit in rem iudicatam. lib.3.cap.2.numer.12.niſi ratio innocentiæ reo conſtiterit. nu.13. an exules reuocet? cap.3.toto.*

*Iudex in his, quæ ſine cognitione expedire debet, nequit ex conſcientia eius quod factum eſt rem differre. lib.2. c.21.n.7.*

*Iudex etiam in arbitrariis pœnis ſequi debet id quod vulgo iudicari ſolet. lib.2. c.31.n.11.*

*Iudex à quo fuit appellatum adhuc poteſt quædam in reo ſtatuere. lib.2. cap.31. n.12. & cautela in hac re quædam oſtenditur n.13.*

*Iulius Capitolinus explanatur. lib.1. cap. 11.num.4.*

*Iurare quidam ſuperſtitioſè verentur. lib. 2.c.21.n.6.*

*Iure gentium teſtari, quid? lib.2. cap.6. num.9.*

*In Iuris fragmentis quæ hinc inde à Triboniano deducta ſunt in corpus Iuris ciuilis, exponendis non debemus ſuperſtitioſe verſari lib.2.c 17.nu.12.*

*Iuris ars non ſine munditie ac decoro ſermonis debet tractari. lib.3. cap.5. numer.3.*

*Iuſtiniani Nouellæ* CXXXIV. *inſcriptio, & ſubſcriptio varia explicatur. lib.2. cap. 3.num 3 & conſtitutio ipſa. numer 19. Nouella* XVII. *exponitur. cap. 23 nu.4.*

*Iuſtiniani Authenticæ Bona damnatorum. De bonis proſcriptorum in Codice, male adiecta verba quæ illius non ſunt c.23.n.5.*

*Iuſtiniani Nouellæ* XX *cap.* XVIII. *de pœna ſeruitute abrogata interpretatio. lib 2.c.23 n.15.*

*Iuuenalis laus, lib.2.c.24.n.14. eius exilium lib.2.c.13.n.5.*

*Iuſtiniani Edictum* VIII. *De Vicario Pontici tractus exponitur. lib.2. capit.27. num.13.*

L.

*Ampridius ex coniectura explanatur. lib.2.cap.27.num.16.& lib.3.c.2. num.6.*

*Lapis Arundellianus Chronographicus. lib.1.c.11.n.17.*

*Lata fuga, certorum locorum interdictio. lib 1.c.10.n.2. & cap 11.*

*Latini Colonarij quâ eſſent conditione? lib 2.c.6.n.6.*

*Legatum qui violaſſet ei genti vnde erat legatus, dedebatur olim. lib.1. cap.8. num.2.*

*Legitima filiorum iure naturali non debetur. lib.2.c.22.n.5.*

*Lelij Biſciolæ dictum improbatur. lib. 1. c.13.n.19.*

*Leonis* VIII. *Papæ caput.* In Synodo XIII. LXIII. *diſtinctione, Hadrianique caput* XX. *eiuſdem diſtinctionis explicantur. lib.2.c 32.n.15.*

*L. vnica C De Mulieribus quæ ſe ſeruis propriis coniunxerunt, exponitur. lib. 1.c.3.n.11.12.*

*L.2. C. De ſepulchro violato explicatur. lib.1.c 3.n.13.*

*L.2. D. Qui & à quibus manumiſſi &c. explanatur. lib.1.c.3.n.6.8.*

*Legis 4. D. De captiuis ſententia oſtenditur. lib.1.c.8.n.11. item l.finalis. De legationibus.*

*L.1. §.* XIII *De officio Præf. vrbi elucidatur lib.1.c.12.n.4.5.6.*

*L.8. De Pollicitationibus illuſtratur. lib. 1.c.12.n.6.*

*Legis 6.§. vltimo. De Pœnis ſententia aperitur. lib.2.c.26.n.10.13.*

*L.23. C. De Pœnis explicatur. lib.1.c.15. num.7.*

*L.4. C. In quibus cauſis tutorem habenti &c. explanatur. lib.2. capi.3.num. 2. & 4.*

*Legis 5 De capite minutis vera lectio ex Florentinis Pandectis. lib.2.c.3.n.3 & cap.13.n.9.10.*

*L. 14. §. 3. De Solutionibus explanatur. lib.2.c.3.n.6.*

*L.1 §.6. D. Ad S. C. Tertullianum exponitur. lib.2.c.7 n.2.3 4.*

*Legis 6. §.1. De bonis dānatorū germana ſententia.*

*ſententia. c.8. n. 8. & ſequentibus.*
*L.*1.*C. De Repudiis, elucidatur eod.cap.*8. *num.*15.
*L.* XVII. §. *ex facto S. D. Ad Trebellianum, explanatur. c.*10.*nu.*8.
*L.*77. §. *à filia* 10. *De legatis* 2. *explicatur. lib.*2.*c.*11.*n.*17.
*L.*5.§.*vltimo D. De ſtatu hominum, luce donatur. lib.* 2.*c.*12.*n.*10.
*Legis* 43. §. 12. *De Ritu nuptiarum ſententia lib.*2.*c.*14.*nu.*4.
*Legis* 3. *D. De lege Cornelia de Sicariis, ſententia oſtenditur.lib.*2.*cap.*15. *num.*4.
*L.*97. *De Regulis Iuris, declaratur.lib.*2. *c.*16.*n.*6 *& c.*17.*n.*3.
*Legis* 25. *D. Rerum amotarum oſtenditur mens. lib.*2.*c.*16.*n.*13.
*L.* 40. §. 1. *D. Ex quibus cauſis maiores &c. & l.* 5. §. 1. *De bonis damnatorum, explicantur. lib.*2. *cap.* 16.*num.* 19.*&* 20.
*Legis* 7. §.1. *De legatis* 2. *ſenſus inquiritur. lib.*2.*c.*17. *num.*6. *& ſequentibus. & c.*19.*n.*17.
*L.* 45. *in principio. De Iure Fiſci exponitur. lib.* 2.*c.*18.*n.*10.
*Legis* 1. §. *Hi quibus. De legatis* 3. *ratio quæritur. lib.*2.*cap.*20.*num.*9.10. *Item* §. 5. *eiuſdem legis ibid. num.*10. *& inde.*
*L.*73. *De Iure dotium, declaratur.lib.*2. *c.*24.*n.*10.
*L.* 29. *De Iure Fiſci, aduerſus Accurſium exponitur. lib.*2.*c.*24.*n.*21.
*L.* 4. *De Interdictis, explicatur. lib.*2. *c.* 24.*nu.*23.
*L.*4.*C. De locato explanatur. lib.*2.*c.*26. *n.*20. *&* 21.
*L.* 6. §. *qui vniuerſas. De officio Præſidis aduerſus Merillium explicantur. lib.* 2.*c.*27.*n.*3.
*Legis* 1. *C. Theodoſ. De Iuriſdictione quiſnam auctor ſit? lib.*2. *cap.*27. *numer.*10.
*Legis* 15. *De Interdictis ſententia oſtenditur. lib.*2.*c.*28.*n.*10.
*L.* 12. *C. De Ædificiis priuatis explicatur. lib.*2. *c.*31.*n.*5.
*L.*1. *Verſ. Sed & ſi D. An per alium cauſæ appellationis &c. declaratur. lib.* 2. *c.*31.*n.*8.
*L.* 33. *De Pœnis luce donatur. lib.*3.*cap.*1. *num.* 2.
*Lege* 13. *De Decurionibus lux immittitur. lib.*3.*c.*1.*n.*6.
*Lex* 2. *C. De his qui in exilium libro* 10. *declaratur. lib.*3.*c.*1. *n.*8.
*L. vlt. C. De ſententiam paſſis, explicatur. lib.*3.*c.*5.*n.*7.8.9.
*L.* 4. *Tit.*22. *Partitæ* 4.*exponitur.lib,*3. *c.*3.*n.*6.
*Legis* 16. *Tit.* 18. *lib.* 4. *Recopilationis Hiſpanæ ratio oſtenditur. lib.* 2. *cap.* 31.*numer.*15. *Item legis* 3. *Tit.* 19. *libri* 8. *ibidem. Item legis* 15. *Titulo* 26. *eiuſdem libri. ibidem n.*16.
*Liber Græcus Leonis & Conſtantini Imperatorum. lib.*1. *c.* 3.*n.*12.
Liber fieri *apud Vlpianum ſolutionem pœnæ ſignificat, non ſolutionem ſeruitutis. lib.*2.*c.*11.*nu.*10.
*Libera cuſtodia quænam eſſet? lib.*1.*c.*14. *num.*5.
*Liberum exilium. lib.*1.*c.*11.*n.*4.
*Libertas naturalis, & ciuilis Iure Quiritum. lib.*2.*c.*12.*nu.*5.
*Liberti in Oram Campaniæ relegati à patronis. lib.*1.*c.*3.*n.*10.
*Liberti damnati ſucceſſio. lib.*2.*capit.*25. *num.*8.9.
*De Libertis Tractatus apud auctorem eſt ſemiformatus. lib.*1. *c.* 3.*nu.*10.
*Liberis damnatorum portiones relictæ V. Deportatorum liberis in D.*
*Liceatnè ſemper id quod minus eſt ei, cui licet quod plus eſt? lib.*2. *capit.* 26. *num.*11.14.15.
*Litora maris communia ſunt. lib.*2.*c.*33. *num.*30.
*Liuij egregius locus de Magiſtratus publica perſona. lib.*2. *c.*2.*n.*14.
*Ludouici Dorleans ſententia quædam improbatur. lib.*1.*c.*16. *in fine.*
*Luſitanorum mos in perſcrutandis nouarum regionum moribus, & natura. lib.*1.*c.*14.*n.*6.

M.

M*Aieſtatis læſæ reis omnia bona publicabantur. li.*2.*c.*23.*n.*9 *etiam*

 *diuina*

diuinæ. numer. 10. 11.
Maioratus à parente incapace facto ad filium tranſit; at ſi indignus factus ſit, ad Fiſcum, dum reus viuit. lib. 2. c. 16. nu. 3. & 4.
Maioribus prohibitus minora petere non prohibetur. lib. 1. c. 13. nu. 13.
Mancinus V. Caius Mancinus.
Manclauium ſeu Manuclauium flagelli genus. lib. 1. c. 15. n. 11.
Mannire quid? lib. 3. c. 9. n. 4.
Marcus Antonius Muretus laudatur. lib. 1. cap. 3. nu. 8. Diuinatio eius improbatur. ibid.
Maris littora communia ex Platonis lege quadam confirmatur. lib. 2. cap. 33. numer. 30.
Martini Papæ I. exilium. lib. 1. capit. 14. num. 8.
Maſſilia cur exulum refugium? lib. 1. c. 7. n. 16. & lib. 2. c. 5. n. 7.
Matres Pontificum apud Hebræos victum & veſtitum exulibus dabant, nè precibus accelerarent eorum mortem, quo maturius redire poſſint. lib. 2. c. 2. nu. 10.
Materna bona non tam debita filiis quàm paterna. lib. 2. c. 22. n. 9
Matrimonium an ſoluatur deportatione? lib. 2. c. 7. nu 7. Manet quidem matrimonium deportati. cap. 8. num. 1. ſed non ciuile. nu. 6. nec Iure Quiritum, ideo filij non naſcebantur deportato legitimi c. 8. n. 19.
Matrimonium deportati non ſoluebatur ſi conſenſus coniugum maneret. cap. 8. num. 7.
Matrimonium deportati dote cenſetur. lib. 2. c. 8. n. 14. 15. 16. 17.
Matrimonium cum deportato tunc ſoluebatur cum ceſſabat in altero coniugum affectio coniugalis. lib. 2. capit. 8. num. 20.
Matrimonium inter Chriſtianos nulla pœnâ ſoluitur. lib. 2. c. 8. n. 22.
Matrimoniorum magna cura à Romanis habita. lib. 2. c. 8. n. 1.
Matribus non commiſceri lex eſt Iuris naturalis. lib. 2. c. 8. n. 10.
Menſia lex prolem iubebat ſequi deterioris conditionis parentem. lib. 2. cap. 12. num. 8.
Metalli pœna liberatus generali ſeu communi indulgentia Fiſci adhuc ſeruus manet. lib. 3. cap. 4. num. 8. & cap. 5. num. 11.
Metropolitanus an poſſit aliquem relegare à tota Prouincia ſuâ hoc eſt ab omnibus diœceſibus ſuffraganeorum. lib. 2. c. 32. nu. 10. Capite II. de Arbitris, & Tuarum II. de Pœnis non bene adducuntur in contrarium. lib. 2. cap. 32. num. 11.
Metropolitanus poteſtatem non habet extra ſuam diœceſim niſi in caſibus à iure expreſſis. n. 13.
Marcus Tullius Cicero V. Tullius Cicero in T.
Martinus Vaſquius Siruela Portionarius Hiſpalenſis eccleſiæ laudatur. lib. 1. ca. 13. n. 22.
Marij Giurbæ ſententia de voluntariis remigibus improbatur. lib. 2. cap. 35. num. 7.
Metus iuſta cauſa non eſt exilium. lib. 2. c. 32. n. 1.
Mauruſiorum ab Hiſpania exilium. lib. 1. c. 4. n. 14.
Militis inteſtati bona, qui ex militari delicto damnari meruit, ad cognatos eius pertinent. lib. 2. c. 23 n. 8.
Miles damnatus de Caſtrenſibus teſtabatur. nu. 13.
Minoribus prohibitus ad maiora aſpirare non debet. lib. 1. c. 13. n. 13.
Minuendæ pœnæ quænam ſint iuſtæ cauſæ. lib. 2. c. 14. nu. 15. 16. 17. pœnæ iuſta diminutio infamiam euitare facit damnatum. n 13. Iudex in ſententia exprimere cauſam debet quare minuerit pœnam. n. 18.
Michaëlis Attaliatæ locus è ſynopſi emendatur. lib. 2. cap. 1. nu. 4. ipſe & Boëtius, & Baſſilicorum interpres Græcus explanantur. lib. 2. cap. 12. nu. 10. & 11.
Monachi habitabant in Oaſi Ægypti. lib. 1. c. 14. n. 16.
In Monaſterium detruſio pœna quædam fuit vulgaris. lib. 1. c. 14. n. 13.
More maiorum necari apud Romanos. lib. 1. c. 7. n. 6.
Mulcta quænam dicatur proprio verbo Iuris, & hodierno vſu. lib. 3. c. 3. n. 6.

*Multam remittit Iudex cauſa paupertatis. lib. 3. c. 3. n. 4. & 5.*

*Munus publicum ſeu Magiſtratus idem eſt in diuerſis hominibus. lib. 2. cap. 2. num. 13.*

*Muſonius de exilio ſcriptor. lib. 1. cap. 1. num. 2. Muſonij liber* Exilium non eſſe malum. *num. 3. Muſonij plures. num. 4. Muſonius Babylonius Philoſophus. nu. 5. C. Muſonius Rufus eques Romanus. nu. 6. & 7. Muſonius alius ſub Iouiano. nu. 8. Muſonius Babylonius auctor eſt libri de exilio. ibidem.*

N.

*NAid ſiue vrbs, ſiue regio quam habitauit Cainus. lib. 1. c. 4. nu. 10.*

*Naturalis Iuris non ideo minus quædam ſunt quòd à quibuſdam barbaris gentibus violentur. lib. 2. c. 8. n. 10.*

*Nellus de Sancto Geminiano de Bannitis ſcripſit. lib. 1. c. 1. n. 12.*

Nihil *aduerbium apud bonos auctores cum ſubſtantiuo nomine compoſitum: nihil vitium, nihil negotium, pro nullo vitio, aut negotio. lib. 2. cap. 9. numer. 10.*

Nod *Hebræis,* profugus *Latinis. lib. 1. c. 4. n. 10.*

*Noë rem paſſus fuit exilij. lib. 1. capit. 14. num. 8.*

*Nicolaus Claudius Fabricius Senator Aquenſis in Gallia laudatur: & eius vita à Petro Gaſendo conſcripta. lib. 1. c. 13. n. 18.*

*Nouellæ 134. cap. Sed hodie & Authentici inde deſumpti varietas oſtenditur. lib. 2. c. 31. n. 5.*

*Nouellæ V. Iuſtinianus in I.*

*Nuptiæ ſeruiles. lib. 2. c. 8. n. 12.*

O

*OAſis exilium. lib. 1. c. 14. n. 15. Oaſis Ægypti vrbs vnde dicta? num. 16. commoda eius & incommoda. nu. 15. & 16.*

*Orbis Romanus; Orbis noſter dictus ab Imperatore Occidentis Occidentale Imp. lib. 2. c. 33. n. 25. & 26.*

*Oracula non eadem reſpondebant piis ac ſceleratis. lib. 2. c. 35. nu 20.*

*Ordine motus ad tempus, exacto eo fungi honore poteſt ex Antonini edicto. lib. 2. c. 14. n. 6.*

*Origo vel pro patria propria, vel pro parentum patriâ. lib. 1. c. 13. n. 9.*

*Originis Prouinciæ plures eſſe poſſunt. lib. 1. c. 13. n. 9.*

*Oſſa & cadauera diuerse conſiderantur in Iure. lib. 1. c. 15. n. 2.*

*Oſtraciſmus Athenienſium. lib. 2. ca. 4. num. 1. exilium decennale excellenti cuique ciui irrogatum. nu. 2. Iuſtum nè an iniuſtum? ibid. Non fuit pœna, ſed mitigatio inuidiæ. nu. 3. per certa interualla temporis vſurpabatur. nu. 3. forma iudicij num. 5. An locus præſcriberetur Oſtraciſmo pulſis. num. 6. optimi Athenienſium id perpeſſi ſunt. nu. 8. De eius origine. num. 10. Quinam de Oſtraciſmo ſcripſerint. numer. 10. Oſtraciſmi abrogatio. n. 11.*

*Oſtraciſmo vſæ aliæ vrbes & populi præter Athenienſes. lib. 2. c. 4. n. 12.*

*Oſtraciſmus an vtiliter hodie exerceri poſſit. num. 15. Oſtraciſmus raro puniuit veram ſed ſimulatam virtutem. num. 16.*

*Oſtraciſmus & Fuga ſeu commune exilium Græcorum qualiter differrent in publicatione bonorum. lib. 2. capit. 24. num. 16. & inde. Oſtraciſmus non per omnia ſimilis relegationi Romanæ. n. 17. Oſtraciſmus pro relegatione apud inferioris æui ſcriptores. n. 18.*

*Ouidius Geta an idem qui Naſo, apud Tertullianum. lib. 1. c. 16. n. 7. Ouidij relegatio inclemens. lib. 2. c. 26. n. 5.*

*Ouidij verſus exponuntur non ex ſententia Ioſephi Reteſij. lib. 1. c. 15. n. 3.*

P.

*PApæ duo ſimul eſſe non poſſunt vbi de Liberio & Fœlice. lib. 3. cap. 5. n. 2.*

*Parricida an diſtinguatur ab homicida. lib. 2. c. 15. n. 8.*

*Pars pro dimidia parte. lib. 2. capit. 22. num. 8.*

*Parthi Scytharum exules vnde nomen ſortiti. lib. 1. c. 2. n. 6.*

*Patriæ dulcis & innatus omnibus amor. lib. 1.*

*lib.*1.*cap.*4.*num.*2.

*Patria cùm interdicitur eius quoque territorium interdicitur. lib.* 1. *capit.* 13. *num.*10.

*Patria prohibitus, Româ per conſequentiam videbatur prohibitus. lib.*1.*cap.* 13. *num.*14. *quia Roma omnium eſt patria. num.*16. *Prouincia prohibitus cenſebatur & Italia prohibitus. num.* 14. *&* 22.

*Patria poteſtas perit deportato. lib.*2.*cap.* 7.*n.*8.9.

*Patria poteſtas inſtauratur per reſtitutionem parentis damnati. lib.*3. *cap.*5. *num.*7. *non generalem, ſed ſpecialem. ibid. & cap.* 4. *num.* 8. *In quo non ſit iniuria filio. nu.*8. *ſed facta interim à filio conſeruantur præter teſtamentum. ibid. Reſtitutio filij an reddat poteſtatem patris V. Filius.*

*Patronus damnatus an amittat libertorum iura. lib.*2. *c.*23.*n.*11.

*Patronatus ius in libertos perit deportato : item eccleſiaſticum. lib.*2.*capit.*7. *num.*9.

*Pauperes vix emergunt, & noti ſunt. lib.* 2.*c.*22.*n.*6.

*Pax ſolenne verbum in prehendenda arâ. lib.*2.*cap.*35.*n.*12.

*Peculium profectitium & aduentitium filiorum damnatorum, item caſtrenſia bona, an deportatis iis, & an deportato parente publicentur. lib.*2.*capit.*16. *num.*5.

*Pecuniaria pœna in irritum cadit, ſi reus non ſit ſoluendo : in quo multum differt ab exilio. lib.*3.*c.*3.*n.*7.

*Pertinere ad nos quænam dicantur? lib.* 2.*c.*18.*n.*6.

Περιορισμὸς *quid? lib.*2.*c.*1.*n.*4.

*Perpetuum exilium præſtat tutori excuſationem, non temporale. lib.*2.*cap.*3. *num.*1.

*Perpetui exilij nota apud collatorem legum Moſaicarum, & Romanarum. lib.*2.*c.*2.*n.*16.

Πεταλισμὸς *Syracuſanorum. lib.* 2.*cap.*4. *num.*14.

*Petrus Alcyonius de exilio ſcriptor. lib.* 1.*cap.*1. *num.* 10. *Petrus Pithæus laudatur. lib.*1. *cap.*12. *num.*2. *Item Faber. lib.*2. *cap.*7. *num.*2. *Item Petrus Peralta Salmanticenſis olim Primarius. lib.*2.*c.*11.*n.*17. *Petrus Gaſendus. lib.*1.*cap.*13.*num.* 18. *Petrus Gambacurta. lib.*2.*c.*34.*n.*28.

*Phalaridis epiſtolæ. lib.*2. *c.*4 *n.*10.

*Pij* V. *Pontificis præceptum de reo quodam, qui ſe admotaui defendebat, extra eccleſiam extrahendo. lib.*2. *ca.*35. *num.*25.

*Plutarchi liber* περὶ φυγῆς *de exilio. lib.*1. *c.*1.*n.*9.

*Plutarchus ſcriptor diligentiſſimus. lib.*2. *c.*4.*n.*10.

*Poëtæ quo habitu exules mitti debuerunt in Platonis Republica? lib.*2. *c.*6.*n.*2.

*Pœnæ mediocres omnibus olim delictis irrogabantur. lib.*1.*c.*7.*n.*7.

*Pœna legitimæ diminutio ex iuſta cauſa infamiam à damnato auertit. lib.* 2. *cap.*14.*num.*13. *Quænam ſit cauſa iuſta. num.*14. 15. 16. *Vide Minuendæ pœnæ in M.*

*Pœnæ eccleſiaſticæ quales? V. Eccleſia.*

*Pœnæ de corporalibus dicuntur. lib.* 2. *cap.*35. *num.*9.10.11. Puniri *pœnas corporales tantum ſignificat. num.* 13. *&* 15.

*Poſtliminium an eſſet iis qui hoſtibus dederentur. lib.*1.*cap.*8. *num.*15. *Poſtliminium an in bello captis eſſet. n.* 17.

*Præſes de omni Prouinciæ Rectore dictus. lib.*1.*c.*12.*n.*1.

*Præſides quidam pluribus ſimul Prouinciis præter ſolitas interdicere poterant. lib.*1.*c.*13. *n.* 24.

*Præſidis & Præfectorum in deportationis re differentia. lib.*2.*c.*28.*n.*9.

*Præſes an deportare poſſet ſaltem non-ciues Romanos? lib.*2.*c.*29.*n.*7.

*Præſides Prouinciarum Ius deportandi non habuerunt. lib.*2.*cap.*26. *num.*8. *&* 10.

*Præſides omnes habuerunt ius gladij, contra Merillium. lib.*2. *cap.*26. *num.*18. *& ſeqq. & cap.*27.*num.*9.*& inde. In Præſidatus forma Caſſidoriana quare non expreſſum ſit de gladij iure? numer.*12.

*Præſides tantum annotabant reum dignum eſſe deportatione, referentes de eo ad Principem. lib.*2. *cap.*27. *nu.*14. *plenam opinionem ad Principem mittebant.*

iebant : & hoc quid? num. 15. 17.

Præſes de Proconſule dicitur aliquando. lib.2.c.28.n.3.

Præſes Prouinciæ in extraneos etiam animaduertit. lib.1. capit. 13. numer.1. quamuis extra Prouinciam ſuam iuriſdictionem non exerceat. numer. 2. ſolet tamen remittere reum cum elogio ad Iudicem proprium. nu. 3. Interdicere Prouincia, quam regit, etiam extraneum poteſt. ibid. n.4.

Præſes Prouinciæ relegare poterat in inſulam : ſed imperator eam aſſignabat. lib.1.c.13.n 6.

Præſes non ſolum Prouincia in qua reus moratur, ſed eâ etiam vnde oriundus eſt, prohibet. lib. 1.c. 13.nu.8.& 10.

Præſes interdicens Prouincia aliqua reum, ſuam ipſius Prouinciam quam regit, interdicere videtur.ibidem.numer.12.

Præſes Prouinciæ originis damnati non habet ius prohibendi domicilij Prouinciam. n.13.

Præfecti Prætorio, & vrbi relegare poterant. lib.1.c.12.n.3.

Præfectus vrbi an relegauerit ab integra Italia? lib.1.c.12.n.6.

Præf. vrbi deportare poterat. lib.2.c.28. nu.5. an Inſulas in ſua ditione habuerit. nu.11.

Præfectura Prætorij dignior & ſublimior vrbanâ. lib.2.c.28.n.13.

Præfecturæ quatuor toto orbe Romano cõſtitutæ à Conſtantino. lib.2. c.27.n.7.

Præf. Prætorio deportare poterat. lib.2 c. 28 nu 6. Sed inſulam aſſignabat Princeps. n.8.& 11.

Prætor Peregrinus, ſiue inter ciues, & peregrinos, Romæ. lib.2. c. 6.nu.16.

Princeps vbi eſt, manere exul nequit. lib. 1.c.13.n.20.

Principi relicta ad ſucceſſorem pertinent eo mortuo. lib.2.c.2.n.13.

Principis indulgentia quatenus ſit plene intelligenda. lib.3. c.7.n.2.

Princeps hoc tantum facere poſſe dicitur quod facere æquum eſt lib.3.cap.4.numer. 19.

Princeps non ſine iuſta cauſa reſtituere debet damnatos. ibid.

Proconſulibus nuſquàm datum ius deportandi. lib.2.c. 28.n.1.2.3.4.

Prohiberi ne per domum alicuius quis tranſeat. lib.1.c.11.num 6. & ne illuc nauiget, aut accedat. num.7. ne forum intret neue aulam Regiam. ibid.

Prohibitus Roma aut curia Regis, non ideo videtur patria prohibitus. lib. 1. c.13.n 14.

Prohibitus patria V. Patria prohibitus. ſupra.

Proſcriptio Syllana. lib. 1.c.9.nu.3.& ſequentibus. Tabula interficiendorum ſeu proſcriptorum propoſita. num.6.7.

Proſcriptio Triumuirorum Cæſaris, Antonij, Lepidi. lib.1.c.9.nu.9.

Procurator Cæſaris relegare non poterat. lib.1.c.12.n.1.

Procurator admitti debet eius rei nomine qui non vltra quàm relegandus eſt. lib.2.cap.31. nu.8. admittitur eius nomine qui abſens damnari poteſt lib. 2. c.31 n.8.

Prouinciæ à Romanis in varias formas mutatæ. lib 2.cap.25.nu.2. Prouinciarum partitio inter Senatum & Cæſarem. lib.2.c.26.num 9.17. & cap.28. num.4.

Publicatorum hominum obligatio omnis extinguitur. lib.2.c.25.n.17.

Publicatis bonis manet adhuc obligatio naturalis: quare tenetur ſoluere ex poſtea quæſitis. ibid.

Publicatio bonorum. vide Bonorum publicatio.

Publius Rutilius Rufus, & honorificum eius exilium. lib.2.c.24.n.7.

Pythia ludi Amphictyonum, cur? lib. 1. c.11.n.16.

φυγὴ Græcis exilium. lib.1. cap.2.num.3. An perpetuum? lib.2.cap.4.num.1.& cap.5.num.11.

Ψῆφοι ἀναιρετικαί. Calculi damnatorij. lib. 1.c.1.n.7.

Ψυχαγωγία euocatio animarum apud veteres, ſi qui longe à patria mortem obiiſſent. lib.1.c.4.n 3.

Q.

QVinti Sertorij dictum de charitate in patriam. lib.1 c.4.n.2.

Quintus Fabius V. Fabius.

R.

Recipere exules crimen eſt. lib. 2. cap. 36. Recipere aut receptare quid? numer.1. recipere an videatur hoſpitij dominus? nu.2. Receptatorum pœna ex L. Iulia, & aliunde. num.3.4. Receptator filij aut parentis, aut neceſſariorum minùs peccat. num.5.6. recipere & paſcere an filius poſſit parentem proſcriptum & è contra. n.6. Receptatores exulum morte non ſemel mulctati. nu.7.

Refuga operis apud Iuriſconſultos & Tertullianum. lib.2. cap.33. num.27. Refugæ cuſtodiæ ſeu carceris & triremium quomodo puniantur. num.28.

Refuga exilij non eſt qui non ſponte loco exilij abiit, aut locum interdictum intrauit. num 30. vbi de Platonis circa hoc lege.

Refuga exilij etiam is videtur qui ſe dedit in alienam poteſtatem & ſub iure alieno intrat locum prohibitum. lib. 2. c.33.n.31.

Refuga exilij an immunitate gaudeat eccleſiæ. lib.2.cap.34. Qui impunè occidi poſſunt, in eccleſia occidi non poſſunt. num.1. & 2. Refuga exilij ad eccleſiam confugiens poteſt eiuſdem exilij duplicatione coërceri. lib 2.cap.35. num.30. non exilio perpetuo, nec perpetuo carcere. ibid. adhiberi poteſt tamen carcer non in pœnam, ſed in cuſtodiam. nu.31.

Refugij vrbes apud Hebræos. lib.1. cap.6. num. 12. earum nomina num. 13. Refugij in vrbibus, qui cædem inconſultam feciſſet, tranſibat de vico in vicum. lib.1.c.11.n.6.

Refutatoriæ preces quænam? lib.2.ca.27. um.17.

Remigis vxor non ſequitur virum. lib.2. c 8.n.5.

Relegatio priuato iure impoſita: vel in filios, vel in ſeruos vſurpata. lib.1.ca.3. n.10. & libertos. ibid.

Relegatio aut ſine aut cum inſula. lib. 2. c.1.nu.2. Relegatio abſolutè pro in inſulam relegatione. lib.2 c.1.nu.2. pro deportatione aliquando. nu.10.

Relegatio vel temporalis vel perpetua. li. 2.c.2.n.1.

Relegatio ciuitatem non adimit. lib. 2. c.13. nec iura ciuis. num 2. etiam publicatis bonis. nu.3.

Relegatio non ſemel velata honoris ſpecie. lib.2 c.13. n.4.

Relegatio exiſtimationem minuit. nu.11. ſimilis damnationi temporali ad opus. num.12.

Relegatio an infamiam importet. lib. 2. cap.14.

Relegationis exacto tempore adhuc infamia durat. lib.2. c.14. n.8.

Relegatio capitalis pœna non eſt. lib.2.ca. 30.nu 16.

Relegatio an corporalis pœna ſit. lib.2.ca. 31.numer.1. & ſequentibus affirmant quidam. nu.2. & verè ſi de relegatione perpetua à regno integro loquantur. num.3. temporalis non eſt pœna corporalis. numer.4. niſi impropriè, quia corpus aliquo modo affligit. numer.5. non ſenſu & acceptione Iuris. ibid. & num.7.

Relegationi obnoxius per Procuratorem ſe defendere poteſt. lib.2.cap.31 nu.8. ſub fideiuſſoribus relaxandus eſt è carcere. num.9. Quid ſi in arbitrio Iudicis pœna ſit? num. 11. Iudex à quo appellatum fuit an poſſit relaxare. nu.12. reſpondetur quibuſdam contrariis argumentis. nu. 14.

Relegatio perpetua. lib.2.c.2.n.16.

Relegatus de relegari iuſſo, vt exportatus de exportari iuſſo. lib.1.c.3 n.9.

Relegati ſe pro mortuis reputabant. lib.2. c.6.n.3.

Relegati priuilegio vtuntur miſerabilium perſonarum. lib.2.c 13.n.7.

Relegatus ſtatuis decorari poterat. numer.13.

Relegatis cui bona adempta, viaticum relinquebatur. lib.2.c.24.n. 10.

Relegatorum bona non attingere regula re fuit. lib.2. cap.24. num.13. ſed auferebantur eis quandoq; numer. 13.15. etiam ſi ad tempus relegati fuiſſent. num.19. Quæ in relegatione adquiſiuerunt, ſibi adquiſiuerunt. numer.20. Temporaliter relegatis bona non adimi poſteà placuit. num. 21. Traianus

etiam perpetuo relegatis omnia ſaltem bona auferri prohibuit. n.22.23.

Relegatorum locus clementior quàm deportatorum. lib.2.capit.26.num.1.& ſequentibus.

Relegatis aſſignatus à Nerone Inſularum certus numerus, vt inde ſibi inſulam quiſque eligeret. lib.2.c.26.n.4.

Relegatis maximæ etiam inſularum adſignatæ. lib.2.c.26.n.4.

Relegandi ius quibus competeret inter Romanos. lib.1.c.12.

Relegari à Iudice in tempus ſuæ voluntatis. lib.2.c.2.n.11.

Relegari interdictis locis, quid? lib.2.ca.33.nu.6.

Renatus Chopinus laudatur.lib.2.cap.32. num.6.

Reſcripta duo ſic implicare ſolent referentes Iuriſconſulti,vt vnum videantur. lib.2.c.19.n.12.13.

Reſtitutio exulum abrogabat exilij pœnam. lib.3. cap.1. num.1. quæ licet extra ordinem. nu.2. frequens tamen fuit. num.3. & in votis omnium exulum. nu.4.

Reſtitutio eius, qui lege pulſus fuerat,lege debuit fieri. lib.3.c.2 n.10.

Reſtitutio ſimplex tantùm pœnâ liberat. cap.4.num.8. Indulgentia communis, ſeu generalis hæc dicta numer.8. non famam, non dignitatem reſtituebat. ibid. non iura antiqua. ibid. nec mulctam pecuniariam remittebat. nu.9. frequens hæc in nouo quoque Principatu. num.10. aliquando Senatus accedente conſenſu.nu.11. Huius formula. num.12.

Reſtitutio ſpecialis amplius quid indulgebat quàm generalis. lib 3.ca.4.nu.4.& per partes concipiebatur. n.5.

Reſtitutio in integrum omnia reſtituebat, & in priſtinum ſtatum omnia reponebat. cap.4. num.16. Formula huius Hiſpana, & exemplum in Cicerone. ibidem.

Reſtitutio ſeu indulgentia conceſſa antequam Iudex ſententiam damnationis ferat, effectum habet indulgentiæ ſpecialis. c.4.n.17.

Reſtitutio Iuſtitiæ adeo omnia reſtituit, vt quibuſcumque rerum poſſeſſoribus ea auferantur, vt reſtituto tradantur. cap.6. num.7. perinde omnia reddit, ac ſi damnatus non fuiſſet. cap.7. vt in cauſa Ciceronis. cap.7.num.4. & in reſtitutione Chriſtianorum ſub Conſtantino Imp. nu.5.

Reſtitutio ea ſolum reponit, quæ ſententia abſtulit: medium tempus perit exuli, ideo fructus non lucratur.lib.3.c.7. num.1.

Reſtitutio in integrum poteſt ſub conditione indulgeri. lib.3. cap.4. num.18. adimpleta conditione adhuc expectatur ſententia Iudicis declaratoria: ſed interim capax eſt omnium iurium reſtituti. lib.3.c 4. n.18.

Reſtitutionis iuſta cauſa eſſe debet, non Principis voluntas, aut arbitrium. num.19.

Reſtitutio in integrum infamiam ſoluebat. cap.5. num. 1. honores quoque, ſi vacuus eſſet locus reddebat. n.2.

Reſtitutio omnia olim ſua reddit reſtituto, ſi eorum integra cauſa ſit. capit. 5. numer 5. reſtituit ea quæ irritauerat exilij calamitas. num.5. non reſtituit quod nunquam valuit, vt teſtamentum in exilio factum num.6. Patriam poteſtatem V. in P. Matrimonium quod nunquam fuit ſolutum, non inſtaurat. num. 12. ea quæ euanuerunt, non reſtituit, vt vſumfructum, qui conſolidatus eſt proprietati. n 13.

Reſtituere ſolus Princeps poteſt. lib.3.cap. 2.num.11. Non Magiſtratus quilibet. numer.12. ſiue à relegatione ſiue à deportatione. num.15. multo minus dignitatibus ornare reſtitutos. num.15. Qui mos ferè omnium gentium.num. 16. quod intelligi debet de reo ob crimen damnato; non de eo, qui ob contumaciam non comparendi in iudicio. ibid. & cap.3. num.8. In Magiſtratibus etiam eos comprehendo, qui ſupremi ſunt, puta Senatus Regius & Cancellariæ.num.17.& Dominos Vaſallorum. num.18.

Reſtituere Iudex nequit V. Iudex.

Reſtituit Princeps, vel expreſſè, vel tacitè. lib.3.c.4.n.6. & vide Tacita in T. Reſtitutio palàm & expreſſè facta num.7.

*Reſtituere alicuius demortui memoriam. c.5.n.1.*

*Reſtitutis indulgentia generali in egeſtate viuendum fuit. lib.3. capit.4. numer.13.*

*Reſtitutus in integrum bona recipit quæ olim habuit, non ea quæ habiturus fuerat, ſi manſiſſet in vrbe. lib.3.ca.6. num.1. diuerſum fuit à Iure poſtliminij. numer. 2. Non ſoluit pecuniariam pœnam nondum ſolutam, ſoluit tamen expenſas in lite factas. numer. 3. Bona recipit quæ apud Fiſcum ſunt, vel apud eos quibus lex detulit. numer.4. 6. 7.*

*Reſtitutus non recipit ſummam parti læſæ infuſam. lib.3.cap.6.num.10. nec ea quæ interim à vero Domino vindicata ſunt. num.11. nec quæ Fiſcus alienauit ex quacumque cauſa. numer. 12. quamuis aliter in Gallia obſeruetur quoad lucratiuam cauſam. ibid. Quæ redierunt in Fiſcum ex lucratiua, reſtituuntur. num. 13. quæ inquam redierunt ante reſtitutionem, non poſt. num.14. An prætium rei, quam vendidit Fiſcus? num. 16. quandoque alienata omnia recipiebat reſtitutus, ſi publicè hoc intereſſet. n. 16.*

*Reſtitutus an recipiat rerum ſuarum fructus V. Fructus in F.*

*Reſtitutus recuperat ius patronatus.lib.3. cap.8.num.1. & iura alia. numer. 2.3. præter illa quæ culpâ ſuâ amiſit in exilio. num.4.*

*Reſtitutus iura aduerſus alios recipit, & aliorum aduerſus ſe obnoxius redditur. cap.8. num.5. cedere tamen adhuc bonis poteſt. n.6.*

*Reſtitutus etiam generali indulgentia ea bona retinet, quæ in exilio quæſiuit. cap.8. num. 8. non vero ea quæ olim confiſcata ſunt, necdum tamen in Fiſcum coacta, cum reſtituitur. n.9.*

Ricos honbres *in Caſtella quot dies ad exeundum haberent præſcriptos legibus, in exilium euntes. lib.2. capit.33. num.11.*

*Reus vbi deliquit, ibi puniendus eſt. lib. 1.c.13.n.2.*

*Roma omnium communis patria. lib. 1. cap.13.num.16.17.19. & Conſtantinopolis noua Roma. num.19. & qualibet Regia Curia. ibid. non autem aliæ vrbes, etiamſi Florentiſſimæ, aut Cancellariæ Regiæ. n.19. 20.*

*Roma ibi eſt, vbi Imperator eſt. lib.1.ca. 13.num.20.*

*Romæ exilium. lib. 1.c. 14.n.12.*

*Romana ciuitas inuitis non adimebatur, lib.1.c.7.nu.9.& c.8.nu.16.*

*Romanam ciuitatem tunc primum amittebat Romanus, cum in alterius vrbis ciuem recipiebatur. lib.1.c.8. n.13.*

*Romanis ciuibus Valeriæ leges, & Porciæ inſligi verbera & ab alio damnari iudicio capitis quàm à populo prohibuerunt. lib.1.c.7.n.2.*

*Rutilij exilium. Vide P. Rutilius.*

S.

*Sardinia peſtilentis aëris inſula. lib. 1. c.16.n.2.*

*Scribendi in Iure ruſticitas multùm frequens ſugillatur. lib.3.c.5.n.3.*

*Senatus conſulto irrogari ſolita relegatio. lib.1.c.12.n.2.*

*Senatus Regius Caſtellæ. vt olim Vicarius Regius ſeu Adelantatus vt vocabant, deportandi ius habet. lib. 2. capit. 28. num.7.*

*Senecæ conſolatio ad Heluiam matrem de exilio ſuo. lib. 1.c.1.n.9.*

*Senes in breuioris temporis relegationem dabantur. lib.2.c.2.n.9.*

*Sententia durior æquo cum cæteris damnis tranſigit. lib.2.cap.2.num.6. infamiam euitat damnato. cap.14.num. 10. & 12.*

*Seriphus & Gyarus veluti germanæ exiliorum inſulæ. lib.1.c.16. nu.6. Seriphi natura & ciues. ibid.*

*Seruorum pœna non fuit exilium. lib. 1. c.3.n.1.*

*Seruis aliquid durius ignominiâ inſligendum eſt. lib. 1.c.3.n.2.*

*Seruorum pœna non eſt opus publicum. num.5.*

*Serui relegabantur à Dominis in agrum & ruſticas operas. lib.1. capit.3. numer.10.*

*Serui an tenerentur lege Iulia de adulterijs. num.13.*

*Seruus publicus Rom. populi ius habuit condendi teſtamenti, licet peregrinæ conditionis. lib.2.c.6.n.14.*

*Seruo conferri poteſt electio ſeu arbitrium lib.2.c.10.n.11 ſed tamen libero homini collatum ſeruitute intercedente non competit. ibid.*

*Seruorum immenſos greges poſſidebant Romani lautiores. lib.2. c.7.n. 16.*

*Seruorum contubernia in quo differrent à coniugiis deportatorum. lib.2.cap.8. num.9. leges ſeruare debent honeſtatis naturalis. n. 10. de contubernij nomine, item coniugij & matrimonij inter ſeruos. n.12.*

*Serui obedire prius debent Dominis quàm legibus ſcriptis. lib.2. c. 21. n 9. Item filiiſamilias parentibus. ibid.*

*Serui in eccleſiam confugientes accepta cautione Dominis reſtituuntur. lib. 2. cap.35 num. 3. Defenditur lex Theodoſi & Valentiniani de hoc Iure concepta. numer. 4. Serui a monachiſmo ad ſeruitutem reducuntur. numero 5.*

*Serui à metalli pœna reſtituti generali indulgentia manent adhuc Serui Fiſcales, ſpeciali vero ad Dominum redeunt. lib. 3.cap.5.num.11.& capit.4. num.8.*

*In Seruilibus pœnis & eorum refugis quiſnam ordo ſeruatus coërcendi contumaciam. lib.2 c.33. n.27.*

*Seruitus ſatura potior eſt egenâ libertate. lib.1.c.3.n.3.*

*Seruire qui debet v. g. triennio vt libertatem conſequatur, nil ſibi præiudicat ſi partem triennij in fuga exegit. lib.3. c.33.n.3.*

*Siciliæ exilium. lib.1.c.16.n.4.*

*Sociorum ciuitates aſyla erant Romanis exulibus. lib.1.c.7.n.16. Idem in Græcia. ibid.*

*Socrates fugere noluit, ſed abſolui. lib. 1. c.5.n.11.*

*Solitæ regiones quænam ſint apud Vlpianum. lib.1.c.12 n.5.*

*Solonis lex de recipiendis in vrbe Athenarum exulibus aliarum vrbium. lib. 2. c.5.n.12.*

*Statuas ſibi ponere quatenus liceret. lib.2. c.13 n. 13. & c.14 n.20.*

*Suburbicariæ regiones. lib. 1. capit. 12. numer. 5. de his quinam ſcripſerint. ibidem.*

*Suidas explanatur & defenditur. lib. 1. c.1.n.7.*

*Suffragia ſeu calculi quot ſufficiant inter nos ad exilium reo irrogandum. lib.2. c.32.n.2.*

*Suetonij Tranquilli mens oſtenditur de pœna parricidarum tractantis in Iulij vita. lib.2.c.15.n.7.8.*

*Suffitio quid veteribus. lib.3. capit.1. in principio.*

*G. Sylla, Felix, Fauſtus,* Ἐπαφρόδιτος. *lib. 1.c.9.n.6.*

*Syriæ plures. lib.1.c.13.n.24.*

T.

*TArquinius Romanorum Rex cognomento ſuperbus ipſe primum exilium Romæ vſurpauit, & paſſus eſt. lib.1.c.5.n.2.*

*Tarquinij Collatini Seceſſio ab vrbe ad amouendam Tarquinij nominis inuidiam. n.3.*

*Tacita reſtitutio fit per admiſſionem exulis ad honores, non per diſſimulationem aut patientiam Principis. lib. 3.c.4.n 6.*

*Teles de exilio ſcriptor. lib.1. capit.1. numer.2.*

*Templum magnum Conſtantinopoli Sanctæ Sophiæ. lib.2.c.34 n.16.*

*Templorum aſyla olim ſublata. lib 2. c.35. num.17.*

*Templorum aſyla læſis olim non lædentibus patebant. n.20.*

*Temporale exilium quid. lib.2 cap 2.numer.3. modus eius, & exempla. nu.3. & ſeqq. longiſſimum fuit decennale. lib.2. cap.2. num.7. mentio tamen eſt duodecennalis & vicennalis. n. 8. & decennale irrogatum creditur, quoties de tempore nihil adiectum. n.7.*

*Tertulliani locus e libro de ſpectaculis illuſtratur. lib.1.c.15.n.4.*

*Teſtamentum à deportato factum non valet, ſiue ante damnationem, ſiue poſteà fecerit. lib.2.cap.6.nu.7.& 17.*

*Teſtamentum poteſt facere deportatus ſecundum leges eius vrbis quâ fuit receptus. lib.2.cap 6. num.8. necnon teſtari gentium iure. numer. 9. Vnde exheredationis à deportato factæ mentio in iure. numer.12. & ſuorum hæredum. num. 15.*

*Teſtamenta an Iuris gentium, an ciuilis. lib.2.c.6.n.13.*

*Themiſtoclis dictum de exilio ſuo. lib. 2. c.6.n.2.*

*Togæ vſum inter Romanos concedere peregrinis in beneficio fuit. lib.2.cap.5. num.14. Toga Romanorum habitus: togati de Romanis dictum. ibid.*

*Toletani Concilij* VI. *cap.* XII. *exponitur. lib 2.c.34.n.12.*

*Tradere aliquem in manus alicuius phraſis S. Scripturæ. lib.1. c.6. n.11.*

*Transfugiens ſimulatè ad hoſtes non amittit ciuitatem. lib.1. capit. 8. numer.20.*

*Triremium refugæ qualiter puniantur. lib.2.cap.33.num.28. an immunitate gaudeant eccleſiæ. cap.35.num.6. Noſtris legibus remiges videntur incurrere ſeruilem ſtatum. ibidem. Remigibus aſylum non prodeſſe quinam affirment? num. 6. De his qui remigio operas ſuas prætio addixerunt. n. 7.*

*Tortura an talis pœna ſit, vt ab eâ immunem reddat ſupplicem ſuum eccleſia. lib.2.c.34.n.15. & 16.*

*Tullius Cicero in Topicis explanatur. lib. 1.cap.8.num.16. alius ex libro de Oratore. cap.13.num.15. alius ex lib.2. de Inuentione. lib.2.c.15.n.6.*

*Tutoris nomen de curatore. lib.1. cap.8. n.20 & lib.2.c.3.n.9.*

*Tutor datur in locum eius, qui ſemper eſt abfuturus, non eius qui ad tempus. lib.2.c.3.n.5.*

*Tutori perpetua relegatio excuſationem præſtat, non temporalis. c.3. n.1.*

*Ex pluribus Tutoribus ei qui tutor eſſe nequit, tutor alius ſubſtituitur, non curator. lib.2.c.3.n.7.*

*Tutela deportato non conuenit, quia munus publicum eſt. lib.2. c.7. n.6.*

V.

*VAdes publicos quis dederit primus Romæ. lib 1.c.5 n.5.*

*Verba motus in Iure cum aduerbio quietis iungi ſolent, & maximè apud Vlpianum. lib.1. c.15.n.2.*

*Viaticum exulum: Viaticum. lib.2.c.24. n.4.5.*

*Vicarius Præfecti Præt. deportandi ius habuit. lib.2.c.28. n.6.*

*Vidua reputatur quæ maritum habet inutilem. lib.2.c.8.n.23. & ea quæ diuortio fuit dimiſſa. ibid.*

*Vidua de Virgine dicitur apud bonos auctores. lib.2.c.8.n.23.*

*Vindex ſanguinis quis? lib.1.capit.9.numer.17.*

*Vindicta opponitur pecuniariæ damnationi. lib.2.c.30.n.8.*

*Vitam reo ſeruare ad ſeueriorem pœnam ſeueriſſimum eſt ſupplicium. lib.2.c.6. num.5.*

*Vlpianus in fragmentis arguitur prius: deinde defenditur. lib.2. capit.6.numer.10.*

*Apud Vlpianum Græca vox nauigij in l.1. §.12. De exercitata actione variè à variis profertur. lib.2. capit.7. numer.16.*

*Vniuerſæ Prouinciæ pro integris apud Vlpianum. lib.2.c.27.n.3.*

*Voluntarium exilium, vltroneum. lib.1. c.6.n.1.*

*Voluntarium eſt quod permittitur, neceſſarium quod imperatur. ibid.*

*Voluntarium exilium, hoc eſt ad arbitrium Iudicis contrarium eſt ei quod vocatur apud nos* præciſſo. *lib.2. ca. 2. num. 11. & quod expediat illo vti Iudices. ibidem. an expirat morte, ſeu remotione Iudicis. num.12. Potius videtur, vt ad ſucceſſorem tranſeat arbitrium. num. 13. ſecus atque in priuatis fit quorum mors negotia huiuſmodi ſoluit. ibid. exilium hoc ad arbitrium Iudicis eam interpretationem ſoluit, donec reuocetur. n.15.*

*Vrbes ſex refugij apud Hebræos. lib.1. cap. 6.num.12. eorum nomina. numer.13. an de cauſa homicidij in iis tractaretur.*

*tar. num. 15. Quidam omnes Leuitarum vrbes gauiſas fuiſſe refugij iure exiſtimant. num. 14 decem conditiones pro his vrbibus. num. 16. Quinam de his ſcripſerint. n. 17.*

*Vrbe aliqua exigi ſeu pelli. lib. 1 capit. 11. num. 1. ſeu Prouincia, aut multis Prouinciis. n 2.*

*Vrbis certa pars interdicta. lib. 1. cap. 11. num. 6.*

*Vrbis interdictio quinque leucarum appendicem circum ipſam continet. numer. 7.*

*Vtiles actiones, quæ non ciuiles ſunt, ſed gentium. lib. 2. c. 16. n. 21.*

*Vtlagus Gothicum verbum quaſi exlex. lib. 2. c. 5. n. 14.*

*Vxores quæ ſequutæ ſunt viros in exilium laudatæ. lib. 2. cap. 8. numer. 21. apud Chriſtianos hæc lex eſt. n. 22.*

*Vxor deportati aut remigis viduam non malè ſe dicit. lib. 2. c. 8 n. 23.*

*Vxor tenetur alere in exilio maritum. lib. 2. c. 14 n 9.*

*Vxoribus publicatorum Fiſcus dotem ſoluebat. lib. 2. cap. 25. num. 4. donationeſque ante nuptias & in iis factas. num. 4. & arrhas, & dimidium lucrorum. ibid. ſed qua actione? num. 6. indotatæ præſtat quartam bonorum. num. 7.*

*Vrbani I. Papæ mens in cap. Attendendum. 13. 17. quæſt. 4. expenditur. lib. 2. c. 32. n. 16. An ſit Vrbani I. hoc caput num. 17.*

Z.

*Zoſimus erroris non vnius arguitur in referenda Eutropij eunuchi calamitate, & morte. lib. 2. capit. 34. numer. 19.*

# INDEX II
# LOCORVM
## QVI VEL CORRIGVNTVR,
## VEL ACCVRATIVS EXPLICANTVR.

AEſchinis Oratoris Athenienſis verborum germana è Græcis interpretatio à VValphiana varians. lib.2.c.8. n.3.

Ammiani Marcellini locus ſuppletus. lib. 1.c.8.n.9.

Aurelianenſis Synodi verba in capit. Id conſtituimus. 34.17. quæſt.4. exponuntur latè. lib.2.cap.35.n.2.9.16.

Calliſtratus in l.5. §.3. De extraordinariis cognitionibus explicatur. lib. 2. cap.12.n.5. corrigitur. n. 6. explicatur ſecundò & rectiùs. n. 7.

Diodori Siculi praua lectio oſtenditur. lib. 2.c.4.n.5.

Emundi Merillij noua quædam ſententia de Iure gladij latè reprehenditur.lib.2. c.26.n.12. & ſequentibus. & c. 13.

Herodoto recta verbi cuiuſdam ſcriptura reſtituitur. lib.1.c.11.n.12.

S.Iſidoro reſtitutum verbum ex Barthio. lib.2 c.24.n.13.

Lex XV. De Tutelis emendatur. lib.1.c.8. num.20.

Legis V. De Interdictis vera lectio aſſeritur. lib.1.c.10. n.2. & ſeqq. & lib.2. c.18.n.2.

Legis VII. §.5. De Interdictis vera lectio manifeſtatur. lib.1.c.14.n.16.

Legis 4. C. Ex quibus cauſis infamia irrogetur, ſanior lectio proponitur.lib.2. c.2.n.4.& 5.

Lex I. §. 2. De legatis 3. ex coniectura emendatur. lib.2.c.5.n.6.

Lex, ſed ſi mors XIII.§.1. De Donat. inter virum & vxorem à correctoribus vindicatur. lib.2.c. 9.n.1. & ſeqq. præcipuè num. 7. Quinam ij correctores, & quouſque perducti ſint. n 11.

Legem XXIV. C. De donat. inter virum & vxorem diuersè legi in Codice Theod. De bonis proſcriptorum, cum eadem ſit adnotatur. lib.2. c.9. n.11.

Lex LXXVII. §. Hæreditatem 4. De legatis 2. & hanc referens lex XVII. §. 6. Ad Trebellianum enucleatè exponuntur. lib.2.c.11.

Lex XXII. §.5. D. Mandati difficilis explicatur. lib.2.c.16.n.8.9.10. & ſeqq.

Lex VII. De legatis 2. exponitur & illuſtratur variis interpretationibus. lib. 2.c.18.n.5.& inde.

Lex vnica C. Ne ſine iuſſu Princpis ex Theodoſiano ſuppletur.l.2.c.26.n.15.16.

Lex XII. De Interdictis ſuppletur aduerbio quodam. lib.2.c.33.n.7.

Alexandri III. Papæ caput XI. De arbitris in Decretalibus ex coniectura emendatur: ſaltem exponitur.l.2.c.32.n.11.

Marci Tullij Ciceronis locus inſignis ex oratione I. contra Verrem illuſtratur. lib.2.c.21.

Maioriani Imp. Conſtit. emendatur, & declaratur. lib.2.c.33.n.24. & 26.

S. Nili locus aliâ quàm voluit Andreas Scotus, interpretatione donatur. li.1. c.4.n.3.

Diui Pij Imperat. Reſcriptorum duorum diuerſitas manifeſtatur. l.2.c.18.n.4.

In Plutarchi Sylla nomen quodam hominis reſtituitur. lib.1.c.9. n.8.

Senecæ locus è libro 3. De Ira à correctoribus vindicatur. lib.1. c.15.n.12.

Suidæ locus corruptus ſanatur. lib.1.c.14. num.16.

Suidas fideliter è Græco vertitur. lib. 2. c.24.n.17.

Taciti locus de exilio Caſſij longini ex coniectura emendatur. lib.1.c.16.n.3.

Taciti locus emendatus exponitur. lib.2. c.22.n.2.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

# INDEX II
# LOCORVM
## QVI VEL CORRIGVNTVR,
## VEL ACCVRATIVS EXPLICANTVR.


Æſchinis Oratoris Athenienſis verborum germanè Græcis interpretatio à VValſhiano variata. lib.3. c.8. n.3.

Ammiani Marcellini locus ſupple[illegible]. lib. 1. c.8. n.[illegible]

[illegible] Synodi verba in capit. [illegible] [illegible] 3.4.37. [illegible] exponuntur [illegible] lib.2.cap.15. n.[illegible]

Calliſtratus in l.5. §.3. [illegible] varijs cogitationibus explicatur. lib.1. cap.12. n.5. corrigitur. n.6. explicatur ſecundò & rectiùs. n.7.

Diodori Siculi praua lectio [illegible] lib. 2. c.4. n.[illegible]

[illegible]

Hieronymi [illegible] reſtituitur. lib.1.c.11. n.12.

S. Iſidoro reſtitutum verbum ex Baſilic[illegible] lib.2. c.24. n.13.

Lex XV. De Tutelis emendatur. lib.1.c.8. num.20.

Legis V. De Interdictis vera lectio aſſeritur. lib.1. c.10. n.1. & ſeqq. & lib.2. c.18. n.2.

Legis VII. §.5. De Interdictis vera lectio manifeſtatur. lib.1. c.14. n.16.

Legis 4. C. Ex quibus cauſis infamia irrogatur. [illegible] lectio proponitur. lib.2. c.2. n.4. & 5.

Lex I. §.3. De legatis 3. ex coniectura emendatur. lib.2. c.5. n.6.

Lex ſed ſi mors XIII. §.1. De Donat. inter virum & vxorem à correctoribus vindicatur. lib.2. c.9. n.1. & ſeqq. præcipuè num.7. Quinam ij correctores, & quouſque perducti ſint. n.11.

[illegible] C. De donat. inter virum & vxorem dici [illegible] legi in Codice Theod. De bonis proſcriptorum, cum [illegible] adnotatur. lib.2. c.9. n.13.

Lex LXXVII. §. Hereditatem 4. De legatis 2. & hanc referens lex XVII. §. [illegible] Ad Trebellianum enucleatè exponuntur. lib.2. c.34.

Lex XXII. §.5. D. Mandati [illegible] tatur. lib.2. c.16. n.8. [illegible] & ſeqq.

Lex VII. De legatis 3. [illegible] ſtratur varijs interpretationibus. lib. 2. c.18. n.5. & inde.

Lex [illegible] C. Ne ſine iuſſu Principis [illegible] Theodoſiano [illegible]

Lex [illegible]

[illegible]

Maximiani Imp. [illegible] decitratur. lib. [illegible]

S. [illegible] locus [illegible] Statius, interpretatur [illegible] c.4. n.3.

Diui Pij Imperat. Reſcriptorum [illegible] [illegible] manifeſtatur. l.2. c.18. n.[illegible]

In Plutarchi Sylla nomen quoddam humanum reſtituitur. lib.1. c.9. n.[illegible]

Senecæ locus è libro 3. De Ira à correctoribus vindicatur. lib.1. c.11. n.1[illegible]

Suidæ locus corruptus ſanatur. lib.[illegible] c.14. num.16.

Suidas fideliter è Græco vertitur. lib.2. c.24. n.1[illegible]

Taciti locus de exilio Caſsij Longini ex coniectura emendatur. lib.1. c.16. n.3.

Taciti locus emendatius exponitur. lib.2. c.22. n.[illegible]


FINIS.

preſſum hoc eſt de perpetua relegatione, vulgi *deſtierro perpetuo*, quod tam relegationem perpetuam, quàm deportationem ſignificat. Ea iubet: *que los que deben ſer condenados en penas corporales y fueren condenados en penas corporales, o en cortar pie, o mano, o deſtierro perpetuo, y otras penas ſemeIantes, o debiendo ſer condenados en las tales penas, ſe conmuten las dichas penas en galeras* &c. Vides perpetuam relegationem, inter pœnas ſeueriores, & corporales annumerari; cumque abſciſſione pedis, aut manus conferri, vt exemplum vnà ſint corporalium pœnarum: Neque enim alius eſſe poteſt idoneus legis ſenſus. Perpetuum exilium in corporalibus pœnis numerat Nouella CXXXIX.

IV. De Relegatione quæ non ſit ex toto regno, aut ditione Principis ipſius, aut per Iudices ſuos, relegantis vel non perpetua, controuerſum eſt, corporalis nè ſit. Et corporalem eſſe innuere videtur Zeno Imperator in Conſti-
V. tutione quadam de ædificiis vrbis Conſtantinopolitanæ ad Adamantium eius Præfectum, quæ eſt in Codice Lex XII. De ædificiis priuatis. Ibi de artifice, qui non ex præſcripto legis ædificaſſet; *Si per inopiam* (inquit in §.v.) *non potuerit pœnam ſoluere*, τὸ σῶμα αἰκισθεὶς τῆς πόλεως ἐξελαθήσεται, id eſt, *corpore luens vrbe pellatur*: quod in axioma iuit politico iuridicum *b* vulgariter. Et magis eſt, nè quid vltra relegationem hîc ſubaudiatur: neque enim pecuniaria cauſa tam facilè mutauerit in capitalem, ſimulque corporalem deportationis. Verè tamen corpus hîc pecuniæ opponitur eò tantum, vt qui corpus à loco expellit, corpus attingere, & quodammodo coërcere videatur. Idque Paulus I. C. in l. II. De publicis iudiciis agnouit, in non capitalibus pœnis eas recenſens dumtaxat, *ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna eſt*: quibus verbis relegationem planè comprehendit; quod ex ſuperioribus manifeſtum redditur. Sed non ideò, quòd aliquo reſpectu accipiatur corpore, aut affligat corpus, corporalem dicemus. Ea enim quæ corpori ſine dolore imprimitur, qualis relegatio eſt, vulgariùs, receptiuſque inter non corporales reputari ſolet. At videtur & Iuſtinianus Cæſar corporalem agnouiſſe hanc pœnam in Authentica, *Sed hodie* C. De officio diuerſorum Iudicum: vbi hæc legas. Obedientes autem eis (Iudicibus officio ſuo excedentibus in fœminarum carceratione) *cingulo ſpoliabuntur, & pœnis ſubiacebunt corporalibus & in exilium damnabuntur.* Sed quiſquis ſenſus horum verborum ſiet, nihil argumenti exinde naſci poſſe aio: cùm verba hæc in Nouella ipſa, vnde ſunt deprompta, ſic prorsùs legantur ex tranſlatione antiqui interpretis (nam Græca non ſunt ad manum) *ſpoliato cingulo pœnis ſubiici, & in exilium deſtinari.* Hæc eſt Nouella CXXXIV. capite IX. Niſi verbera ſubintelligantur in fragmento illo iſtius Conſtitutionis per Tribonianum ad eum Codicis titulum deducto, more huius inferioris æui, quo, vt adnotatum iam ſuperiùs eſt, exilij noxæ plerumque verberabantur: quo & pertinet finis Nouellæ CXXXIX.

VI. Profectò in noſtris legibus paſſiuus eſt, & perpetuus huius verbi, *deſtierro*, intellectus, vt corporali pœnæ opponatur, pecuniariæ aſſimiletur, & conferatur. Qui manifeſtiſſimus eſt in l. II. Tit. XIX. lib VIII Compilationis. Placuit id quamplurîbus Iuris Interpretibus *c*. Imò nec triremium, aut remigij pœnam (quod plus eſt) pro corporali reputare ius noſtrum ſolet: vt in l. VII. Tit. XXII. libro VIII. de eo, qui reſiſtit officiali publico iubetur; *qui ſi fuere tal, que le aia de ſer pueſta pena corporal, aquella ſe conmute en Verguença y en ocho años de galeras*: Idemque in l. IV. & VI. Tit. XXIII. eodem libro; vbi corporales pœnæ, & remigij pœna tanquàm diuerſæ opponuntur.

VII. Quare remorari nos non debent Ægidius Boſſius, & Proſper Farinacius inter corporales pœnas relegationem conſtituentes *d*. Neque ea ratio,

b Ex hac lege: & ex l. 24. §. 3. De Minoribus exornat poſt multos regulã Scipio Gentilis de Iuriſd. c. II. libri III. pertinetque Caſſiodori c. VIII. l. IX. Variarum.

c Afflict. in Conſt. l. 1. Rub. 10. ex n. 21. Menochio l. 1. de Arbitrariis q. 80. ex n. 87. Acebedo in l. 8. Tit. 18. l. 4. Compilat.

ratio, quâ Boſſius vtitur quidquam vrget. Relegationem aut corporalem
eſſe, quia corpus affligit; de quo loqui ſe experientia doctum ſubiungit.
Sed non (vt diximus) hic ſenſus eſt, aut nota corporalium pœnarum, vt eæ
tales ſint, ex quibus oritur moleſtia, aut afflictio aliqua corporis; ſed quæ
ipſi corpori non ſine dolore imprimuntur. Ideoque ſignatè alij nec affli-
ctiuum corporis aiunt exilium, vt Iacobus Cancerius, citato Aluaro Vala-
ſco ex quadam conſultatione, lib.III. Variarum cap XVII *e*. Et attendere hi
quidem debuerunt, qui de exilio ità ſeuerè exiſtimarunt, ad Vrbani III. Pa-
pæ verba in cap. Ad audientiam III. De crimine falſi: apud quem Clerico
falſi reo, *nec membrum auferre, nec pœnam infligere corporalem*, ſed *Prouinciam*
tantùm eos *abiurare* compellere, hoc eſt, extra ire fines Prouinciæ, iubetur
ſuus eorum Epiſcopus. Ammianus Marcellinus pertinet ex lib.XIX. *Fato quo-*
*dam arcente, corpore immaculato, lata fuga damnatus eſt.* Rem vrget aliis ratio-
nibus Petrus Gambacurta lib.IV. De Immun. eccleſ. cap.XXXIII. n.6. & 7.

Plura ex hac verbi acceptione, & vſu ſtatim profluunt, quæ non ignora-
re maximum operæ prætium eſt: de quibus hoc capite, & aliquot ſequen-
tibus pro rei neceſſitate agere oportet. I. abſentis rei procuratorem in iudi-
cio admitti, etiam criminali, ſi receſſit eius criminis, cui non alia pœna,
quàm relegatio hæc debetur: cùm regula iuris ſit, admitti non debere illius
nomine, qui corporali obnoxium ſe reddidit. Quod notat vt communius
Gabriel inter communes quæſtiones, aliique *f*. De quo eſt Vlpiani diſerta
lex I. verſio ſed etſi. D. An per alium cauſæ appellationis reddi poſſint: cu- VIII.
ius verba illa, *& quâ ſequi ſolet pœna vſque ad relegationem* ſic vulgò intelli-
gunt Iuris Interpretes *g*, vt relegationē excludant non includant. Ratio ad
manum eſt ex eodem Vlpiano, qui in l.V. De Pœnis, vſque ad relegatio-
nem procedi poſſe aduerſus abſentem contumacem hoc ſenſu dixit, vt
& relegatio ei valeat irrogari: quod ex verbis ſequentibus eſt apertiſſimum.
Atqui vbicumque abſens quis damnari poteſt, admitti eius nomine procu-
ratorem idem docuit I. C. in l.XXXIII. §.II. De Procuratoribus. Planè hæc
interpretatio Vlpiani verborum, & regulæ nobis præiudicata olim eſt
Hiſpanæ legis decreto: quæ quidem vna pro vniuerſo Interpretum agmi-
ne haberi aliàs deberet. In causâ ergò criminali, quæ perpetuâ relegatio-
ne, hoc eſt exilio, ſeu deportatione, quæ caput de ciuitate adimit, vindi-
canda eſt, Procuratorem non admitti; in eâ vero, cui temporalis, hoc eſt
propria relegatio debetur, admitti noſtrum Ius eſt ex l.XII. Tit.V. Partita III.

Bobadilla l.5. Politicæ c.1.n.128. qui plures alios laudāt Gutierrez de delictis q.70. n.6.
d Farinacius in Praxi to.2. Tit. de carceribus q.33.n.55. Boſſius in Praxi Tit. de carcerato fideiuſſ. cōmittendo n.7. Marius Italia de Immunitate eccl.l.1.c.6. §.3.n.3.4. confundens relegationē cum perpetuo exilio.
e n.168.
f Ant. Gabriel l.7. cōcl.9 n.11. Gomez l.3. Var.c.1.n.13. Clarus plures laudās l.5.ſent. §.fin.q.32. n.5. Menochius l.1. de Arbit.q.80. ex nu.132.
g Apud Gomez vbi proximè & Menochiū d.q.80.n.128.

Simile eſt, eiuſdemque rationis, quod ſecundo loco adnotamus. Is qui
lege pœnam relegationis, nec grauiorem aliam ſubire debet, non eſt in car-
cere detinendus, ſed accepta pro eo ſatiſdatione vſque ad ſententiæ diem IX.
relaxandus. Lex II. Tit. XIX. libro VIII. noſtræ compilationis, clericorum
concubinas iubet non ſtatim detrudi in carcerem: ſed ſi fuga ipſarum ti-
meatur, cautionem ab iis exigi, iudicium ſe accepturas; idque ſemel atque
iterum obſeruandum. Huius rei rationem ex ſuperiore huic lege adiunga-
mus licet: *porque no à de lleuar pena corporal, ſino de marco, ò deſtierro.* Hoc eſt:
quia non corporali pœnâ, ſed pecuniariâ aut relegationis ſemel, atque ite-
rum deprehenſa coërcetur. Hæc quippè regula eſt, non eſſe in vinculis,
aut cuſtodia detinendum eum, qui fideiuſſores dare paratus eſt, ſi eius deli-
cti reus proponatur, in quod minimè ſit corporali pœna vindicandum. Cer-
tè nobis ſcripta lex eſt XVI. Tit. I. Partita VII. & Vlpianus quodammodo id
confirmat in l.III. D. De Cuſtodia, & exhibitione reorum: quem allegant,
regulam commendantes permulti *h* ex interpretibus. Imò etiam ſi ſeue-
rior, quàm vt relegetur, dicenda reo ſententia ſit, arbitrio Iudicis commit-
tere videntur ſub fideiuſſoribus relaxationem non obſcura capita noſtri Iu-

h Poſt antiquos Pragmaticos Rodericus Suarez in Diſquiſitione de Fideiuſſore an

 ris: